EX MUNIFICENTIA
FERDINANDI III. M. E. D.
DIE 3. IUNII 1791.

9 I.7

Digitized by Google

9. 7. 383.

Digitized by Google

IVS PVBLICVM VNIVERSALE
ET PRAGMATICVM
METHODO SYSTEMATICA
NOVA RATIONE ELABORATVM
ET
EX VNO PRINCIPIO INDVBIO
DEDVCTVM,
ACCEDIT
MEDITATIO
AD
AVGVSTISSIMI IMPERATORIS
ROMANORVM
CAROLI VI
SANCTIONEM PRAGMATICAM
ANNO SVPERIORI EDITA
NVNC RECOGNITA
ET
PLVRIMIS NOVIS ARGVMENTIS
FIRMIORIBVS AVCTA

AVCTORE
GODOFREDO ERNESTO FRITSCHIO
CONSILIARIO ILLVSTRISSIMAE DOMVS
LOEWENSTENIO-WERTHEIMICAE.

IENAE
APVD IOHANNEM RVDOLPHVM CROEKERVM
cIↃ IↃ CC XXXIV.

Digitized by Google

AUGUSTISSIMO,
INVICTISSIMO,
AC
POTENTISSIMO

PRINCIPI,
CAROLO VI.

ROMANORUM

IMPERATORI,

GERMANIÆ, HISPANIÆ,
HUNGARIÆ, BOHEMIÆ

REGI,

ARCHIDUCI AUSTRIÆ,
Cetera, cetera, cetera,

DOMINO, DOMINO
PERCLEMENTISSIMO
SACRUM.

Digitized by Google

AUGUSTISSIME CÆSAR.

AD SACRÆ CÆSAREÆ MAJESTATIS TUÆ *Thronum proſternor multò demiſſiſſimo cultu, ſupplicesque fundo preces, ut mitiſſimo ſerenes adſpectu mentis devotiſſimæ documentum, quod hiſce porrigere ſuſtineo. Trepidat equidem ad Thronum, quo nullum ſuo propiorem* DEUS *in his terris eſſe voluit, & circa limen templi, quod Auguſta Majeſtas inſidet, obſtupeſcit qualis qualis conatus meus, propitiam tamen admiſſionem ſperare incipit, & diei, qui ob Auguſtum Nomen* TUUM *non* minus *Illuſtris eſt, quam ob gratiam* TUAM *ſingularem, quam exhibere devotiſſi-*

mo cuique ſoles, gratioſus dici poteſt, & argumenti ſui fiducia. Argumentum præcipuum eſt, cujus ergo omnis hic liber ſcriptus, Meditatio ad SANCTIONEM PRAGMATICAM de ordine ſuccedendi in Regna, Provincias ac Ditiones, ad SERENISSIMAM DOMUM AUSTRIACAM Jure hæreditario ſpectantes, ejusque Guarantiam generalem ab Imperio Decreto Comitiali majoribus numero ſuffragiis confecto ſuſceptam, & contra quoscunque præſtandam, *à me privatis ſtudiis conſcripta, & ſine adpoſitione Nominis in* Academia Haſſo-Marburgenſi, *ubi tum temporis verſabar, publici Juris facta, nunc autem repetitis curis auctius & emendatius edita. Non equidem ignarus ſum veteris illius* de actis Deorum reverentius interdum ſileri, quam ſcribendo, vel loquendo judicari, *& vel hoc ſolum me deterrere poterat, quo minùs ad*

TE

TE, DOMINE PERCLEMENTISSIME, *viam affectarem. Quia tamen hæc ipſa Sanctio nervus firmiſſimus pacis publicæ, firmamentum æquilibrii totius Europæ certiſſimum, à pſeudonymis exteris (fortè & indigenis) publicæ quietis turbatoribus, modeſtiæ neſciis, pudoris ignaris, temporum obtrectatoribus, temulentia turbidis, venenatis telis, in auctores tamen ſuos recadentibus, impetita fuit: credidi demiſiſſimo cultu ad officium vel minimi ſubditi pertinere, ut improbis, petulantibusque ejusmodi maledictis, quibus Imperatorium Nomen & Numen laceſſere non dubitârunt, quali quali conatu obviam quoque iret. In mentem veniebat digna vox fideliſſimo ſubdito, qua* Wilhelmus Occamenſis LUDOVICUM IV. IMP. *quondam (Aventino teſte) allocutus:* Tu nos pugnis, enſe, ferro, armis à ſervitute aſſere, nos Te lingua, calamo, literis, ſtilo, libris, verbis vin-

dica-

dicabimus. *Hæc omnia, inquam, animum & mihi addidere, ut, vili quamvis ſcriptione, juſtitiam, æquitatem & neceſſitatem* SANCTIONIS PRAGMATICÆ, *Legis pro conſervanda, eheu! nunc reſtauranda Europæ quiete, in perpetuum valituræ, adverſus oſores & hoſtes quoscunque, chartaceis hisce armis, quæ ſola tractare didici, vindicare auſus fuerim. Ac quoniam argumenta, quæ huc facerent, non ex edicto Prætoris, aut civili jure, ſed ex natura terrarum hæreditariarum fundamentali, & ex pactis, fœderibus, privilegiis,* AUGUSTISSIMAM DOMUM AUSTRIACAM *attinentibus, nec minus ex æterni illius juris inexhauſto fonte, quod illos inter, quos nulla juris alicujus civilis tenet communio, Gentes ſcilicet, earumque Rectores, formam ac normam præbet, tum & jura, officiaque imperantium & parentium in qualibet Republ. præſcribit,*

de-

Digitized by Google

deſumenda eſſe probè obſervaverim, hisque ipſis juris naturæ regulis meditationes meas qualescunque ſuperſtruxerim; easdem repetitis hisce curis in ſyſtemate, continuoque nexu præmittere conſultum duxi, easdemque ex eodem Principio & Fundamento, quô Sanctio Pragmatica *nititur, derivare. Quodſi argumenti ſublimitatem non aſſecutus ſum, nec aſſequi per tenuitatem virium potui; rectitudo tamen propoſiti zelum prodet meum & candidiſſimum & devotiſſimum. Permitte igitur*, REGUM SUMME, ET PRINCIPUM MAXIME, *ut hôc quoque Thuſculô*, AUGUSTISSIMO NOMINI TUO *erectæ*

——— *adoleſcant ignibus aræ*,

&, quod Diis ſolenne eſt, non ſuo pondere, ſed ex pietate ſupplicis exiguum munuſculum, quod ad Pedes TUOS *provolutus offero, indulgentiſſimo vultu reſpice & æſtima. Rex Regum*, DEUS TE, SACRATISSIME IM-

PE-

PERATOR; *Generis humani Delicium, cujus ſalute tot Regnorum ſalus continetur, ſervet & ſoſpitet in ſeros annos, armis* TUIS *victricibus adverſus immaniſſimos hoſtes, qui omni Gentium Jure, Fide Vaſallitica, Juramentis, Firmamento Gentilibus quoque Sancto, conculcatis,* TE, SACRATISSIME IMPERATOR, & *S. R. Imperium adorti ſunt, perpetuas largiatur Victorias, ut in Auguſta Proſapia* TUA, *Auſtria, Imperium, reliquaque Regna* TIBI *ſubjecta ad finem usque Mundi floreant, hæc mea, hæc omnium fidelium ſubditorum vota pia ſunt.*

SACRÆ CÆSAREÆ
ET
CATHOLICÆ MAJESTATIS TUÆ

Viennæ ipſô die CAROLINO,
cIↃ IↃCCXXXIV.

Omnium humillimus, & devotiſſimus Servus,
Godofredus Erneſtus Fritſchius.

BENEVOLO LECTORI
GODOFR. ERNESTVS FRITSCHIVS
S. P. D.

SI quid eſt, quod Principibus in Republ. atque doctis hominibus dignum; ſique aliqua ſcientia late patet: illa iuris pars habenda, quae de iure publico vniuerſali agit. Nihil eſt, quod in primis iis, quorum ad arbitrium iudiciumque ſumma omnium rerum conſiliorumque in Republ. redit, maiori fructui eſſe poſſit, quam perceptum penitus & pertractatum hocce ius habere. Iſtud enim in complexione iurium, quibus omnes Rerumpublicarum ſpecies conſtituuntur, conſtitutae gubernantur, conſeruantur ac ſtabiliuntur, ſtabilitae in alium ſtatum vertuntur tolluntur que, ſitum eſt. Princeps itaque aut Rerumpublicarum gerendarum adminiſtrator, qui imbutus eſt iuſta huius iuris ſcientia, illi non erit ars difficilis recte iuſteque, ſi rationes ſuas ad id accommodare ve-

lit,rempublicam gerendi & ea, qua praeditus poteſtate ciuili, legitime vtendi. E contrario ſi illi, qui ſummae rerum praeſunt, nudi ſunt hac iuris cognitione: illa mala, quae ex abuſu ſummae poteſtatis gignuntur, non poſſunt non etiam iſtinc emanare. Ex defectu cognitionis de poteſtate Principis in ſibi ſubiectos, Respublicas multum detrimenti capere & argumentis & exemplis firmat COMMINAEVS *Memoriarum Lib. 5. Cap. 18.* Quod quidem caput GODEFROY in obſeruationibus ſuis: *excellent & admirable Chapitre, digne d'être releu pluſieurs fois*, ob id appellat, quia illae, quas COMMINAEVS adfert, bonae rationes ad inſtitutionem Principum (*pour l'endoctrinement des Princes*) in cognoſcenda poteſtate ciuili in ſubiectos tendunt; quo facit quoque BODINI *Conſilium de Principe recte inſtituendo.* Quocirca de illis Principibus, qui nullam cognitionem in quantum valeat poteſtas ciuilis, conſecuti ſunt, ita iudicat COMMINAEVS *in capite laudato p.m. 350. que ceux, qui ne ſe connoiſſent, & ſont mal ſages, par faute d'avoir eſté bien nourris - - - n'ont point de connoiſſance iusques la, oû s'eſtend*

le

le Pouvoir & Seigneurie, que Dieu leur a donné ſur leurs ſubjets. Si illi itaque, penes quos Regimen Reipubl. eſt, ſemetipſos noſcere & recte ſapienterque Rempublicam gubernare volunt; quam late pateat poteſtas ciuilis in ſubiectos, noſſe debent. Quae notitia cum ex iure publico vniuerſali, ſi leges ſingulares in Republ. aut non ſufficiunt aut deficiunt, haurienda, Principibus in republ. haec opera quoque ſumenda, vt cognitionem iuris publici vniuerſalis conſequantur; quippe quod potiſſimum in Regimine Reipubl. occupatum.

Regere Rempublicam Principibus proprium; quare & ius publicum vniuerſale Principibus proprium; ob eamque cauſam titulum hunc inſignem & pulchrum, qui BOECLERVM delectauit ſcil. quod *Hiſtoria Principum Schola ſit*, iure ac merito inſcribere quoque iuri publico vniuerſali poſſumus. Quam ſtudioſe tractandum hoc ſtudium Reipubl. Rectoribus, tam neceſſarium iis ICtis, qui iura imperantium defendenda habent, deinde & Pragmaticis & iuris publici doctoribus ac ſtudioſis. Ad

defendenda imperantium iura eſt neceſſarium, quoniam in examinandis vel decidendis controuerſiis publicis nullius iuris maior vſus vel auctoritas, quam huius, eſt. Huius iuris cognitio opus eſt pragmaticis, quoniam iudicium pragmaticum de actionibus ciuilibus, quae in vita ciuili occurrunt aut in hiſtoria Rerumpubl. memorantur, ferre is non poteſt, qui non in auxilium principia iuris publici vniuerſalis vocat. Hocce ius ab hiſtoria, ſi eam tractare pragmatice velis, ſeparari non poſſe aſſenſorem habeo HVBERVM *in ſpecimine iurisprudentiae hiſtoricae ſiue obſeruationum in ſuos libros hiſtoriae ciuilis ex iure publico potiſſimum vniuerſali.* Verba Auctoris ſunt pag. 681. *Eſt iuris ſcientia circa actiones hominum ciuiles, quarum praecipuae in hiſtoria memorantur, occupata; de quibus iudicium, quod ab hiſtoria ſeparari non poteſt, ferre iuris periti eſt. Hic etiam ex hiſtoria, id eſt, rerum actorum exemplis, regulas ſuas vel colligere vel confirmare debet. Inprimis autem ius publicum, quod ad Regimen ciuitatis pertinet, cum hiſtoria plane, vt ita dicam conuertitur, vt neutra ſine altera tractari vel intelligi poſſit.*

Iuris

Iuris publici doctores & ſtudioſi praeter eos, quos nominaui, neceſſe habent condiſcere ac omnino perdiſcere ius publicum vniuerſale, propterea quod arcem iuris publici cuiusuis ſingularis inuadere non datur ſine adiumento iuris publici vniuerſalis. Namque vti ſingularia ſine generalibus praeceptis minus recte intelligi queunt, ita quoque ius publicum quodcunque particulare atque ita etiam Germanicum non ſatis firmo concipi animo atque comprehendi poterit, niſi ius publicum vniuerſale ante conſtituamus. Atque ob eandem cauſſam, quia hocce ius tam magni eſt in ſingulis Rebuspublicis momenti: ſummis ingeniis exquiſitaque doctrina viris dignum hoc ſtudium iudicarunt, in quod nervos ingenii induſtriaeque ſuae intenderent, illudque aut in genere pertractarunt aut ſpeciales eius materias ſigillatim perſecuti ſunt. Verum quam clari ex doctrina ſint varii huius iuris ſcriptores, qui enumerando per cenſentur in *capite ſecundo Bibliothecae iuris imperantium quadripartitae;* nec tamen eſt apud illos is contextus ſeriesque rerum, vt alia ex aliis nexa & omnes theſes in-

ter ſe aptae colligataeque, vt ſyſtema poſtulat, videantur.

Syſtematis vera ſignificatio hoc loco eſt, vt complexionem veritatum iuris publici vniuerſalis inter ſe quam aptiſſime cohaerentium ſignet. Cohaerentia veritatum ſeu, vt vulgo exprimi ſolet, nexus in diſciplina is reperitur in quo ex ea, quae alteri antecedit, re conſequens mente concipi poteſt, ſiue quod idem, vbi ex principio indubio deductae ſunt connexa ratione concluſiones. Quando rerum cauſas in diſciplina aliqua nexas videmus & veritates in nexu, prouti cohaerent, propoſitae; tunc diſciplina ſcientifice, ſiue quod idem, erudite pertractata dicitur, quippe eruditio generatim poſita in rerum ſcientia eſt.

Atque vero cum ſcientia omnis ſumi aut habitualiter aut ſyſtematice poſſit: conſequens eſt, vt ſi ſcientiam quoque pluribus nominibus inſignem facere cogitamus, vnum & idem ſit, vſitate loquendo, atque Syſtema. Quapropter ſyſtematica cognitio, cognitio erudita eſt. Is ergo eruditione iuris publici ornatus, qui ſcientiam illius perfectam,

hoc

hoc eſt dicere, cognitionem ſyſtematicam habet. In quo itaque iſtiusmodi cognitio iuris publici eſt, vt ſententiam, in quam diſcedit, exquiſitis rationibus confirmare & argumentum ex principio vero & euidenti elicere non queat, illius notitia erudita non eſt, verum hiſtorica modo aut vulgaris nominari meretur.

Ex quo intelligi licet, qui ſit BOECLERI ſenſus *in Hiſtoria, Principum Schola* & *in Notitia S. R. Imperii*, de hiſtoria & notitia Rerum publicarum erudita, quam ab vulgari ſecernit. Inde nobis, quod imitemur, capiamus atque ius publicum eruditum a vulgari ſeparemus. Huius diſtinctionis veritas exinde probari poteſt, quod ius publicum in numero ſcientiarum ponendum, quodque fieri poſſit, vt in Syſtema redigatur modusque adeo tractandi ſyſtematicus adhibeatur, prouti dilucidius ob oculos poſui *in Prolegomenis de indole iuris publici tam vniuerſalis quam particularis praecipue Germanici* &c. Quoniam ergo iuris publici vniuerſalis eius generis eſt oeconomia, vt in ſyſtema redigi queat & methodo ſyſtematica pertractari, pertractatio vero Syſtematica iuris publici vniuerſalis

in eo, quo dixi, ſenſu nondum extat: operae pretium facere exiſtimaui, ſi hoc nouum in me facinus ſuſciperem omnesque labores exantlarem, quibus ſyſtematice, id eſt, ex principio indubio methodo demonſtratiua opus iuris publici vniuerſalis contexi poſſet. Id quod eſt, in quo plurimum operae curaeque poſui, quodque noua ratione elaboratum & elucubratum offero.

Vt autem praenoſcas, *beneuole Lector*, quam rationem pertractationis non ſolum inſiſtam, ſed etiam quibus terminis circumſcribam aut definiam meum ius publicum vniuerſale & quarum rerum in eo contineantur nexus; haud abs re duco, de eo pauca praemittere. Ante omnia pro eo, ac ſyſtematica tractatio poſtulat, in diſciplinis vniuerſalibus, principium aliquod generale, quod eſt firmamentum ac robur totius opuſculi, poſui ex quo reliqua concluſi omnia & ad exitum, ni fallor, perueni. Ac quoniam hoc, quod mihi *§pho 28* ſumſi principium euidens, adæquatum & indubium eſſe oſtendi: etiam concluſiones ex eo conſequentes haud ambiguas eſſe oportet. Aliorum itaque opiniones dubias

bias aut etiam auctoritatem doctorum, vt fere ſit, in tutelam eorum, quae ſcripſi, aduocare non neceſſe habui. Equidem bonorum Auctorum teſtimonia, attuli nonnunquam, ſed ea mente hoc feci, vt ſcriptores earum rerum, quas breuiter perſtringere ratio compendiariae viae poſtulauit, legere & peruolutare lector poſſet ac nanciſceretur aditum ad meditationem de dogmatibus iuris publici factisque, quae inſerui, illuſtribus vberiorem. Facta illuſtria deſumſi ex hiſtoria Regnorum & rerum publicarum adhuc hodie florentium; idque eo conſilio feci, quo lector facilius intelligere vſum pragmaticum modernum mei iuris publici vniuerſalis ex eius accommodatione ad ſingulas Respubl. queat. Accedit, quod cum PVFFENDORFFIO ſentiam: *Vix decentius ornamentum operi acceſſurum, quam ſi ad ſingula capita annotauerim, qua ratione Gentes diuerſae ſuas rationes ad leges vniuerſales accommodarint aut eosdem violauerint;* quod quidem merito *animam diſciplinae iuris publici vniuerſalis* dixeris cum HVBERO de iure ciuit. lib. I. Sect. I. cap. I. n. 13. Ex hac hiſtoriae ciuilis cum iure publi-

co coniunctione iuriſprudentia hiſtorica gignitur. Quae ſcientia hic in eo occupata, quid ſit iuris publici circa actiones ciuiles, quae in hiſtoria memorantur: Quod fieri licet vel accommodando principia iuris ad facta vel ex factis iura deducendo; cuius rei ſpecimina ſingularia HVBERVS, COCCEIVS & B. BVDDEVS dederunt. Quorum Virorum veſtigia ſi ſequuntur eruditi, qui in ſtudiis iurispublici, Rerumpublicarum & hiſtoria ciuili verſantur: non ſine inſigni vtilitate pragmatica is labor ſuſcipi poteſt. Qua in re laudandus BODINVS vna cum HOTTOMANNO, qui ſane feliciter hiſtorias legum ſtudio addiderunt, de quibus etiam GROTIVS profitetur, *quod eorum & pronunciata & rationes de factis hiſtoricis ſaepe ipſi inquirendi veri ſuppeditauerint materiam.* Par iudicium eſt GROTII in *Proleg. de I. B. & P.* de vſu hiſtoriarum, ſigillatim in tractando iure Gentium & publico: *Hiſtoriae*, inquit, *duplicem habent vſum, nam & exempla ſuppeditant & iudicia; exempla conſenſu tacito Gentium munita praeter illuſtrationem iuris Gentium & publici communis ſuppeditant argumenta, ex quibus probari*

ri ius Gentium & publicum poteſt. Quod ad ius Gentium, quod per facta probari poſſit & exinde obſeruantia Gentium conſtitui per quam ſcite deduxit DOMINVS DE GOEBEL in elegantiſſima diſſertatione *de obſeruantia Gentium & imperii.* Quod vero ſigillatim in ſingularum Rerumpubl. iuribus publicis probandis probatio per exempla locum habeat & quod inde, ſi conſenſus tacitus ex factis colligendus, validum iuris argumentum duci queat, argumentis ego confirmaui in §pho 203. vel firmiſſimis. Exemplorum hiſtoricorum vſus omnium maxime ſeſe aperit in natura Regnorum fundamentali indaganda, quam leges fundamentales aut plane non aut non ſatis circumſcribunt. Inde controuerſiae illuſtres intuitu ſucceſſionis examinari queunt. Exempli cauſa ſi iniectus hominibus ſcrupulus & quaedam dubitatio, vtrum Regnum aliquod ſit maſculinum an foemininum? & hoc quidem an coniugio ad maritos tranſeat? an ſit electiuum aut haereditarium? Quo argumento praeter alia certe vſus ego iam antea ſum in *meditatione ad ſanctionem pragmaticam*, cuius editio reuiſa

atque

atque amplificata ſubiungitur huic iuri publico vniuerſali, vt probetur natura fundamentalis Regnorum & ditionum haereditariarum ad SERENISSIMAM DOMVM AVSTRIACAM ſpectantium, vnde quoque evici, quod omnes terrae Auſtriacae ad feminas earumque Coniuges tranſeant. Quod ad ceteras res controuerſas in iis, quas alii contra putant, infirmandis, ita me in pertractandis eiusmodi capitibus iuris publici geſſi, vt veritatem ſententiae aliis oppoſitae probauerim ſine facta aduerſariorum mentione vt plurimum. Ceterum elaboraui, vt aliud ex alio nectendo quaeuis res, de qua tractaui, ex principiis, meo in opuſculo incluſis, conciperetur. Qui igitur initium rei cuiusdam demonſtrandae petit, altius illud repetendum non habet, quam a fonte §phorum, quos ego in quauis re demonſtranda citaui. Quoniam mihi perarduum fuiſſet, quasdam res, quas pertractaui, demonſtrare, niſi ex eius generis diſciplinis, quae implicitae ſunt cum iure publico vniuerſali & cohaerent, argumenta petierim: nonnulla, quae ad ius publicum proprie non pertinent

tinent a iure Naturae & Gentium repetii, ſed tamen, quoad eius facere potui, pauciſſima. Idem, ſed tamen alia intentione, faciendum ſibi putauit P. FRANCISCVS SCHMIER in ſua *iurisprudentia publica vniuerſali*, quam ex iure tum naturali, tum diuino poſitiuo, nec non iure gentium deriuauit. Ego vero eo contendi, vt non longius exordium rei demonſtrandae repeterem, quam ex principiis diſciplinae iuris publici vniuerſalis propriis. Eandem rationem viamque tentandam in diſciplinis omnibus cenſeo, quippe quae eſt breuiſſima atque in demonſtrando paucis nos expedire poſſumus: cum e contrario demonſtrationes ſi ab principiis philoſophiae primis argumenta deſumuntur, altius repetitae eſſe ſolent, ob eamque cauſam difficiliores longioresque. Equidem ipſae meae demonſtrationes nonnullae longiores ſunt, dum ſaepenumero propoſitiones, quae in diſciplina rationali praemiſſae vocantur, contra quam methodus neceſſario requirit, expoſite atque aperte praemunierim concluſionibus, ſed hic meum conſilium id eſt, vt hoc iis adminiculum ſit, qui

non

non tam eruditos oculos habent, quo concluſionum, quarum cum principiis non idem obtutus eſt, conſequentiam perſpiciant eruantque eam propoſitionem ex citatis §phis, quam intendo. Hoc mihi eo magis faciendum putaui, quia in plerisque paragraphis congeries materiarum, inter ſe nexarum, eſt, quarum repetita evolutio iis potiſſimum nimis moleſta fuiſſet, qui ad hanc methodum in legendis ſcriptis non adſueti quibusue, dum breuis eſſe cuperem obſcurus fortaſſe viderer, praecipue cum nouus hac methodo in diſciplinam iuris publici venio. In reliquis tamen, methodus Syſtematica vt conſeruaretur, omni ſtudio elaboraui. Quae methodus cum ex ordine principiorum atque concluſionum conſtet: facile eſt ad intelligendum, quod partes argumentandi confuſe & permixte non diſperſerim, peratteṅtum potius animum habuerim ad ordinis rationalis conſeruationem. Secundum huiusmodi ordinis leges principiis nihil prius mente concipi poteſt. Quapropter, vt primum ingreſſus ſum in iuris publici vniuerſalis tractationem, ab illius principio exordium

ordium cepi, eoque indubitato; ac quidem tali, quod mihi tam foecundum fuit, vt eius vſum & theoreticum & pragmaticum ſatis ſuperque ego certe expertus fuerim. Vſum theoreticum mihi praebuit principium, (quod *in iure imperantium conſeruandi Rempubl. ſuam* conſtituo), dum in eo eſt fons atque caput demonſtrationum omnium dogmatum iuris publici vniuerſalis, quae in hoc opere continentur. Idem Principium re ipſa atque vſu pragmatico comprobatum eſt *in Meditatione ad Auguſtiſſimi Imperatoris Romanorum CAROLI VI. Sanctionem pragmaticam de ordine ſuccedendi. & cet.* Certe quoniam idem Principium eſt *Sanctionis pragmaticae*, ſcil. conſeruatio terrarum & iurium ad AVGVSTISSIMAM DOMVM AVSTRIACAM indiuiduo nexu ſpectantium: iſtud me deduxit ad huius principii & ex conſequenti totius mei iuris publici vniuerſalis vſum pragmaticum experimento diſcendum, dum inſtitui meditationem ad Sanctionem eiusque Guarantiam.

Iam BODINVS in ſuo opere *de Republica* & HOVTVYN *in ſua Politica generali*

rali contracta, inciderunt in idem iuris publici vniuerſalis principium, eo tamen, quamuis fundamentum primum ſit omnis iuris publici, vſi non ſunt in Theſibus iuris publici, aliud ex alio nectendo, probandis. Quod autem hoc fieri & oporteat & poſſit, vt principium ponamus in diſciplinis iurium vniuerſalium, ſi intendimus certa vt ſint, quae dicimus: haec res ex eo pateſcit, quod initium rei demonſtrandae ab nulla alia re petere poſſimus, niſi a quodam principio vniuerſali indubio, euidenti. Sententia quoque PVFENDORFFII fuit, principium ponendum eſſe in iure vniuerſali contexendo, quam excellentiſſimo etiam in hac iurisprudentia BOINEBVRGIO expoſuit in epiſtola ad eum exarata, quae in GROENINGII *Bibliotheca iuris Gentium Europaea* pag. 279. reperitur: *Ego*, inquit, *Mathematicos potiſſimum ſequendos cenſerem, ſcil. vt immotum aliquod principium & quod nemo ſanus in dubium vocare auſit, conſtituatur, ex quo, quid perpetui & naturalis ſit iuris, deducatur.* Meum iuris publici vniuerſalis principium nemo eam ob cauſam, quia per ſe patet, in dubium

um vocare poterit §. 28. Cumque ex eo, quid perpetui ſit iuris publici in quibusuis rebus publicis vnius generis, deduxerim: habeo, quod voluit PVFENDORFFIVS.

Eo principio praeſtructo, ab iſto ad originem & conſtitutionem Rerumpubl. ſummaeque in iis poteſtatis acceſſi. Atque vero cum Respubl. conſtituta, compoſita ſit ex Imperantibus & Parentibus, quorum hi ex officiis, illi ex iuribus, dignoſcuntur: vtrorumque iura & officia mutuo reſpondentia conquiſiui.

Quae conuerſiones Rerumpubl. cum fieri legitime aut illegitime queant, mutatione aut Gentis aut Imperantis aut formae aut etiam interitu Rei totius publicae, ea omnibus veſtigiis indagata ad te, Lector beneuole, affero atque ita iisdem finibus tractationem iuris publici vniuerſalis, quibus Rempublicam, terminaui.

Plures, quam quarum modo mentionem feci, ſtatus Reipubl. mutationes, ex quibus mutatio iuris publici progignitur, ne fingi quidem queunt. Quorum omnium ſtatuum Reipubl. diuerſa

iura publica cum indagauerim, nec extra hos cancellos, quibus ius publicum vniuerſale circumdatum eſt, egreſſus fuerim: receptum officium a me perſolutum arbitror in eo inter alia, quod aliena non loquar, ſed fines terminosque, qui conſtituendi, perpetuo tenore curate ob oculos habeam. Quodſi cuidam non omnia, quae proferam, videbuntur eodem tenore elaborata, ille circumſpiciat pauliſper mente ſua QVINCTILIANVM & verſet in animo ſecum iſtud, quod lib. X. cap. I. etiam de magnis Auctoribus excuſandis diſſerit: *Neque id ſtatim legenti perſuaſum ſit, inquit, omnia, quae magni auctores dixerint, vtique eſſe perfecta. Nam & labuntur aliquando & oneri cedunt & indulgent ingeniorum ſuorum voluptati nec ſemper intendunt animum & nonnunquam fatigantur.* Ego vero quo minus inter magnos Auctores, vt numerer, ab aliquo impetratum habere volo: eo magis hac vti excuſatione poſſum, ſi mihi idem, quod etiam magnis auctoribus, vſu venit. Timeo, ne mihi praecipue hoc acciderit, vt mei ingenii indulſerim nimis voluptati. Hunc timorem in id confero, quod in contexendo

xendo opere Auctorum iuris publici v-
niuerſalis auxilio vſus perraro ſim, ſed
vniuscuiusque rei cohaerentiam & de-
monſtrationem ita verſauerim in animo
mecum, vt in principia mea animum
intendens, neque quaeſiuerim, quid
alii ſtatuerint, quidque rationis in fir-
manda ſua ſententia attulerint. Vidi
enim, quod dum euoluendo auctores
expedire me volui, in plures laqueos
me induerim. Neque etiam ſollicitus
fui, quo ordine aut in quae capita ius
publicum diſtinxerint auctores. Quid?
quod ne capita quidem aut ſectiones fe-
ci idque eam ob cauſam, quia prout
quamque rem breuiſſime demonſtrare
licuit ex rationibus proximis: ita com-
ponere ſtruereque hoc Syſtema volui.
Interrumpi tenorem rerum animaduer-
ti, ſi cogitationes meas certis capitibus
includerem, & non, prout quaeque res
naturali ſuo ordine mihi in mentem ve-
nit, eam tractarem. Quo tamen caput
quodque iuris publici ſuo loco reperire
poſſis, beneuole Lector, indicem adie-
ci & confeci conſpectum, in quo nexus
materiarum exhibetur. Ex nexu mate-
riarum omnia me ordine tractaſſe inte-

grum librum peruoluendo diſces quoque. Ex quo, qui cognitionem iuris publici vniuerſalis conſequi cupient, iis ea cautio ſit, vt non ante legant aliorum ſententias, quam penitus ſententiam meam eiusdemque rationes perſpexerint. Tum hoc velim ſibi perſuadeant, quod facilius de quibuslibet capitibus iuris publici tam vniuerſalis, quam particularis, praecipue Germanici, exiſtimare poterunt. Certe totum animum atque omnem curam in eo poſui, vt accommodatio eorum, quae in medium protuli, ex iure publico vniuerſali ad ius publicum Imperii praeſertim fieri poſſet. Et hoc rationis habui, cur meum ius publicum inſcripſi *pragmaticum.* Ipſi vero inſcribere hoc nomen iure me poſſe reor, quippe eius generis capita in eo pertractata, ex quibus difficiliora iuris publici particularis capita cauſaeque controuerſae publicae diiudicari queunt. „Quem vſum pragmati„cum vt quam apertiſſime planiſſime„que ob oculos ponerem, accommoda„tionem ad Sanctionem pragmaticam „Carolinam feci huiusque vſus oſten„dendi gratia eam, quam de illa paucis „ante

ante annis publici iuris ſine nomine„ feci, meditationem tanquam partem„ practicam ſeu adplicatiuam adieci. In„ illa iterata vero meditationis editione„ hae acceſſiones factae, vt §phos iuris„ publici vniuerſalis, quibus plurima me-„ ditationis capita, vt ex frequenti cita-„ tione apparet, nituntur, allegauerim„ nonnullaque noua argumenta in me-„ dium protulerim ex iure publico vni-„ uerſali, quam particulari imperii, vt„ & terrarum hereditariarum, nec non„ ex hiſtoria pactisque publicis, peti-„ ta. Praeterquam vero, quod omnium iurium tractatio pragmatica eſſe debeat, requiritur etiam, ſi quis recte philoſophari in iure intendit, vt ſagacitas in coniiciendis cauſis & ſcientia demonſtrandi adſit. Prouti hoc ad perfectum philoſophum requirit IOHANNES A SELDEN in Praefat. annot. ad HVGONEM GROTIVM. Ego vero num ius publicum vniuerſale ſagaciter perueſtigauerim, & quamlibet rem pertractatam eo, quo decet, ordine demonſtrarim, de eo iudicium cenſuramque faciat iuſtus rerum aeſtimator. Is certe, qui eius rei gnarus eſt, ex lectione §phorum

rum huius libri omnino omnium animaduertet atque diſcet, quod omnium rerum pertractatarum rationes easque in formalem demonſtrationem pro eo, ac methodus ſyſtematica poſtulat, redegerim.

Quodſi haec pertractatio eiusque methodus non diſplicebit publico & ſummi Rectoris Numen id genus eumque curſum viuendi dederit, vt ſtudiis academicis tempus impendere liceat: tum mihi hoc propoſitum eſt, vt ius Naturae & Gentium eadem ratione pertractem &, quod ad ius Naturae ſtricte ſic dictum ſtatim cuiusuis capitis vſum in iure priuato particulari praecipue in iure Romano oſtendam; quod ad ius Gentium vero, peculiariter exhibebo ius gentium pactitium Europaeum, in quantum principia iuris Gentium communis ad id accommodari queunt. Ius Naturae & Gentium Syſtematicum & pragmaticum maxime neceſſarium & fructuoſum non poteſt non eſſe, quia eodem iura, quibus reguntur Respublicae omnes, particularia, tanquam fundamento, nituntur; quippe vti omnia particularia primum ponunt vniuerſalia,

lia, ita iurium particularium rationes ex iuribus vniuerſalibus petendae, ideoque nec quisquam recte percipere vllum ius particulare Rerumpubl. poteſt, niſi in ſubſidium adhibeat iura Rebus publicis omnibus communia, i. e. ius naturae Gentium & publicum vniuerſale. His tribus iuribus omnes Res publicae reguntur. Quod ſi enim ſtatum Rerumpubl. omnium contemplamur; reperimus, quod ex imperantibus & parentibus conſtent, quodque inter imperantes & parentes, nec non inter parentes ſolos, certa iura locum habeant: vnde in quauis Republ. occurrit ius publicum & priuatum. Integrae vero Respubl. inter ſe quoque iure quodam nexae, & certis iuribus vtuntur obligationibusque tenentur; ſiquidem vt perſonae morales, in ſtatu naturali viuentes, conſiderandae, quod ius, quia Respubl. quaeuis gentem repraeſentat, *ius Gentium* vocatur. Quod iridem aut omnibus Gentibus commune, aut, quia Gentes ſuperiorem non agnoſcunt, peculiaribus pactis publicis conſtituitur: vnde *ius Gentium pactitium* ex iure Gentium communi ſeu naturali ad gentes

 adpli-

adplicato aeſtimandum. Ac quoniam prae omnibus aliis Gentibus, Gentes Europaeae variis multisque pactis publicis intuitu iurium & obligationum quam arctiſſime ſunt inter ſe nexae: etiam nihil mihi potius eſſe videtur, quam cogitationem ſuſcipere de *iure Gentium Europaeo pactitio*, praecipue nouiſſimo; quippe quo praeſens Europae Syſtema ex ea parte, quatenus Status Europae nexu quodam iurium & obligationum mutuarum inter ſe cohaerent, nititur. Quod conſilium meum deditos eius generis ſtudiis ſpero eam ob cauſam probaturos, quia ius naturae & Gentium commune ea ratione, vt ego intendo, methodo Syſtematica pragmatice elaboratum nondum exſtat; & quod ad ius Gentium pactitium Europaeum, ne in formam quidem artis & ſcientiae redactum eſt, neque in formam artis redigi poterit, niſi ius Naturae & Gentium commune, in quo materiae adplicatiue pertractatae, praemuniatur. Quem indiuiduum nexum iuris Naturae & Gentium communis & pactitii iam quoque Illuſtris LEIBNITIVS inſpexit, ideoque coniungendum cenſuit ac eadem

dem

dem ratione, vt ego modo dixi, pertractare ipſe voluit. Vt intentionem huius Auctoris recte percipias, iuuat uerba ex eius *Praefatione ad Mantiſſam Codicis iuris Gentium diplomatici* adponere: *Ipſi nobis ſeponimus*, inquit, *iuris naturae Gentiumque ſcientiam tum ex intima philoſophia - - - deriuandam; tum vero ex ipſis Gentium actis populorumque legibus atque vſu moribus recepto & exemplis denique ab hiſtoria ſuppeditatis firmandam atque ornandam.* Quibus deſtinatis exequendis quamuis ingenii mei vires pares non eſſe confiteor: tamen operae pretium arbitror me facere, ſi virium periculum faciam & in eo opere aliquid ſtudii inſumam; imitatione principii iuris publici vniuerſalis in iure Naturae & Gentium principium mihi eſt cuiusuis hominis & Gentis conſeruatio. Quod principium ſi accommodamus ad ius gentium Europaeum pactitium: conſeruatio Syſtematis & aequilibrii Europae principium iuris gentium Europaei habendum. Id quod eſt quoque ad quod omnia pacis bellique negotia in Europa tendunt, & ex quo iuſtitia omnium pactorum publicorum & foederum defendenda.

denda. Quandoquidem igitur eius generis pertractatio iuris naturae & Gentium tanti eſt in ſingulis Rebus publicis Europaeis momenti, hunc conatum non ingratum publico fore ſpero; quod quidem opus aggrediemur, ſi in eo per officii rationes otium tempusque contere-re licebit. Interea, dum haec meditor, hoc ſpecimen iuris vniuerſalis beneuolo cuiusque iudicio relinquo meque ipſum fauori lectoris commendo. Dabam Marburgi Cattorum menſe Maio. 1734.

CONSPECTVS QVO TOTIVS OPERIS NEXVS OB OCVLOS PONITVR.

QVi diſciplinam aliquam pertractat, ab illo ante omnia eius indolem indagandam cenſeo. Vt primum igitur in iuris publici diſciplinam intraui; ſtatim in prolegomenis (§. 1.) ab iuris publici indole exordium cepi. Ac quoniam ſine iure publico respublicae exiſtere non poſſunt (§. 2.): ab exiſtentia rerumpubl. exiſtentiam iuris publici vniuerſalis demonſtraui (§. 3.), quodque vnumquodque ius publicum particulare vniuerſale primum ponat (§. 4.). In quolibet iure publico particulari aeque, ac vniuerſali, principia indubitata reperiri item in quonam conſiſtant & quotuplicia ſint a §. 5. vsque ad §. 10. pertractatur. Ex nexu principiorum iuris publici patet, quod ius publicum in forma ſcientiae ſolide tractari & methodus ſyſtematica, quae optima, adhiberi queat. (§. 11.) vsque ad fin. Proleg. Dum ex vno principio indubio ius publicum vniuerſale in inſcriptione promitto: initio pertractationis (§. 21. & 22.) huius principii ſignificatum & requiſita indago. Ac quoniam vti omne ius publicum, ita & vniuerſale tractat de nexu imperantium & parentium (§. 1.): imperantium notiones & ſpecies eorumque poteſtatem ciuilem iuraque in ſubditos

&

& relationem iurium imperantium & obligationum parentium eorumque genuinum conceptum ob oculos poſui (a. §. 23. vsque 27.). Primum & vniuerſale iuris publici principium imperantis cuiusque ius conſeruandi rempubl. ſuam habendum (§. 28.). Quandoquidem igitur imperantis iura in republ. conſeruanda verſantur: naturam reipubl. perquirendam habui; quae inter ſocietates, easque inaequales referenda (§. 30. 31. 33.) exinde origo cuiusue reipubl. fluit, quod ex pacto ſit (§. 32.) cuius pacti rationem exhibeo (§. 34.) Eo pacto ſtatus ciuitatis conſtituitur. Hinc, (§. 35.) de ſtatu ciuitatis tam publico, quam priuato, deque ei oppoſito ſtatu libertatis & de iuribus, quae ex his ſtatibus proficiſcuntur, tracto. In ſtatu ciuitatis parentes ſunt, & ob hunc ſtatum actus parentium ſequi non poteſt coactio (§. 36.): in ſtatu autem libertatis viuunt imperantes populi & legati (§. 37.), ob eamque cauſam iure naturae vtuntur (§. 38. & 41.), & vt ſinguli homines in ſtatu naturali ſeu libertatis viuentes conſiderandi (§. 42.). In ſtatu ciuitatis obtinent leges ciuiles publicae & priuatae (§. 46.). Hinc de iure imperantis circa has leges, de earum latione, mutatione, diſpenſatione, interpretatione & obligatione in cuiusue reipubl. ſpecie (a. §. 43. vsque 56.) actum fuit ſigillatim autem de lege clauſula nullitatis munita, ac de lege commiſſoria deque earum obligatione intuitu tam imperantium, quam parentium (§. 57. 58. 59. 60.) Ab legibus publicis diſtinguo leges fundamentales (§. 61.) quarum indoles

doles eſt, vt totam ſtructuram reipubl. dent (§.62.). Qualis obligatio ad easdem & qualis effectus, ſi aut imperans aut parentes contra easdem peccent (§.63.64.65.); quis eas mutare, tollere, interpretari authentice, & aliam naturam fundamentalem introducere poſſit (§.66.67.68.) oſtenditur. A legibus fundamentalibus ſeparo ſanctiones pragmaticas & quis eas perferre poſſit indago (§. 69.) Quo vero fundamento nitatur ius leges fundamentales ponendi & quid iuris ad populum ſpectet, qui iura hinc ſibi reſeruare poſſit, quodque per eas leges nec tollatur nec minuatur ſumma poteſtas, oſtendo (§.70.71.72.73.&74.) Iura legibus fundamentalibus peculiariter conceſſa num naturam priuilegiorum induant, diſquiro (§.75.). Inde occaſionem capto differendi de diuerſis priuilegiorum ſpeciebus & de iure imperantis circa ea (§.76.&77.) Leges fundamentales obligare interdum imperantem, vt ordines regni in ſocietatem exercitii poteſtatis ciuilis admittere debeat, qualis imperans caput Reipubl. vocari ſolet; inde quaenam iura capitis reipubl. & quaenam obligationes in leges fundamentales (§.78.): numque parentes per leges fundamentales imperantem obligatum tenere ſibique iura reſeruare queant (§.79.): iura tamen Legibus fundamentalibus populo reſeruata, non eſſe iura populi (§.80.) demonſtratur. Vnde transgredior ad tractationem iurium populi, quibus modis ea acquirantur, transferantur & amittantur (§.81.): & ex quibus iuribus populus ſui iuris cognoſcatur (§.82.). Ac quoniam

niam imperans & populus aequalia iura habent (§. 83.) argumentor (§. 84.), quod penes populum liberum etiam ſit ius conſeruandi rempubl. ſuam; adeoque iura ex iure conſeruandi fluentia imperanti cuiuis & populo communia. Ex iure conſeruandi primo loco fluit, imperantis ius ea, quae ſpectant ad ſalutem publicam aut non contra eam tendunt, agendi aut permittendi (§. 85.) & ex hoc iure conſequitur regula, quod ſalus publica praeferenda priuatae & ſuprema lex ſit (§ 86.), quodque imperans ex lege N. in ſalutem publicam obligatus (§. 87.). Quandoquidem iurium complexio, quae ad conſeruationem & ſalutem reipubl. pertinent, efficiunt maieſtatem, & quodlibet ius particulare aut ad conſeruationem reipubl. aut ad eius ſalutem ſpectans, maieſtaticum audit: agendum duxi (§. 88.) de maieſtate & iuribus maieſtaticis. Ex vtroque conceptu fluit, quod imperans & quilibet populus habeat maieſtatem, & ex quorum iurium exercitio maieſtas colligi queat (§. 89. 90.). Indoles maieſtatis ita eſt comparata, vt vna eademque res ſit ac poteſtas ciuilis (§. 88.), quae, vti eſt ſumma & independens cum omnibus iuribus particularibus ex ea fluentibus (§. 91. & 92.): ita etiam maieſtas & iura maieſtatica ſint ſumma & independentia oportet (§. 93.) ideoque nemini ſubiecta (§. 94.). Ex conceptu Maieſtatis porro conſequitur, quod diſtingui in realem & perſonalem non queat (§. 95.), cuius diſtinctionis originem & noxias conſequentias perſcrutatus ſum (§. 96. 97. 98. 99.). Quando contra maieſta-

tem

tem aliquid admittitur:committitur crimen laeſae maieſtatis,vbi perquirendum duxi a quo & inquem committatur aut non committatur (§.100.101.104.& 106).Cuius criminis ſpecies ſunt proditio (§.102.), rebellio & conſpiratio (§.103.), eiusdem conſcientia (§.105.). Hic incidit quaeſtio; quando a crimine maieſtatis ad ſubditum concludendum & non concludendum (§.107.& 108.). Quae porro ad tractationem Maieſtatis & iurium maieſtaticorum pertinent, de his §phis conſequentibus vsque ad (§.114.) agitur. Vbi incipio ſingularia iura maieſtatica imperantibus competentia recenſere, & ſigillatim a (§. 114.) vsque (138.) ago de Imperantis maieſtatico iure defendendi rempublicam, eamque ſecuram reddendi, de iure armorum & munimentorum, & quae cum his nexa, de iure belli & pacis fœderumque. Ac quoniam ſpecies foederum eſt foedus ſyſtematicum & ſyſtema rerumpubl.: inquiro in iura & obligationes tam totius ſyſtematis Rerumpubl., quam cuiusuis membri (§.138.139.140.). In Syſtemate Rerumpublicarum aut in republica ſingulari, quando ſtatus ius foederum conſecuti ſunt, contra Rempublicam eiusque leges fundamentales & publicas foedus facere non licet (§.140.): ob eamque cauſam obſeruantia lex publica habenda (§.141.& 142.), nec etiam contra obſeruantiam (§. 144.) quidquam committere licet. Soluere quem obſeruantia aut lege eſt diſpenſare (§.147.): inde fit transgreſſio ad imperantium ius diſpenſandi

& reliqua iura maieſtatica (§. 147. vsque ad §.200.).

Pertractatis iis, quae ſunt ſub iure imperii, pergo ad ea, quae non ſunt ſub imperio, ſeu quae ex imperio ſuo imperans, qua imperans, agere non poteſt. Quo pertinet, quod alienare imperium & rempublicam non queat, (§. 200. 201. 202.): certo ſenſu vero cedere & oppignorare poteſt. (§. 203. & 204.). Sunt tamen regna, quae principi alienare licet, quae vocantur patrimonialia & mere patrimonialia; quid in his regnis iuris, numque conſtitui queant, habes (§pho 205.206.207.208.); an imperans & ea alienare queat & ſpeciatim teſtamento de eius generis regnis diſponere & legitimos ſucceſſores exheredes ſcribere, tracto (§. 209. & 210.). Ad quod decidendum de iuribus teſtamentorum intuitu ſucceſſionis agendum fuit. (§. 211. & 212.). Quandoquidem de ſucceſſionibus regnorum hic ſermo; & ſucceſſio dupliciter accidit, aut iure hereditario aut electionis: delabor ad iura regni hereditarii & electiui (§. 213.); & quod ad regna hereditaria ago de ratione ſucceſſionis gradualis & linealis (§. 214.), quodnam fundamentum hereditariae ſucceſſionis, quique titulus legitimus acquirendi & transferendi poteſtatem ciuilem ſit (§. 215.). Ad titulos transferendi refero quoque ceſſionem (§. 217.). Quae cum nitatur iure abdicandi, an rex abdicare iure poſſit regnum idque derelinquere, disquiro (§. 216.).

(§. 216.). Ceſſio autem valet tantum in regnis hereditariis, non electiuis (§. 218.). Qualis effectus ceſſionis intuitu ſucceſſionis mortuo ceſſionario (§. 219.). A ceſſione ſeparanda renunciatio in ſucceſſionem regni, cuius validitatem ſub certis circumſtantiis ſtabiliui (§. 220.). Vti hereditaria ſucceſſio, ita & electio eſt modus acquirendi & transferendi poteſtatem ciuilem legitimus (§. 221.). Qualis effectus electionis, qualia iura electorum, requiſita perſonae eligendae & ex quo regnum electiuum cognoſcatur, habetur (§. 221. 222. 223. 224. 225.): in illo interdum ius deſignandi ſucceſſorem principi traditur (§. 226.). Quae vero regna electiua & hereditaria habeant communia, ea ſunt in §phis ſequentibus, nempe enim, quando in vtrisque regnis regnum redeat ad populum (§. 227.), & quod ſucceſſores facta defunctorum principum praeſtare debeant (§. 228.) non ſolum, verum etiam iura acquirant (§. 229.), adeoque etiam praetenſiones (§. 230.), quae proteſtatione conſeruantur (§. 231.). Si quis vero princeps iura acquiſiuit, regno quaeſita eſſe cenſendum (§. 232.).

Ad Titulos acquirendi iura imperii & regna refero quoque praeſcriptionem Gentium (§. 233.); num vero vſurpator praeſcribere queat, quaero (§. 234.). Refero huc porro homagium; non Vaſallagium (§. 235.), nec inaugurationes (§. 236.), occupationem bellicam (§. 237.): per ſubductio-

 nem

nem vero non poteſt acquiri imperium (§. 238.) & ab legitimo imperante in ſubducentes transferri, niſi eius conſenſus deinceps accedat (§. 239.), ideoque ſi diſſenſum proteſtatione imperans declarat, ſubductio ſemper manet illegitima (§. 240.). Antequam imperium ab vno in alterum transfertur, interuenit, praecipue in regnis electiuis, ſaepe numero interregnum & regnum vacat. Inde ob ſedem vacantem aut ob teneram aetatem ſucceſſoris regnum per vicarios gubernandum. Vnde ago (a §. 241. vsque ad §. 246.) de iuribus & officiis vicariorum & tutorum regiorum.

Pertractatis modis acquirendi & transferendi regna eiusque poteſtatem ciuilem, me confero ad modos illa amittendi & deſinendi. Quos inter primo loco eſt regni derelictio (§. 247.), renunciatio (§. 249.), non depoſitio (§. 248.). Deſinit imperium quoque morte, &, pro diuerſitate regnorum, deficiente aut rege aut familia regnatrice (§. 250.). Si poteſtas ciuilis tali ratione deſiit: populus recipit libertatem (§. 251.). Poſt eam receptam varii effectus intuitu modi gubernandi, ſeu formae reipubl., inde proficiſci queunt (§. 252. 253.). Hic locus fuit agendi de iuribus diuerſarum reipubl. formarum: ac quidem ſigillatim (§. 254. & 255.) de monarchia abſoluta ac limitata, vbi populus poſt receptam libertatem ius habet ex regno abſoluto limitatum, ex limitato abſolutum efficiendi (§. 256.). Deinde de rebuspublicis re-

gularibus

gularibus & irregularibus, de vnione & incorporatione regnorum, deque ſyſtemate rerumpubl. (a §. 256. vsque 264.), & tandem de forma reipubl. mixta deque anarchia (§. 263. 264. 265.).

Iuribus, quae imperantibus in quauis Reipubl. forma competunt, reſpondent officia parentium (§. 266.), quos diſtinguo in ſtatus, ciues & ſubditos (§. 267.). De iuribus & obligationibus ſtatuum generalem tractationem inſtituo a (§. 268. vsque ad §. 273.): de ſubditis vero ſtricte ſic dictis, quinam proprie tales ſint & quibus obligationibus teneantur, (a §. 274. vsque ad §. 281.). A conditione parentium & ſubditorum eximo imperantes in republ. aliena degentes, legatosque & eorum comitatum (§. 282. & 283.): clerici vero ſubditi reipubl. habendi, quorum obligationes & iura indago (a §. 384. vsque ad §. 288.). Inter ſubditos referenda quoque eſt familia imperantis (§. 159.): adeoque & vxor, quamuis ipſa imperium habuit, ſi id in maritum transtulit (§ 290.). Poſt translatam a ſe poteſtatem ciuilem amittitur ius inuiolabilitatis & dignitas regalis (§. 292.), qnae, vti omnis dignitas, ex imperio fluit, indeque etiam in republ. tantum, in qua quaedam dignitas collata, obtinet (§. 293.). Vti imperans poteſt varias dignitatum ſpecies conferre (§. 294. & 295.); ita etiam infamia notare (§. 296.): praeterea poteſt ciues iuramento ſubiectionis, & eo, quo ciuis ciui tenetur, liberare. (§. 297. & 298.).

298.). Subditi ius reſiſtendi imperanti non habent (§. 299.), nec etiam magiſtratus (§. 300. & 301.), ſed decretis & legibus imperantis conuenienter agant oporte (§. 302.). Obligati quoque ſubditi ſunt ad ſeſe dedendum pro republ. vt obſides (§. 305.), a qua obligatione ſeſe proprio motu liberare non queunt, nec etiam generatim ab imperio (§. 305.). Si imperium finitum, finita eſt obligatio parentium & mors aut poteſtatis ciuilis aut reipubl. accidit (§. 306.). Ac quoniam diſtingui debent modi finiendi ſummam poteſtatem & totam Rempublicam: (a §. 306. vsque ad finem) ſeparatim de modis finiendi & ſummam poteſtatem & rempublicam ago, & ita cum fine reipubl. meum ius publicum vniuerſale finio.

CON-

CONSPECTVS PROLEGOMENORVM, QVO SINGVLI PARAGRAPHI OB OCVLOS PONVNTVR,

DE

INDOLE IVRIS PVBLICI

TAM VNIVERSALIS QVAM PARTICVLARIS

PRAECIPVE GERMANICI

ET VTRIVSQVE

COHAERENTIA SOLIDA COGNITIONE

PRINCIPIISQVE ET OPTIMA DOCENDI METHODO.

I.

De iure publico generatim deque nexu ſeu ſtructura Rerumpublicarum.

2. Ex idea Reipublicae fluit, quod nulla Respublica ſine iure publico exiſtere poſſit.

3. Datur ius publicum vniuerſale, idque differens eſt a iure Gentium, Politica generali, iure publico quouis particulari & notitia Rerumpublicarum.

4. Quid ius publicum vniuerſale ac particulare? Quot ſunt Respublicae ſingulares, tot iura publica particularia extant.

5. In iure publico tam vniuerſali, quam quouis particulari, dantur principia indubitata,

6. Quid illi indagandum, qui genuina principia iuris

publici vniuerſalis & Germanici perſpecta habere vult?

7. Quaenam Principia iuris publici vniuerſalis & particularis Imperii?

8. Quid principia iuris publici propria? quid communia? ius publicum Imperii principia habet & communia & propria.

9. Leges fundamentales & publicae Imperii ſunt principia iuris publici Imperii propria.

10. Sunt etiam principia iuris publici Imperii peregrina, quae ſuppeditat hiſtoria iuris publici.

11. Quomodo conceptus Imperii Germanici formandus? num pro vna Republica habendum? Leges fundamentales & publicae Imperii in cognitione iuris publici Imperii ante omnia perquirendae.

12. Ius publicum Imperii ſine iure publico vniuerſali ſolide tractari nequit.

13. Principia communia iuris publici Imperii cum propriis ſunt coniungenda.

14. Cum principiis iuris publici Imperii domeſticis peregrina ſunt contexenda.

15. Quo ordine ius publicum Imperii tractandum?

16. Ius publicum & vniuerſale & particulare Imperii eſt ſcientia.

17. Quomodo cognitio ſcientifica iuris publici Imperii conſequenda?

18. Iuris publici prudentia dupliciter ſumitur a ICtis.

19. In quo ſolida & certa iuris publici cognitio conſiſtat.

20. Optima Methodus tractandi ius publicum tam vniuerſale quam Germanicum eſt ſyſtematica.

)o(

CON-

CONSPECTVS PERTRACTATIONIS IVRIS PVBLICI VNIVERSALIS METHODO SYSTEMATICA NOVA RATIONE ELABORATI ET EX VNO PRINCIPIO INDVBIO DEDVCTI.

21.

QVam habeat ſignificationem Principium iuris publici vniuerſalis κατ' ἐξοχὴν dictum?

22. Requiſita Principii iuris publici vniuerſalis in ius conſeruandi Rempubl. quadrant.

23. Quid Imperans, Coimperans, Souverain, Caput Reipubl. Monarcha, Populus ſui aut alieni iuris, Vſurpator; Tyrannus? Quid Principatus, Regnum limitatum & abſolutum? &c.

24. Quae poteſtas habeatur iure proprio aut adminiſtratorio? illa eſt ſumma & independens, haec dependens. Character independentiae & dependentiae.

25. Quid poteſtas Ciuilis ſeu imperium? Extra rempublicam nullum eſt imperium. Quid Gubernatio Reipublicae? Imperans ius rempublicam gubernandi habet agereque ea, quae ſaluti & ſecuritati publicae conſulunt, poteſt.

26. Inter Imperantis iura & Parentium officia ſeu obligationes neceſſaria eſt relatio. Num Imperans in nexu Reipublicae ſit?

27. Quid Parens? Nec Tributarius nec Vaſallus Parens eſt. Inueſtitura ſola in nexum Reipubl. Vaſallum non inuoluit.

28. De Imperantis iure conſeruandi Rempubl. ſuam. Quae quidem Theſis eſt principium iuris publici vniuerſalis.

29. Quid conſeruatio Reipublicae? contra eam conſeruationem agere iniuſtum eſt. Hinc iniuſtitia dethroniſationis.

30. Quid ſocietas ciuilis? Respubl. talis ſocietas eſt.

31. Quid ſocietas & aequalis & inaequalis? quid ius perfectum & imperfectum? itidem quid obligatio perfecta & imperfecta? voluntas Imperantis voluntas Populi eſt. Tam Populus quam ſucceſſor tenetur ad defuncti Imperantis facta praeſtanda.

32. Respublicae ex pacto vel expreſſo vel tacito exoriuntur. Ex eo acquirit ſibi Imperans ius cogendi parentes ad ſatisfaciendum ipſorum officio.

33. Respublicae ſunt ſocietates inaequales.

34. Ratio pacti, quo Respublicae inſtituuntur. Hinc prima Principia iuris publici. Poteſtas ciuilis & maieſtas a voluntate humana, non diuina immediata, proficiſcitur.

35. Quid ſtatus libertatis & ciuitatis tam publicus quam priuatus? quid ius ciuile & publicum & priuatum? quid Perſona publica & priuata? Ius priuatum nec ad perſonas publicas adplicari, nec cum iure publico commiſceri debet.

36. Parentes nullum habent ius cogendi alios, multo minus Imperantem: qui inde ex promiſſione ſua tantum ipſis imperfecte tenetur. Parentes non habent ius reſiſtendi Imperanti.

37. Populi inter ſe ſunt aequales & in ſtatu libertatis viuunt, nec non Imperantes & Legati.

38. Po-

38. Populi, Imperantes, Legati iure naturae inter ſe, atque etiam reſpectu priuatorum hominum, vtuntur.

39. Quid Leges publicae? quid priuatae?

40. Leges publicae in ſtatu ciuitatis locum habent tantum.

41. Imperantes inter ſe vtuntur iure naturali & Gentium.

42. Gentes, Imperantes & Legati inter ſe ſunt vt homines ſinguli, in ſtatu naturali viuentes, conſiderandi.

43. Imperans habet facultatem conſtituendi ius publicum & priuatum.

44. Ad quos ius legum ferendarum ſpectat, penes eosdem eſt ius easdem mutandi.

45. Illi, qui ius legum ferendarum habent, poſſunt easdem abrogare eisdemque derogare & diſpenſare.

46. Interpretatio legum authentica pertinet ad eos, penes quos ius legum ferendarum.

47. Imperans in leges ſuas non eſt obligatus, in eas vero parentes perfecte obligati.

48. Imperantis obligatio ad leges iuris publici vniuerſalis imperfecta eſt.

49. Penes diuerſos pro diuerſitate formae Rerumpublicarum eſt ius leges ferendi. Vnde forma Reipubl., etiam irregularis, diiudicanda.

50. Monarcha, Coimperantes collectiue ſumti, vt & Populus liber, non tenentur legibus Reipubl. easque per abrogationem aut derogationem mutare queunt.

51. In aliis, praeter abſolutam Monarchiam, Rerumpublicarum formis leges a plurium conſenſu proficiſcuntur.

52. In Rebuspubl., in quibus ferendae leges ſuffragiis, hae ſunt ex pacto.

53. In Rebuspublicis, in quibus leges ex pacto ſunt, mutato conſenſu ſuffragantium mutantur leges & diſſenſu mutuo tolluntur.

54. In

54. In Rebuspublicis, in quibus Comitia habentur, Reſpublica per ſuffragia gubernanda.

55. Obligatio ex ſuffragiis plurimis proueniens oritur ex pacto, etiam ratione diſſentientium, ſi alias plurima vota concludunt aut aliquota pars. Quod ad effectum nulla eſt differentia obligationis ex pacto & ex ſubiectione.

56. Leges & generatim omnia, quae plurimis ſuffragiis conſtituuntur, plurimis ſuffragiis mutantur & tolluntur.

57. Clauſula nullitatis reddit actus, contra leges ſuſceptos, ipſo iure nullos:

58. Sed tantum actus Parentium;

59. Non etiam Imperantium.

60. An Lex commiſſoria Imperantes perfecte obliget?

61. Differunt leges fundamentales ab legibus publicis & Regiis. Hisce legibus nititur ius publicum particulare cuiusuis Reipublicae.

62. Leges fundamentales dant conſtitutionem & formam Reipubl.

63. An ad leges fundamentales imperantes imperfecte, Parentes perfecte, obligati? Si contra leges has Imperantes agunt: Parentibus licitum eſt non-obedire.

64. Si contra leges fundamentales Imperantes quidquam ſuſcipiunt inique agunt, ſi alii, iniuſte. Nemo habet cauſae cognitionem, ſi Imperans in leges fundamentales peccat.

65. Actus Parentium contra leges fundamentales ſunt non ſolum ipſo iure nulli, ſed & praeterea, ſi poena ſtatuta, eidem ſubſunt Parentes.

66. Leges fundamentales mutare tollereque mutuo Imperantis Parentiumque conſenſu licet & eadem ratione aliam Reipubl. formam introducere aut Rempubl. plane tollere.

67. Legum fundamentalium interpretatio authentica

non

non ſolum ad Imperantes, verum etiam ad Parentes pertinet.

8. Quando Imperans, etiam ſolus, poſſit leges fundamentales mutare, tollere & interpretari, nec non aliam Reipubl. formam introducere.

9. Sanctio Pragmatica differt à lege fundamentali. De iure ferendi Sanctiones Pragmaticas.

70. Populus quilibet ſuſtinet perſonam moralem.

71. Populus faciendo pactiones iura ſibi acquirere, ſeque obligare poteſt.

72. Populus ius habet leges fundamentales ponendi.

73. Parentes iura legibus fundamentalibus ſibi reſeruare poſſunt, eaque Imperans conſeruare tenetur.

74. Leges fundamentales nec tollunt nec minuunt ſummam Imperantis poteſtatem, neque faciunt Imperantes dependentes, ſed ſummi aeque, atque abſoluti principes ſunt hi.

75. Iura, legibus fundamentalibus relicta parentibus, non ſunt priuilegia nominanda.

76. Imperans habet ius priuilegia Gentium publica & priuata dandi.

77. Imperantes poſſunt priuilegia gratioſa adimere, interpretari mutareque, non vero iura parentibus lege fundamentali confirmata.

78. Caput Reipubl. non eſt merus Adminiſtrator, ſed habet maieſtatem & poteſtatem ciuilem ſummam atque independentem. An eius obligatio ad leges fundamentales perfecta ſit?

79. Parentes gerunt perſonam moralem ac Imperantem obligatum tenere ſibique iura acquirere poſſunt.

80. Penes parentes non reſident iura populi, Imperante conſtituto.

81. Modi acquirendi, transferendi & amittendi iura, ſecundum ius naturae & Gentium, ſunt etiam modi acquirendi

quirendi, transferendi & amittendi ciuilem poteſtatem & iura populi.

82. Nota, ex qua populus cognoſcitur & ex qua elucet, cur Populus Romanus eſſe deſierit.

83. Omnia iura quae Imperans habet, habet etiam liber populus, non vice verſa.

84. Penes populum liberum eſt ius conſeruandi Rempublicam.

85. Ad Imperantem pertinet ius ea, quae ſpectant ad ſalutem publicam, aut certe non contra eam tendunt, agendi aut permittendi.

86. Salus publica ſuprema lex eſt. Salus publica praeferenda priuatae. De Imperantis iure ea, quae cum ſalute publica pugnant, in republ. mutandi.

87. Imperans obligatus eſt & ad ſalutem publicam & ad ſalutem ſubditorum.

88. Poteſtas ciuilis & maieſtas late ſumta eſt vna eademque res.

89. Ab exercitio nonnullorum iurium maieſtaticorum non valet conſecutio ad Maieſtatem.

90. Imperans & quilibet populus habet maieſtatem.

91. Imperantes ac populi, aeque ac eorum poteſtas, ſunt ſummi & independentes.

92. Omnia iura Imperantium ac Populorum ſunt ſumma & independentia.

93. Maieſtas & ſingula Imperantis iura maieſtatica ſunt independentia & ſumma.

94. Maieſtas & Imperantis iura maieſtatica, vti Imperans ipſe, nemini ſubiecta.

95. Non poteſt diſtingui Maieſtas in realem & perſonalem eo, quo ſumi ſolet, ſenſu.

96. An diſtinctio Maieſtatis realis & perſonalis orta ſit ex diſtinctione ſubiecti communis & proprii ſummae poteſtatis?

97. An Grotius faueat diſtinctioni Maieſtatis realis & perſonalis?

98. Ex

98. Ex diuiſione Maieſtatis perſonalis & realis proficiſcitur mutua Imperantis & Parentium ſubiectio, quae abſurda eſt & hinc etiam ipſa diuiſio.

99. Sunt Imperio noxiae conſequentiae, quae ex diſtinctione ſubiecti communis & proprii ſummae poteſtatis cooriuntur.

100. Crimen laeſae Maieſtatis a nemine, niſi a Parente committitur.

101. In perſona Imperantis crimen laeſae Maieſtatis committitur.

102. Proditio Reipubl. aut etiam Imperantis eſt crimen laeſae Maieſtatis. An Miniſtri, qui cum aliis arcana ſtatus communicant, rei criminis Maieſtatis ſint?

103. Rebellio & conſpiratio eſt crimen laeſae Maieſtatis.

104. Qui non ſunt parentes, veluti Legati, non poſſunt proditores, rebelles & coniurati haberi aut puniri.

105. An Conſcientia conſpirationis ſit crimen laeſae Maieſtatis?

106. In Imperantes proprie committitur crimen laeſae Maieſtatis, non in Miniſtros.

107. A crimine laeſae Maieſtatis ad Parentes & ſubditos valet conſecutio.

108. A crimine laeſae maieſtatis, pro dignitate ſumtae, non ſemper valet argumentatio ad ſubditum.

109. Iura ex poteſtate ciuili fluentia cur dicenda Maieſtatica?

110. Leges fundamentales limitant Maieſtatem, non tollunt aut minuunt, & Maieſtas limitata manet ſumma atque independens aeque ac illimitata.

111. Poteſtas ciuilis & maieſtas vna tantum in Republ. dari poteſt & ita vnus Imperans, qui vero etiam perſona moralis eſſe poteſt.

112.Qui-

112. Quiuis Imperans habet iura & imperii & libertatis.

113. Extra Rempublicam nulla valet Poteſtas ciuilis & Maieſtas. An dentur iura Maieſtatica transeuntia?

114. An omnia iura maieſtatica ſint immanentia? ad quae primo loco referendum Imperantis ius defendendi Rempublicam.

115. Contra vim & internam & externam Imperanti eſt ius defendendi Rempublicam. Non licet rebellare, conſpirare & inuadere aut vſurpare Rempublicam.

116. Imperans habet ius defendendi Rempublicam & contra vim imminentem & contra illatam.

117. Imperanti eſt prouidere paci internae & externae.

118. Quosuis Reipublicae hoſtes Imperans a Republ. ſua ſubmouere quouis modo iuſte poteſt.

119. Imperans ius habet ea agendi, quae Rempublicam ſecuram reddunt.

120. Imperanti eſt ius ad ea, quae faciunt ad ſecuritatem publicam tam internam, quam externam.

121. Penes Imperantes eſt ius armorum ac munimentorum & quae alia ad exercitium horum iurium pertinent, vt ius praeſidii, metationis, excubiarum, armandiae &c.

122. Imperans ius conſcribendi & cogendi milites habet.

123. Imperanti competit ius ſequelae.

124. Ad Imperantes pertinet ius belli gerendi,

125. non ad parentes: hinc nulla cauſa eſt iuſtifica belli inferendi, quod Parentes bellum efflagitarint.

126. Parentes non habent ius Rempublicam defendendi contra Imperantem. An, qui ſub nomine Protectorum & Ligiſtarum boni publici veniunt, ſint rebelles?

127. Parentibus non eſt ius armorum, nec munimentorum, nec militum conſcribendorum.

8. Parentes Imperantem bellantem extra Reipubl. fines ſequi debent, donec ſtatus plenariae ſecuritatis obtentus.

9. Imperans habet facultatem finem bello ad ſuum arbitrium conſtituendi.

o. Imperanti eſt ius pacis, pro foedere ſumtae.

I. Rebelles non habent ius cum Imperante ſuo pacem faciendi aut ex ea quidquam acceptandi. Inde promiſſa ipſis non ſeruanda, niſi Guarantia aliarum ummarum poteſtatum acceſſerit.

2. Ius belli & pacis indiuiduo nexu ad Imperantes pertinet.

3. Penes Imperantes reſidet ius foedera cum aliis Imperantibus & Rebuspublicis faciendi.

4. Foedera, nec priuati commodi gratia, nec inter os, qui non ſunt Imperantes, panguntur.

5. Rebelles, Conſpiratores & Proditores non habent us ſeſe confoederandi.

6. Foedera ſunt ſeruanda, ex iisque perfectum acquiritur Imperanti ius & conſtituitur perfecta obligatio.

7. Non licet foedus antiquius per nouum, cum alio ctum, negligere.

8. Doctrina de iure circa pacta publica foederaque on tam iuris publici vniuerſalis eſt, quam iuris Genium, ea tamen neceſſaria eſt in iuribus foederis ſyematici & Syſtematis Rerumpublicarum noſcendis, uae ad ius publicum vniuerſale pertinent.

. De iuribus foederis ſyſtematici & Syſtematis Rempublicarum. De iuribus, quae quodlibet Mem-um Syſtematis retinet, & quae Syſtema in Membra abet.

. Foedera & pacta foederi ſyſtematico legibusque ndamentalibus contraria facere non licet.

. Obſeruantia eſt Lex publica habenda.

142. Quae eſt differentia a conſuetudine: cum haec inter Leges priuatas referenda.

143. Ex obſeruantia & conſuetudine iura acquiruntur & obligationes conſtituuntur, ex vſurpatione non aeque. De requiſitis obſeruantiae.

144. Contra obſeruantiam nihil conari licet.

145. Qui ius legum ferendarum in Republica habent, penes eosdem eſt etiam ius obſeruantiam mutandi aut tollendi.

146. In quantum Parentes obligati ad legem publicam obſeruandam, in tantum etiam ad obſeruantiam.

147. Imperanti ſoli eſt ius diſpenſandi.

148. Magiſtratus non poſſunt proprio iure diſpenſare, leges mutare aut tollere.

149. Statuta imperans condenda habet, non Magiſtratus; ſtatuta a Magiſtratu condita confirmatione egent.

150. Imperans eſt ſummus in Republica Iudex.

151. Imperans ſumma in Republica gaudet iurisdictione in Parentes.

152. In cauſis Parentium controuerſis habet Imperans ius cognoſcendi, ſententiam ferendi & exequendi.

153. Duella iusque manuarium in ſtatu ciuitatis ſunt illicita.

154. Parentes habent ius ſibi arbitros conſtituendi, qui vero in compromittentes iurisdictione non gaudent.

155. Compromittentes ſtare Laudo tenentur, ſi legibus conforme.

156. De officialium variis ſpeciebus & iuribus.

157. Imperans habet ius cuiuscunque generis officiales ac miniſtros conſtituendi.

158. Imperantes non ſunt magiſtratus, nec illi, qui iura imperii iure proprio exercent, officiales nominandi.

159. De iuribus & officiis Legatorum.

160. Fundamentum, ex quo omnes quaeſtiones, circa

iura inuiolabilitatis Legatorum occurrentes, ſoluendae, eſt ſtatus libertatis, in quo Legati viuunt.

61. Ad Imperantem quemuis ius legationis ſpectare debet.

62. Ad quos ius conſtituendi commiſſarios & deputatos pertineat?

63. De Imperantis iure circa munera publica.

64. De Imperantis iure circa dignitates.

65. De Imperantis iure tributa parentibus imperandi: an etiam extraordinaria ſine conſenſu ordinum?

66. De Dominio & Facultate eminenti.

67. De Imperantis iure praeferendi ſalutem publicam priuatae.

68. Imperans non ſolum habet Dominium eminens, ſed etiam Facultatem eminentem.

69. De iure imperantis in ἀδέσποτα.

70. De imperantis iure puniendi.

71. De imperantis iure vitae & necis in ſubditos.

72. De Imperantis iure aggratiandi & Aſyla conſtituendi tollendiue.

73. Imperantes in eos, qui non ſunt Parentes, & Parentes in Imperantes nullum habent ius puniendi.

74. Imperans in alterius Imperantis territorio nulla poteſtate ciuili pollet.

75. Qui eſt in territorio, etiam praeſumendus de territorio.

76. Qui in alieno ſunt territorio, illi eiusdem territorii ſubditi habendi legibusque & poenis obnoxii.

77. De iure imperantis in Parentium ſocietates.

78. Ad Imperantes pertinet ius ſocietates in Republ. inſtituendi, interdicendi & moderandi iisdemque iura & priuilegia concedendi.

79. Imperans habet ius rebus ſocietatis & neceſſitatibus Reipubl. conſulendi, exteros ab eisdem arcendi & ſub ditos ſuos praeferendi.

180. Diuerſa eſt ratio iurium Imperantis in ſocietates quando vt Imperans & quando vt Membrum ſocietatis conſideratur.

181. De Imperantis iure in vniuerſitates.

182. Quae iura Imperanti competunt in ſocietates, ea etiam in vniuerſitates.

183. De iure imperantis circa ſacra.

184. Secernenda eccleſia interna ab externa.

185. De religione interna & externa.

186. Imperans nullam poteſtatem in eccleſiam & religionem internam habet: inde Imperantis ius tolerandi in Republica diuerſas religiones.

187. Imperantis iura circa ſacra afficiunt ſolummodo eccleſiam & religionem externam.

188. Imperanti nullum ius eſt in conſcientias Parentium.

189. Eccleſia non conſtituit Rempublicam ſeu ſtatum, ſed Imperantis poteſtati ciuili ſubiecta inque Republ. eſt.

190 Nullum ius Imperii ab Imperantis poteſtate ciuili priuatiue ſeparari, ideoque nec ius circa ſacra, poteſt.

191. An alienationes iurium Imperii, quouis modo factae, ſint inualidae?

192. Sub Imperantis poteſtate ciuili continetur ius ordinationes Eccleſiaſticas & ius Eccleſiaſticum conſtituendi.

193. Ad Imperantem iurisdictio Eccleſiaſtica pertinet.

194. Imperans habet facultatem reformandi ſacra. Num adiaphora in cultu externo ab arbitrio Principis in ciuitate pendeant?

195. An Imperans habeat ius reformandi ſacra, non quod ad ritus ſolum, verum etiam, quod ad dogmata religionis, ſi ſaluti publicae aduerſantur?

196. Quie-

5. Quicquid iuris circa Synodos occurrit, ab Impe-
'antis ſumma ciuili poteſtate pendet. Inde Imperan-
i eſt ius Synodos conuocandi, indicendi, imperandi,
ɪermittendi, negandi, praeſidendi &c.
7. Imperans eſt ſummus in Republica Epiſcopus.
3. Imperans habet facultatem in cauſis Eccleſiaſticis
liſpenſandi atque etiam poenam Eccleſiaſticam irro-
gandi.
9. Num Imperanti ſoli ius Lyturgicum ſit?
0. Imperans, qua Imperans, non poteſt alienare po-
'eſtatem ſuam ciuilem: inde in gratiam peregrini nec
renunciare nec alio quouis modo in alium transferre.
1. Imperans non poteſt Rempublicam alienare, niſi
iam iure belli occupauerit, aut Lex fundamentalis hanc
'acultatem ipſi largiatur, aut omnes illi, quorum in-
tereſt, conſentiant. An alienatio aut ſubiectio Regis
mputari poſſit ad iuris Regii commiſſionem?
2. Maieſtas eſt incommunicabilis.
3. In caſu neceſſitatis & vtilitatis publicae alienatio-
ıes de particulis iurium & terrarum Reipubl., pactis
publicis factae, ſunt ſeruandae. Cedere Regnum illis,
qui ius ſuccedendi quaeſitum ſuo tempore habent,
cet.
.. Quaedam iura aut terrae Reipubl. poſſunt in de-
itis circumſtantiis oppignorari ab Imperante.
. Differentia Regni vſufructuarii & patrimonialis.
Conſenſu populi Regna poſſunt fieri patrimonialia.
. Eadem ratione conſtitui poteſt Regnum mere pa-
'imoniale.
. Regna patrimonialia aeque ac mere patrimonialia
ınt alienabilia.
. An Deſpota ex vllo iuris fundamento ſibi tribuere
oſſit ius ſibi ſubiectos ad lubitum interficiendi?
. Imperans teſtamento ſibi ſucceſſorem conſtituere

D 3 nequit.

nequit: vnde ex teſtamento Princeps ius ſuccedendi in regnum nanciſci non poteſt.

210. Princeps non poteſt legitimos ſucceſſores Regni exheredes ſcribere.

211. Teſtamenta non ſunt iuris naturalis & Gentium: ob eamque cauſam teſtamenta Principum, niſi conſenſu eorum, quorum intereſt, munita, non valent.

212. In Imperio patrimoniali & deſpotico remotior ſanguine anteferri iure poteſt, in ſucceſſione, proximiori.

213. De iuribus Regni haereditarii & electiui, vt & de iuribus Electorum.

214. De ratione ſucceſſionis gradualis & linealis in Regnis maſculinis & femininis. De iure primogeniturae. Num matrimonium iuſtam cauſam ſuppeditet marito acquirendi Regnum femininum?

215. Fundamentum primum ſucceſſionis haereditariae & diuerſorum ſucceſſionis modorum eſt pactio, cum populo facta, de ordine ſuccedendi. Succeſſio haereditaria eſt titulus acquirendi poteſtatem ciuilem legitimus.

216. Rex Regno ſe abdicare iuſte poteſt idque derelinquere: vtroque modo amittitur Imperium.

217. Cedere Princeps poteſt Regnum haereditarium proximo Cognato, non remotiori aut extraneo, ſine conſenſu Ordinum & eorum, quorum intereſt.

218. Princeps Regnum electiuum alteri reſignare ſeu cedere nequit ſine Electorum conſenſu.

219. Illi, qui iura imperii ceſſione accepit, non ſuccedit cedens, caſu eueniente, ſed proximus haeres ceſſionarii. De effectibus reſignationis ſub pacto independentiae.

220. Renunciationes obligant renunciantes eorumque liberos naſcituros & etiam natos, ſed pro diſtinctione Regnorum, horum & populi conſenſus neceſſarius eſt aut non eſt.

221. Ele-

1. Electio eſt modus transferendi & acquirendi Regnum electiuum legitimus: ſtatim a tempore electionis Electus legitimus imperans eſt.

2. An Electores ſoli Leges fundamentales conficiendi habeant facultatem?

3. An liceat mutare leges fundamentales & naturam Regni fundamentalem & quibus licitum?

4. Ille tantum poteſt ad ſucceſſionem Regni vocari aut eligi, in quo concurruut omnia requiſita, quae Leges fundamentales poſtulant. Quem requiſita deficiunt, ille iure excluditur a ſucceſſione & electione.

5. In quo Regno noua electio facienda toties, quoties nouus Imperans ſuccedit, illud Regnum eſt electiuum, quamuis haeredes continens Imperium habeant. Num Pactum Imperantis de ſuffragio, haeredibus ſuis ſemper dando, Regnum reddat ſucceſſiuum?

6. De effectibus iuris deſignandi ſucceſſorem eligendum.

7. An dentur Regna electiua, ſucceſſione haereditaria mixta? Quando Imperium redeat ad Populum & Populus recipiat libertatem in Regnis electiuis aut haereditariis maſculinis & femininis.

8. Succeſſor Regni tam electiui, quam ſucceſſiui, facta publica Deceſſoris praeſtare tenetur, vt & libera Respublica eiusque Rectores facta defunctorum ciuitatis Primorum. Si Succeſſor Regni eſt ſimul haeres omnium bonorum, in quantum ea ſufficiunt, facta priuata praeſtare debet.

9. Iura a Principe defuncto Reipublicae acquiſita Succeſſor continuare legitime poteſt.

10. De iure Praetenſionum. Praetenſiones tranſeunt ad Regni tam electiui, quam haereditarii, Succeſſores.

11. Proteſtationes & tacitae & expreſſae conſeruant Praetenſiones.

232. Ope & nomine Regni acquiſita à Rege Regno acquiſita ſunt, non familiae Regis.

233. De praeſcriptione Gentium. Sub praeſcriptione Gentium non ſolum praeſcriptio inter Gentes intelligenda, verum etiam inter Ordines eiusdem Gentis. Imperans contra Parentes & Parentes contra Imperantem praeſcribere poſſunt iurium Imperii exercitium. Exempla hiſtorica iura publica Rerumpublicarum non ſolum illuſtrant, ſed in debitis circumſtantiis firmiter probant.

234. Num Vſurpator praeſcribere Imperium & legitimus Imperans fieri queat?

235. Cui Homagium praeſtatur, illi eo acquiritur Imperium & iuramento abiurationis contra praetendentes corroboratur. De Regnis feudalibus: an Vaſallagio ſummum Imperium minuatur aut tollatur?

236. Inaugurationes ſiue Coronationes nihil noui iuris conferunt Regi electo aut iure haereditario ſuccedenti.

237. Occupatio bellica eſt modus legitimus acquirendi & transferendi iura imperii ex iure Victoriae, pace firmato. An ſine conſenſu ſubiugatorum Victor in deuictos habeat legitimam poteſtatem?

238. De iure ſubductionis. Num ſeſe ſubducere Imperio ſine conſenſu Imperantis iuſte vllo modo Parentes queant?

239. De cauſis ſubductionis legitimis. An ex ſubductione illegitima Reſpublica libera exoriri & ſubductio legitima fieri queat?

240. Imperans, qui proteſtatur contra ſubductionem factam, conſeruat Imperium ſuum, niſi proteſtatio ſit facto contraria.

241. De iuribus Vicariorum interregni tempore. Num Vicarii ſint tantum Miniſtri ſummae poteſtatis ac Legis habendi?

242. Tu-

42. Tutela Regia eſt iuris naturalis & locum habet non ſolum in Regnis haereditariis, ſed etiam electiuis. Quae ſunt iura Vicariorum, ea ſunt quoque Tutorum Regiorum.

43. An Tutores legitimi teſtamentariis Principum praeferendi? Quando Vicarii Legibus fundamentalibus conſtituti, illi ſunt prae omnibus etiam Tutores Regis Minorennis.

44. Ab iis Vicarii & Tutores Regii conſtitui poſſunt, qui habent facultatem Imperium Imperanti conferendi. Inde ſolutio quaeſtionis Grotianae, an Imperatori poſſit hodie Vicarius dari a Populo Romano?

45. Num Vicarii & Tutores Regii ita habeant ciuilem poteſtatem, vt ad rationes reddendas ſint obligati? De ratificationibus publicis & de effectu ratificationis, ſi Princeps maior annis ſit & ad acta Vicariorum rata habenda Legibus fundamentalibus tenetur.

46. Tanta eſt Vicariorum & Tutorum Regiorum poteſtas, quanta Imperantium, niſi quaedam legibus excepta. An Vicariorum poteſtas ſumma?

47. Derelictione Imperia amittuntur. Num Princeps iure derelinquere Regnum poſſit, etiam contra Legum prohibitionem & invito Populo?

48. Parentibus non competit ius deponendi Imperantem: ideoque Imperans depoſitione non amittit Imperium. Argumentum in contrarium, ab Abbadie in tractatu: Defenſe de la Nation Britanique p. 261. adductum, ex eo, quod Parentes in Imperantem nullum ius coactionis habeant, ſolui poteſt.

49. Renunciatio eſt modus amittendi ciuilem poteſtatem, niſi ius ad ſuccedendum renuncians ſibi & haeredibus in certum caſum reſeruet.

50. Imperium familiae regnatricis deſinit in Regno maſculino maſcula prole: in feminino prole vtriusque

 ſexus

ſexus deficiente: in Regno electiuo morte ſinguli electi Regis.

251. Quibus modis & quo tempore definit Imperium, iisdem modis & eodem tempore Populus recipit libertatem.

252. Poſt receptam libertatem Populus iuſte & legitime poteſt aut in libertate ciuili permanere, aut alium ſibi Imperantem ad arbitrium eligere, aliamque Reipubl. formam inducere, legesque fundamentales & naturam Reipublicae fundamentalem mutare aut tollere.

253. Conuerſio formae Reipublicae quamnam afferat conſecutionem in Reipublicae gubernatione & ſucceſſione?

254. De Monarchia & poteſtate abſoluta ac limitata.

255. Limitata poteſtas manet ſumma & independens. Ex quo colligendum, quaenam Regna magis aut minus limitata?

256. Populus habet facultatem ex Regno abſoluto limitatum & viciſſim ex limitato abſolutum efficiendi. Vtrum in Regno limitato Imperantis obligatio ad ordinum conſenſum perfecta ſit, an imperfecta?

257. De Rebuspublicis regularibus & irregularibus.

258. Syſtema Rerumpublicarum inter nullam Reipubl. formam referenda. In Syſtemate Rerumpublicarum tot ſunt Respublicae liberae, quot Ciuitates ſingulares in eo continentur.

259. Ex quo iura cuiusue ciuitatis, quae in Syſtemate Rerumpublicarum continentur, deriuanda? Unio Regnorum non facit Syſtema Rerumpublicarum.

260. Differt confoederata Respubl. a Syſtemate Rerumpublicarum. Membra confoederatae Reipublicae iura Imperii non habent omnia, ſed ea tantum, quae ope confœderationis obtinuerunt.

261. De vnione Gentium & terrarum, quae dupliciter fieri

fieri poteſt & differens eſt ab incorporatione. De ratione vnionis & incorporationis terrarum, quas Victor ſubegit, ſi pace de modo habendi nihil expreſſe conuentum.

52. Forma cuiusque Reipublicae ex legibus fundamentalibus & natura Reipubl. fundamentali cognoſci poteſt. Disquiſitio nominis formae Reipublicae irregularis eſt inanis.

53. An Forma Reipublicae mixta concipi mente poſſit?

54. An Imperium Germanicum ſit Respublica mixta? Nihil iuuat Imperii formam nomine inſignire, cum eius naturam fundamentalem ex legibus cognoſcere detur.

65. An Anarchia Respublica ſit habenda?

66. Singulis Iuribus Imperantis reſpondent officia Parentium. An de Officiis Parentium tractare ſigillatim neceſſarium?

67. An Parentes diſtingui in Status, ciues & ſubditos poſſint? De iuribus Statuum generatim.

68. Adplicatio ideae Status generalis ad Status Imperii & Reipublicae Belgicae.

69. De Statibus Prouincialibus eorumque iuribus.

70. Unde iura Statuum deriuanda ſint?

71. Pro diuerſa conſtitutione Rerumpublicarum Status Coimperantes haberi & non haberi queunt.

72. An Status ſinguli cuiusuis generis & conditionis ſint Parentes & ſummae Reipublicae poteſtati ſubiecti?

73. De Statuum obligationibus ad ea, quae communi conſenſu Reipubl. cauſa decreta ſunt.

74. Inter Imperantes & Subditos eſt ſtatus inaequalitatis. Inde ſtatus ciuitatis eſt ſtatus inaequalitatis: & ſtatus naturalis ſtatus aequalitatis.

75. An Subditi generatim Serui Reipublicae dicendi?

276. Sub-

276. Subditi in Regno herili ſunt etiam Serui Regni.

277. De libertate ciuili. In libertate ciuili viuunt Imperantes, Coimperantes, & Populi ſui iuris.

278. Subditi Imperio Imperantis obedire debent & contra ipſius voluntatem nihil, quod ad Statum publicum ſpectat, agere queunt.

279. An tantum ii proprie Subditi & Parentes habendi, qui intra Reipubl. terminos commorantur?

280. Penes ſummam poteſtatem eſt ius declarandi in bannum. De modo declarandi in bannum in Regnis limitatis.

281. Peregrini, quamdiu in Republ. commorantur, tamdiu eius ſubditi: ideoque obnoxii Reipublicae legibus & pœnis.

282. Imperans, vt Imperans, & Legatus, in aliena Republica receptus, huic Reipubl. non eſt ſubiectus: quod contra eſt, ſi Imperans aut Legatus pro tali non receptus & agnitus, quod ſummae poteſtati licet.

283. Comitatus Imperantis & Legati, in aliena Republica commorantis, non eſt ſub huius Reipublicae poteſtate ciuili, niſi expreſſe aliud cautum.

284. Clerici ciuili Reipubl. poteſtati ſubiecti.

285. Clericorum non eſt leges dare, iuraque conſtituere, iurisdictionemque exercere & pœnas eccleſiaſticas, ſine auctoritate Imperantis, eccleſiae membris imponere. Ordo Clericorum in omnia eſt obligatus, in quae ordo Parentium.

286. Male diſtinguitur poteſtas in ſaecularem & eccleſiaſticam.

287. Clericorum eccleſiaſtica poteſtas & iurisdictio ſubordinata eſt iurisdictioni Imperantis: ac ita ab hac pendet & irrita reddi poteſt.

288. Quot ſunt Respublicae, tot ſunt ſummae in eccleſiam poteſtates: vnde non datur cognoſcere Hierarchiam vniuerſalem.

289. Familia imperantis huius poteſtati ciuili ſubiecta. Num ſanguine coniuncti cum imperante, capitaliter puniri iuſte queant?

290. Femina abdicare ſe Imperio, illudque transferre in Coniugem, ſeque ei ſubiectam reddere, aut communiter Regnum regere poteſt.

291. Nulla datur ſubordinatio ſubditorum proprie ſic dictorum: ideoque impropria eſt diuiſio eorum in mediatos & immediatos.

292. Quoniam ex Imperio, tanquam ex fonte, omnis dignitas fluit, non poteſt non ille, qui Imperium alienat aut ſe eodem abdicat, amittere dignitatem regalem & ius inuiolabilitatis, Imperantibus competens.

293. Dignitates in Republica tantum, in qua collatae, valent: vt & leges de proedria, quae proinde inter Imperantes ceſſat, niſi more Gentico aliter obtinuit.

294. De differentia dignitatis & honoris in Republ.

295. Cuiusque Reipubl. ſummae poteſtati tribuendum ius conſtituendi gradus nobilitatis ad haeredes transeuntes.

296. Imperans poteſt degradare & infamia notare, ſed poteſt tantum ſibi ſubiectos. Extra Reipublicae terminos infamia ſine iuris effectu eſt.

297. Nemo, niſi ipſe Imperans liberare Parentes obligatione parendi poteſt & a iureiurando ſubiectionis ſoluere. An ſubditi libere emigrandi habeant facultatem?

298. Imperans ſacramento, quo ciuis ciui tenetur, ſoluere poteſt.

299. Quando non iniuſta ſit Parentium non obedientia? An in ſumma & ineuitabili neceſſitate ſubditi Imperanti reſiſtendi habeant Licentiam?

300. Magiſtratus ſub nullo praetextu Imperium Imperantis abnuere queunt.

301. Magiſtratus non habent ius reſiſtendi Imperanti.

302. Sen-

302. Sententiae Magiſtratuum, in cauſis controuerſis, legibus debent eſſe conformes.

303. Quo ſenſu reſiſtere parentes poſſint, ſi quid Imperans praecipiat, quod legibus fundamentalibus contranititur?

304. Obligati Parentes ſunt ad ſeſe dedendum vt obſides pro Republica. Tamdiu durant obſidum obligationes, quamdiu ſecuritas nondum alia ratione obtenta, aut promiſſa ſunt ſeruata.

305. In Imperantis voluntate poſitum, quem recipere & admittere in Rempublicam, quem ex eadem exterminare, velit: non tamen ſine cauſa; alias inique agit. Iniuſte agunt Parentes ſi ſeſe Imperio liberant. Libertas non eſt res merae facultatis.

306. De Vita, Morbo & Morte Reipublicae. Mutatio formae Reipublicae non mutat iura & obligationes Reipublicae.

307. Quibus modis mutetur aut ſoluatur ſumma poteſtas Resque publica & a quibus? Differt mutatio & ſolutio ſummae poteſtatis ab mutatione ac ſolutione totius Reipublicae.

308. Vnde alii ſunt modi finiendi ſummam poteſtatem, alii finiendi Rempublicam.

309. De modis finiendi ſummam poteſtatem.

310. Quibus, diuerſis modis, pro diuerſitate Regnorum, Regni vacatio accidat?

311. An tempus ſit modus Imperium finiendi, ſi tempus Imperio praefinitum fuit in eius translatione?

312. Praeſcriptio, abdicatio, ceſſio, renunciatio, derelictio ſunt modi finiendi ſummam poteſtatem.

313. An in Regnis feudalibus Felonia Regis ſit modus amittendi iura Imperii & finiendi ſummam poteſtatem?

314. Num Imperantis animus hoſtilis in Rempublicam ſit modus amittendi Imperium?

315. Num, ſi bello coactus Princeps fuit ad Regnum derelinquendum aut eidem renunciandum, ita amittat Imperium, vt iuſte recuperare nequeat?

316. Vnione Gentium & terrarum non amittitur ſumma poteſtas & ius independentiae, ſed incorporatione.

317. Vnione Gentium & terrarum iurâ Reipubl. peculiaris in quauis terra vnita non intereunt. Aliter eſt, ſi Reſpublica incorporatione in formam Prouinciae redigitur.

318. Quibus modis moriatur aut intereat tota Reſpublica.

PRO-

Digitized by Google

PROLEGOMENA
DE
INDOLE IVRIS PVBLICI
TAM VNIVERSALIS, QVAM PARTICVLARIS
IMPRIMIS GERMANICI,
ITEM DE VTRIVSQVE
COHAERENTIA, SOLIDA COGNITIONE PRINCIPIISQVE ET OPTIMA DOCENDI METHODO.

§. I.

De I. P. generatim deque ſtructura Rerumpublicarum.

I*Vs publicum generatim* ſitum eſt in legum complexione, quæ ſanciunt de iuribus et obligationibus inter imperantes et parentes. Quando autem referuntur iura et officia imperantium ad parentium officia et iura, aut ſi conſiderantur viciſſim obligationes et iura parentium et quæ iis mutuo reſpondent iura et obligationes imperantium, in eorum, ſive quod idem, *in republica nexum* ſeu *ſtructuram conſide-*

ſiderationem nos *intendere* dicimur. Quare ſi nos paucis in finiendo iure publico expedire cogitamus, hisce quidem verbis faciendum eſt: nempe enim, quod *ius publicum omne in imperantium parentiumque* ſeu *reipublicæ nexu poſitum* ſit.

§. 2.

Nulla Respublica ſine iure publico exiſtere poteſt.

Respublica eſt ſocietas, quæ nexu imperantium parentiumque continetur. Proinde vbi rempublicam offendis, ibi offendas neceſſe eſt imperantium nexum atque parentium. Eius generis vero nexus, qui compoſitus ex imperantibus ac parentibus, aliud nihil ſignat, quam ius publicum (§. 1.). Habes igitur generale pronunciatum: *Vbicunque terrarum et gentium respublica exiſtit, ibi etiam ius publicum exiſtit*, et vice verſa, *vbi extat vnum ius publicum, ibi eſt vna respublica*, atque ex conſequenti nec vlla respublica ſine imperantibus atque parentibus, itidemque ſine iure publico eſſe, ac ne fingi quidem, poteſt. Ab republica ſecerni ab nonnullis ſolet ciuitas, vti ab HVBERO in *Iure Ciuitatis* Lib. 1. Sect. 2. c. 2. n. 18. factum vbi rempublicam differre a ciuitate perhibet, vt animam a corpore, i. e. vt internum et externum. Namque *ciuitas* ipſi eodem loco

n. 1.

n. 1. habetur *Cœtus perfectus familiarum iuris fruendi vitaque ſibi ſufficientis gratia*, ſub eodem *ſummo imperio*, *ſociatus*. Omnis cœtus autem ſignificat multitudinem hominum corporalem ſeu externam. At cum ſocietas atque adeo respublica pro eo, ac eam initio huius paragraphi finiuimus, duntaxat conceptus mentis, id eſt, internus ſit: videre ciuitatis et reipublicæ differentiam, quam HVBERVS indicauit, licet. Verum quoniam ex hac diſtinctione nullum fructum capimus, ac præterea vocabulum ciuitatis in duas aut plures ſententias trahi poteſt: vocabulo reipublicæ, quam ciuitatis, in hoc opere vti malui.

§. 3.

Neminem omnium, qui viuat, eſſe arbitror, quem ea res nonnullam in dubitationem queat adducere: *an respublicæ dentur?* Datur enim intueri plures respublicas, dummodo perluſtremus Europæ partes, quæ, vt de parte orbis terrarum notiſſima duntaxat loquar, quanta quanta eſt, ex rebuspublicis conſtat. Recte igitur dici poteſt, ob hanc rerumpublicarum exiſtentiam ius publicum etiam in iisdem exiſtere (§. 2.). Ac quandoquidem nexus imperan-

I. P. vniuerſale differt a I. G., Politica generali, I. P. quouis particulari et notitia Rerumpubl.

perantium ac parentium in republica quacunque reperitur (§. cit.): non poteſt non quoque in republica quacunque eiusmodi ius publicum eſſe, quod in rempublicam omnem quadrat apte (§. 1). Ad omnes enim respublicas quadrat quidem nexus imperantium ac parentium (§. 2.): ergo omni reipublicæ etiam conuenit ius publicum quoddam (§. 1.). Id vero ius publicum, quod congruens et conueniens omni reipublicæ eſt, ſonat *ius publicum vniuerſale.* Ergo exiſtit ius publicum vniuerſale: quod HVBERVS de Iur. Civ. S. I. c. 1. n. 10. *ius gentium publicum* nuncupat, ob id, quod respublicæ nomine gentium venire ſolent (§. 37.), et ius publicum adeo gentibus omnibus conuenit. Exiſtentia eius generis iuris publici, quod vniuerſis gentibus et rebuspublicis commune, demonſtrata, non neceſſe duco, ut argumenta eorum, qui exiſtentiam iuris publici vniuerſalis negarunt, reſoluam; quos inter familiam duxit GRÖNINGIVS in *Bibl. I. G. exot. Cap. I. n. 24. et in diſcurſu præliminari Bibl. Iur. Gent. Europ.* Ad cuius argumenta in contrarium adducta reſpondit Ill. HERTIVS in peculiari *epiſtola ad amicum, iuſtas continente vindicias aduerſus nuperum Bibliothecæ Iuris Gentium Europeæ editorem.* Intermitto quo-

quoque oſtendere differentias iuris publici vniuerſalis a iure gentium, politica, notitia ſingularis reipublicæ, et iure publico particulari: quæ differentiæ illis per ſe manifeſtæ ſunt, qui naturam harum diſciplinarum intelligunt. Earum vero intelligentias mente concipere poterit is, qui peruoluit ILLVSTRIS BÖHMERI *introd. in ius publ. vniuerſ.* Cap. III. part. gener.

§. 4.

Quid I. P. vniuerſale ac particulare? Quot Resp. ſingulares tot iura P. particularia.

Quoniam dixi rempublicam in orbe terrarum eſſe nullam, quin illic ius publicum in vniuerſum detur (§. 3.): hæc concluſio ex neceſſaria conſecutione conficitur, *quot ſunt respublicæ ſingulares, tot iura publica ſingularia exſtant.* Iuris publici exinde facilis eſt et expedita diſtinctio in *vniuerſale* atque *particulare.* Datur enim intueri ius publicum vniuerſale (§. 3.), quod quidem definiri poteſt, quod conſiſtat in imperantium parentiumque nexu (§. 1.), qui in omnem rempublicam quadrat (§. 3.). Poteſt ergo *ius publicum particulare* breui circumſcribi, quod ſignet nexum imperantium parentiumque (§. 1.), qui in ſingulares tantum respublicas conuenit. Ex quo fonte fluunt tam multiformia

variaque aliorum, præter ius publicum Germanicum, regnorum et rerumpublicarum iura publica; nullaque eſt, ne minima quidem respublica in orbe terrarum, quæ non habeat proprium ius publicum, prout quoque confirmant ampliſſime Scriptores, qui ius publicum Regnorum et Statuum, præcipue hodie in Europa florentium in commentarium retulerunt. Quibus Scriptoribus plenum eſt integrum *Caput decimum quintum Bibliothecæ Iuris Selectæ Viri illuſtribus diſciplinis eruditi* BVRCHARDI GOTHELFII STRVVII, doctoris mei, quem olim habui, percolendi. Confer. *notæ ad proemium* VITRIARII *illuſtrati.* Leges ipſas vero publicas et fundamentales præcipuas, quæ ad ſtudium iuris publici Europæi tanquam principia pertinent, ut et fœdera et pacta rerumpublicarum Europæarum, quæ ad ius gentium pactitium ſimul faciunt, cognoſcendum, continet præ aliis, qui notiores ſunt, DV MONTII *Corps vniuerſel diplomatique du Droit de Gens, ou Recueil de Traités de Paix, etc. depuis Charles Magne iusque a notre temps.*

§. 5.

In I. P. vniuerſali et particulari principia indubitata.

Definitionibus queunt ea, quæ cadunt in ius publicum tam vniuerſale quam particulare, declarari:

rari : ſiquidem iam definitiones vtriusque iurispublici (§. 4.), nexus reipublicæ (§. 1.) atque rei ipſius publicæ (§. 2.) videre eſt. Qui ad Philoſophiæ ſcita peruenit, illi non incognitum, quod definitiones ad principia referantur, eaque prima, propterea quod in illis, pro eo ac eſſentia principiorum requirit, rationes, quæ primario loco ſunt, continentur de iis, quæ rei cuipiam conſentientia aut repugnantia. Ex quo perſpicuum cuique opinor, ineſſe iuri publico et vuniuerſali et particulari principia. Quæ autem definitiones rite ſunt formatæ, illæ non poſſunt non ob principium contradictionis locum tenere principiorum indubiorum : vnde facile eſt ad colligendum, in iure publico tam vniuerſali, quam particulari principia indubia ob id poni poſſe inter alia, quod propriam cuiusque rei vim vt definitione declaremus fieri poteſt. Ex quo fonte, ſi modum argumentandi legitimum adhibeas, neceſſe eſt, resque ipſa cogit, non niſi indubia emanare. Quas ob res iuris publici incertas opiniones excutere nobis poſſumus atque etiam debemus, quoniam dubitanter unumquodque dicimus, opinione dominante. Certe ego his rebus adductus argumentis, non opinionibus doctorum, in hoc opere egi et prin-

 cipiis

cipiis uſus ſum, niſi me omnia fallunt, omni iure clarioribus: quo in iſta diſciplina iuris publici, quæ, prout ex eius indole modo deduxi, veritatis indubiæ, atque adeo certo nititur fundamento, certa quoque ſint et fixa, quæ dixero, mihique et lectori ſtare ſententia queat.

§. 6.

Quid illi indagandum, qui genuina principia I. P. vniuerſ. et Germanici perſpecta habere vult?

In principiorum numero illæ ducuntur veritates, in quibus aliæ nituntur (§. 5.). *Iuris publici* itaque *principia* nominanda rite ſunt generatim illæ leges, quibus nexus imperantium parentiumque eſt innixus (§. 1.). Sigillatim vero in *iuris publici Germanici* principiorum numero illæ leges reponendæ, quibus nexus imperatoris ac ſtatuum imperii innixus. Nexus is autem cum in iurium imperantium et obligationum parentium relatione conſiſtat (§. 1.) atque ita ſpeciatim in imperio in mutuis iuribus et obligationibus imperatoris et ſtatuum: conſequens eſt, vt, qui velit iuris publici vniuerſalis aut Germanici principia reperire ac perſcrutari, illi opus ſit, in *hoc uſu*, iura et obligationes mutuas imperatoris ordinumque imperii, in *illo* imperantium ac parentium generatim indagare.

§. 7.

§. 7.

Quænam Principia I. P. vniuerſ. et particularis Imperii?

Quando quis itaque principia iuris publici aut vniuerſalis aut particularis Germanici in medium proferre intendit, illius partes ſunt, quod ad *ius publicum vniuerſale*, vt perquirat illas leges, quibus iura imperantium officiaque parentium, quæ in quacunque republica obtinent, incluſa continenrur: quod ad *particulare Germanicum*, vt eas leges imperii, quæ de iuribus imperatoris ac ſtatuum imperii, itidemque obligationibus decernunt ob oculos ponat (§. 4. et 6.); ac quidem huic hoc propoſitum eſſe debet, vt oſtendat, quænam iura et obligationes, quæ nexum imperatoris ac ſtatuum conſtituunt, in illis non ſolum expreſſe conſcripta ſint, ſed etiam quæ vlteriori per ea, expreſſe conſcripta, ratiocinatione confici queant, principiis iuris publici vniuerſalis auxiliantibus.

§. 8.

Quid Principia iuris publici propria, communia: qua-

Illa, quæ ad omnem rempublicam quadrant, *iuris publici principia*, adpellantur *communia:* quæ ſingulari tantum reipublicæ

lia habet I. P. imperii. conueniunt, *propria* nuncupantur. ius publicum vniuerſale principia omni reipublicæ conſentanea ſuggerit, eaque ius particulare publicum, quæ in ſingulari tantum republica locum habent (§. 4. et 5.). Quare, cum habeamus ius publicum vniuerſale ac particulare in republica omni (§. 3. et 4.), noſtrum *ius publicum Germanicum habet* etiam *principia propria et communia.*

§. 9.

Leges fundamentales et publicæ Imperii ſunt principia propria. Propria iuris publici Germanici principia, ſecundum generalem propriorum principiorum definitionem (§. 8.), dicenda ea ſunt, quæ de nexu imperantium parentiumque agunt (§. 1.), atque ad imperium ſolum accommodari queunt (§. 8.). Huius generis leges vero audiunt fundamentales et publicæ imperii. Hinc *leges imperii fundamentales et publicæ propria iuris publici Germanici ſunt principia.*

§. 10.

Quæ peregrina, quæ ſuppeditat hiſtoria. Celebrantur præterea quoque *principia iuris publici Germanici peregrina*, ſub quibus ea omnia, quæ

quæ partem iuris publici Germanici non conficiunt, intelliguntur; verum tamen ex iis veritates iuris publici Germanici eruuntur. Hiſtoria iuris publici facta ſuppeditat ea, ex quibus multiplicia iuris publici capita plana fiunt. Quare cuiusque iuris publici hiſtoria ad principia pertinet peregrina eiusdem iuris. Non dubito fore, vt legentibus illa ſuccurrat quæſtio: num facta publica et exempla hiſtoriarum probent iura contra regulam, vetuſtate iam contritam? Exempla alias non probant, ſed illuſtrant: verum facta publica et exempla, cum debitis circumſtantiis conſiderata, vel firmiſſime iura publica gentium probare, et in iuribus ſummorum imperantium deducendis perplurimum referre, infra (§. 233.) oſtendi, atque additis nonnullis aliis rationibus ſatis euidentibus hunc modum argumentandi per exempla accommodaui in *Meditatione ad Sanctionem pragmaticam Carolinam* ad probandum ius ſuccedendi feminarum domus regnatricis in regnum Bohemiæ et terras incorporatas. Quæ cum ita ſint: non poſſunt non facta publica imperii et exempla hiſtoriarum germanica, quæ ſpectarunt ſtatum publicum, probare iura imperii publica, ac adeo iſta hiſtoriæ Germanicæ capita, ex quibus

bus quidquam iuris publici deducere licet, ad hiſtoriam iuris publici pertinere. Hique ſunt ergo hiſtoriæ iuris publici imperii et hiſtoriæ imperii termini, vt ex quibus factis nihil iuris publici poteſt demonſtrari, illa nullo modo ad iuris publici hiſtoriam referenda.

§. II.

Quomodo conceptus Imp. germ. Num hoc vnaReſp. Vnde eſt cognitio.

Vocabulum Imperii Germanici, quod et κατ' ἐξοχὴν Imperium vocari ſolet, ſi non pro complexu ſtatuum imperii ſumitur, valere debet rempublicam, quæ nexu imperatoris ordinumque imperii cohæret. Definiendum eſt imperium per rempublicam eamque vnam, quoniam vno iure publico communi inter ſe imperator et ſtatus ſunt nexi, a quo ad vnitatem reipublicæ concludere licet (§. 2.). Quibus aliis rationibus hæc vnitas reipublicæ in S. R. I. defendi ſoleat, eas afferunt LYNCKERVS in *Diſſ. de forma* S. R. I. et KVLPISIVS de *vnitate reipublicæ in S. R. I.* quas infirmiores vero eſſe tradit TITIVS in *ſuo ſpecimine iuris publici* Lib. 7. cap. 9. Si quando principia iuris publici Germanici exquirere atque eruere animo intendimus: noſtrum eſt hoc munus, vt pertentemus ex omnibus partibus fundamenta, in quibus iura obligationesque Impera-

peratoris ordinumque nituntur (§. 6.). Quæ quidem iura officiaque cum ex legibus imperii fundamentalibus ac publicis ducantur (§. 9.): leges imperii fundamentales ac publicas euoluendas illi ante omnia non ſine cauſa ducimus, qui fundamenta iuris publici Germanici ponere intendit eaque rimari.

§. 12.

I.P. Imperii ſine I.P. vniuerſali ſolide tractari nequit.

Cum ex imperii definitione habeo cognitum, quod illud idem imperium reipublicæ ſpecies ſit (§. 11.): fieri non poteſt, vt noſcatur et percipiatur imperii facies absque reipublicæ notione. Ac quoniam reipublicæ omni ius publicum vniuerſale conuenit (§. 3.): nego poſſe imperii intelligentiam animo ac mente concipi ſine ſubſidiis iuris publici vniuerſalis, neque vero etiam vlla reſpublica ſingularis ſine iure publico ſingulari in rerum natura eſt (§. 4.). Quare, vti imperium eſt ſpecies reipublicæ ſingularis (§. 11.): ita ius publicum imperii ſine iuris publici vniuerſalis cognitione noſci poſſe nego. Quæ res quoniam pateſcit: minime latere poteſt, quod neceſſario connexum ſit ius publicum imperii cum iure publico vniuerſali, quodque is vtriusque iuris quaſi conſenſus concentusque reperiatur,

tur,

tur, vt, qui in tractatione iuris publici Imperii pro eo, ac hæc diſcipliua poſtulat, ſolide verſari velit, illum adhibere oporteat in ſubſidium principia iuris publici vniuerſalis (§. 19.). Iam nunc neceſſitatem cognitionis iuris publici vniuerſalis in cognoſcendo penitius iura cuiusuis reipublicæ particularia perſpicimus. Quæ quidem neceſſitas duxit HVBERVM ad hanc ſententiam de iure publico vniuerſali dicendam in Iur. Ciuit. lib. I. S. I. cap. I. n. 12. *Quod ſine publico iure gentium* (i. e. vniuerſali §. 3.) *neque Romanum neque Germanorum aut vllius populi proprium ius publicum ſolide collocari vel comprehendi poſſit.*

§. 13.

Principia communia I.P. Imperii cum propriis coniungenda.

Vniuerſalis iuris publici principia appellamus communia (§. 8.); nec vero iuris publici particularis principia, quæ propria audiunt (§. eod.) ab iure publico vniuerſali ſunt ſeparabilia (§. 12.) Quare *principia iuris publici propria et communia ſeiungi non debent*, verum amico nexu coniungi. Si quis itaque tractationem iuris publici imperii ſine adiumento iuris puelici vniuerſalis ſuſcipit: vereor, ne illi nequaquam procedant, vt ſperaſſet, ea, quæ cogitaſ-

gitaſſet aſſequi. Certe nihil aliud de tali tractatione reportare poſſe mihi quidem videtur, niſi ſolivagam iuris publici Germanici cognitionem et ieiunam. Proinde qui felices in iure publico imperii facere progreſſus intendunt, illi ad hoc quaſi præculti et præparati rectis iuris publici vniuerſalis principiis veniant.

§. 14.

Item cum domeſticis peregrina.

Leges imperii publicæ ſanciendæ in comitiis conſenſu imperatoris ordinumque imperii interpoſito I. P. art. 5. §. *Gaudeant.* Conſenſus interpoſitio ſine facto declarari nequit atque adeo, quia facta conſtituunt hiſtoriæ materiam, quippe quæ in narratione factorum conſiſtit: Leges imperii publicæ hiſtoriam primum ponunt. Illam hiſtoriæ Germanicæ partem, quæ tractat ea, ex quibus quidquam publici iuris, quod ex legibus publicis compoſitum, deriuari poteſt aut illuſtrari, *hiſtoriam iuris publici* adpellauimus (§. 10.). Hinc elucet, quod *ius publicum imperii eiusdem hiſtoriam ſupponat*, in qua principia iuris publici Germanici peregrina incluſa tenentur (§. eod.). Quare nec principia domeſtica iuris publici Germanici nec principia peregrina ſunt negligenda.

§. 15.

§. 15.

Quo ordine I.P. Imperii tractandum.

Iuris publici principiis propriis communia et peregrina ſunt præmunienda (§. 13. et 14.). *Qui* itaque *recte atque ordine in iure publico imperii cognoſcendo verſari cupit, illi* in hoc ſtudio inſtituendo *hæc opera ſumenda eſt, vt ius publicum vniuerſale et hiſtoriam iuris publici Germanici præfulciat* (§. 8. 10. 13. 14.) et *tunc* demum in iuris publici Germanici exercitationem ita ſe ſtudioſe dedat, vt *leges fundamentales imperii et publicas perlegat* (§. 9.) et opitulantibus principiis iuris publici vniuerſalls, hiſtoriaque iuris publici Germanici, quibus fundamentis quælibet lex ſingularis nitatur, perquirat, omnique ſcientia enitatur, vt poſtquam enodauit diiudicauitque legum ſententias, ex iis tales iuris publici veritates, quæ legibus imperii expreſſe conſcriptæ non ſunt, argumentetur.

§. 16.

I. P. et vniuerſale et particulare Imperii eſt ſcientia.

Cernere datur in iure publico tam vniuerſali quam particulari principia indubia (§. 5.). Principiorum autem natura ita eſt comparata, vt in illis omnium, quæ de re quadam cognoſcuntur, ratio contineatur (§. eod.). Quare conceſſis principiis

cipiis indubiis, conceduntur veritates aliæ indubiæ, quæ in principiis rationem ſuam habent. Huius generis veritates Philoſophia nomine concluſionum adpellat: vnde, cum in omni iure publico ſint principia indubitata (§. eod.); indubitatæ quoque iuris publici ſint concluſiones neceſſe eſt. Ac quoniam concluſiones in principiis rationem ſuam agnoſcunt (vi def.); illæque veritates in nexu eſſe dicuntur, quando alterius ratio in altera latet: res loquitur ipſa, dare in iure publico omni principiorum nexum cum concluſionibus. Qualis nexus cum ſub nomine ſcientiæ ſiue, quod idem, ſyſtematis veniat: ad cognoſcendum in aperto eſt, quod ius publicum et vniuerſale et particulare atque ex conſequenti etiam Germanicum ſcientia ſeu ſyſtema habendum.

§. 17.

Quomodo cognitio huius ſcientifica conſequenda?

Scientia omnis aut ſyſtematice aut habitualiter accipitur. Scientia pro ſyſtemate ſumta eſt diſciplina, in qua principia et concluſiones inter ſe nexa ſunt. Quod ſi vero alteram ſignificationem capio: tum ſcientia habitum ſignat deducendi ex principiis indubiis argumentando concluſiones. Ex quo

manifeſtum eſt iuris publici Germanici ſcientiam ſignare vel diſciplinam vel habitum poſſe, continentem principiorum et concluſionum cohærentiam. Diximus vero iuris publici Germanici principia exiſtere et propria et peregrina et communia (§. 8. et 10.) inter ſe coniungenda (§. 15.). Quare qui non ducit ius publicum, tanquam ex fontibus, ex legibus imperii fundamentalibus ac publicis (§. 9.) ex iure publico vniuerſali (§. 8.) atque ex iuris publici Germanici hiſtoria (§. 10.), illius cognitio nullo ſcientiæ fundo concepta, ſed fuſa et vaga et arbitraria.

§. 18.

Iuris publici prudentia dupliciter ſumitur a ICtis.

Iuris publici prudentia interdum ab eius ſcientia, quam §. proximo explicauimus, ſecerni non ſolet. Si vero, quæ ſunt ſecernenda, diſtinguere velis, iuris publici prudentia ad ſimilitudinem iurisprudentiæ in genere finienda eſt, quod ex habitu leges publicas applicandi cognoſcatur. Quam ſæpiſſime autem ſub iuris publici prudentia diſciplinam ipſam, quæ de iure publico agit et ſcientia eſt (§. 16.), intelligi inuenies.

§. 19.

§. 19.

In quo ſolida et certa iuris publici cognitio conſiſtat.

Solida ac certa cognitio in eo ineſt, qui rerum intelligentias mente ita conceperit, vt cohærentiam principiorum cum concluſionibus argumentando diſtincte perſpiciat. Qui itaque ſoliditatem ac certitudinem in iure publico tam vniuerſali quam quouis ſingulari conſequi intendit, illi in hoc enitendum, vt demonſtrationes iuris publici tam vniuerſalis quam particularis penitus inſpiciat, quippe quæ ex ratiociniis conſtant, in quibus ex principiis concluſiones eliciuntur, eorumque cohærentia cerni poteſt.

§. 20.

Optima Methodus tractandi I. P. et vniuerſ. et Germanicum eſt ſyſtematica.

In iure publico vniuerſali æque ac ſingulari imperii principiorum nexum cum concluſionibus reperire licet (§. 16. et 17.). Ac quoniam nexus conſtat ex ordine veritatum aptarum inter ſe et cohærentium: nec quenquam inuenias, qui negabit fieri poſſe, vt eius generis ordo, in quo principia nexa ſunt et concluſiones, in quouis iure publico adhiberi queat. Eius generis

ordo, quo nexus principiorum et concluſionum obſeruatur, audit Methodus ſyſtematica, vt et ſcientifica. Ergo ius publicum vniuerſale atque etiam Germanicum methodo ſyſtematica pertractari poteſt. Qua quoque Methodo, velut optima in his noſtris paucis fundamentis ponendis vſi ſumus: propterea quod exiſtimauimus neceſſe eſſe, vt adhibeatur, ſi ſolida ac certa tractatio iuris publici illis fundari debeat, ſiquidem certitudo et ſoliditas nullo alio ordine obtinenda eſt (§. 19.).

PERTRACTATIO
IVRIS PVBLICI VNIVERSALIS
METHODO SYSTEMATICA
NOVA RATIONE ELABORATI
ET
EX VNO PRINCIPIO INDVBIO DEDVCTI

§. 21.

Principium iuris publici vniuerſalis κατ' ἐξοχὴν dictum.

IVri publico vniuerſali principia ineſſe, eaque indubia, cuique cognitio in §. quinto datur. Principia vero cum ſint ita comparata, vt illis ratio aliarum veritatum incluſa contineatur, (§. eodem): exiſtit *quaeſtio* ſubdifficilis ad iudicandum, *vtrum eius generis principium iuris publici vniuerſalis, ex quo, tanquam ex fonte, omnes theſes iuris publici vniuerſalis deriuari queant, exiſtat, an minus?* quod quidem principium *κατ' ἐξοχὴν* nomen principii iuris publici vniuerſalis ſubit. Ac quoniam haec quaeſtio eſt veri et falſi quaſi diſceptatrix et iudex: eam perſoluere operae pretium erit.

§. 22.

Requiſita Principii I. P. vniuerſalis in ius conſeruandi Remp. quadrant.

Nexus, quo inter ſe imperantes cum parentibus cohærent in Republica quacunque, pertinet ad ius publicum vniuerſale (§. 4.). Qui nexus quoniam inuoluit iurium imperantium et obligationum parentium relationem (§. 1.): conſequens eſt, vt, qui ius publicum vniuerſale pro eo, ac debet, pertractare velit, illi iura et officia imperantium ac parentium perſcrutanda veniant. Quare etiam principium iuris publici vniuerſalis expletum eſſe omnibus ſuis numeris, tunc demum pro certo confirmare licet, quando habet eam formam, vt exinde iura et officia omnino omnia, quæ ad imperantes et parentes omnium Rerumpublicarum pertinent, colligere queas. Ex iure vero Rempublicam conſeruandi iura et obligationes imperantium ac parentium concipi poſſunt? quemadmodum cuiuis hoc cognoſcere datur, nos in hac noſtra meditatione omnia maxima minima iura et officia imperantium ac parentium ex hoc principio deduxiſſe, atque præterea etiam demonſtraſſe, hocce ius Rempublicam conſeruandi imperanti concedendum eſſe (§. 28.). Ex quo nemo inficias ire poterit, *ius Rempublicam*

conſeruandi eſſe principium iuris publici vniuerſalis, et ex conſequenti, cum ius publicum vniuerſale detur (§. 3.), dari etiam iuris publici vniuerſalis principium. Si quis eſt, qui in dubium vocare hocce principium velit, illius partes ſunt, vt ſat planum tradat, ſpectare quædam iura ad imperantes et incumbere officia parentibus, quæ non ex eo principio effici atque cogi queant. Quamdiu quispiam hoc probare non poteſt, tamdiu ſufficientem habeo rationem, cur me de ſententia deiici non ſinam, qua aſſero, non ſolum dari principium iuris publici vniuerſalis, ſed etiam illud ipſum principium, ius nimirum conſeruandi Rempublicam, verum, euidens, et adæquatum iuris publici vniuerſalis principium eſſe.

§. 23.

Quid Imperans, Coimperans, Souverain, Caput Reipubl. Monarcha: Populus ſui aut alieni iuris: Vſurpator, Tyrannus, Principatus

Quoniam diſciplina tota iuris publici vniuerſalis vno in argumento nexus imperantium et parentium verſatur (§. 4.): ante omnia notiones imperantium et parentium animis imprimendæ ſunt, e quibus non principium ſolum (§. 28.) inuenimus, ſed latiores quasdam vias reperimus ad iura imperantium officiaque pa-

Regnum limitatum et abſolutum. et cet. rentium deducenda. *Imperantis* vocabulo a nobis nuncupantur ii, qui iure proprio poteſtatem ciuilem poſſident. Si vna perſona phyſica eandem ſine modo et ſine exercet, *Souverain* audit: ſin terminis circumſcriptum aut definitum ius imperantis, ita, vt parentes exercitii poteſtatis ciuilis participes fiant, aut poteſtas principis circa iura maieſtatica non omni ex parte ſit libera, *Caput Reipublicæ* vocari ſolet. Vtrisque nomen *Monarchæ* conuenit, huiusque *regnum limitatum* eſſe, illius *abſolutum* aut *liberum* dicitur. Si plures imperio regunt Rempublicam, illi *coimperantes optimatesque* audiunt: ex quibus ſi vni quædam præcipua præ ceteris iura competunt, reliqua omnibus ſunt communia, illud conſtituere *principatum* HIPPOLITVS A LAPIDE cenſet, ideoque talis nomen *principis* per excellentiam mutuatur. Sin tandem omnes Rempublicam regunt, illi nomine *populi*, *gentis*, *liberæque Reipublicæ ſtricte* ſic *dictæ* veniunt. Hac in Republica non eſt neceſſe, vt ſinguli et vniuerſi exerceant actu ſummam poteſtatem: ſufficit, ſi modo ab eorum arbitrio proficiſcatur, vtrum ipſi hoc in ſe ſuſcipere velint negotium, an aliis, qui collegium efficiant, mandare admi-

niſtra-

niſtrationem Reipublicæ, prout AVTOR *du Gouvernement ciuil. pag. 95*. obſeruat. Quod ſi penes neminem in cœtu hominum eſt imperium: tunc multitudo magis, quam populus talis cœtus nominandus. Quam quidem diſtinctionem HOBBESIVS *de Ciue cap. 12. §. 8.* bene excogitauit. Si vocabulum *populi* ſeparatur ab imperante: tunc ſignare cœtum parentium, facile eſt ad colligendum. Vt et notat HOVTOYN ad §. 25. n. 6. quæ quoque ſignificatio GROTIO frequens eſt. Ac quandoquidem ſub imperantium vocabulo omnes, penes quos poteſtas ciuilis, veniunt, et optimates ac populi liberi æque, ac Monarchæ, iure proprio habent poteſtatem ciuilem, vi definitionis: *nominatio imperantis non ad Monarcham ſolum, verum etiam ad optimates liberumque populum accommodari poteſt*, ob eamque cauſam in omni hac pertractatione, vt eam in pauca conferam, vtplurimum vocabulo imperantis vtar. Imperantibus opponuntur *Tyranni*, qui nominandi ii ſunt, qui aut titulo vſurpationis, i. e. nullo iure aut modo illegitimo, exercent poteſtatem ciuilem; inde illi *titulo*, hi *exercitio* tales dicuntur. *Nullo iure poteſtatem ciuilem tenent*, qui eam inuitis iis, quorum eſt verum ius imperandi, tenent; inde vero *vſurpatio, in-*

uaſio, aut *latrocinium gentium* eſt, vbi inuitis iis, quorum eſt verum ius imperandi, imperium tenetur. *Ab vſurpatore differt Rex de facto* talis, quam Angli a Rege *de iure* tali ſeparare contendunt. *De facto Rex* talis *Anglis* enim habetur is, qui publice conſtitutus et agnitus, ita, vt non permiſſum ſit indagare iurene, an iniuria id factum. Hæc diſtinctio originem trahit ex lege Anglicana, quam HENRICVS VII. ferri curauit, ut refert VERVLAM. in *Henrico VII.* quæ lex iubet regi parere, ſi ab ordinibus agnitus et coronatus, regiamque poteſtatem de facto tenet. Ex quo fundamento PRINCEPS ORANIAE VVILHELMVS, poſtquam ab Anglis agnitus et coronatus erat, noluit, vt in Præliminaribus Pacis Ryſuicenſis mentio fieret, *quod contrahentes eum legitimum Regem Angliæ agnoſcerent:* quoniam legitimatione non opus eſſe putabat, poſtquam agnitus ſit ab Anglis. Vt refert OTTIERI in ISTORIA D' EVROPA, Libr. I. p. 82.

§. 24.

Quæ poteſtas habeatur iure proprio aut adminiſtratorio: illa eſt

Iure proprio habere quis poteſtatem ſuam dicendus eſt, vbi ab alterius voluntate non pendet, poteſtatis, qua quis pollet, exercitium. Iure ergo *adminiſtratoris*

eſt *poteſtas*, cuius exercitium *ſumma et independens, hæc dependens.*
enæ voluntatis arbitrio ſubeſt.
ıocirca imperantis poteſtas ci-
is independens eſt', (§. 23.); *Character independentiæ et dependentiæ.*
od vero independens ſiue quod
erius voluntatis humanæ arbi-
o non ſubeſt, vt irritum poſſit
ddi, GROTIO præeunte in *Iur. Bell. ac Pac.* br. I. cap. 3. §. 7. *ſummum* nuncupo: qua- *imperantis poteſtas ciuilis ſumma* ſit o- rtet. E contrario *adminiſtratoris* poteſtas dependens *inferiorque* neceſſe eſt. Inde lligi poteſt, quod poſt diuiſionem Regno- m, factam a LVDOVICO PIO, eius liberi pote- ıtem ciuilem independentem in regnis ſuis ıbuerint: dum in charta diuiſionis imperii ter LOTHARIVM PIPINVM et LVDOVICVM *cap.* apud BALVTZIVM *p. 575:* diſpoſitum volu- us, vt hi duo fratres, (ſcil. Pipinus et Lu- ɔvicus), qui Regis nomine cenſentur, in ınctis honoribus intra ſuam poteſtatem dis- ibuendis, propria poteſtate (i. e. proprio iu- :) potiantur.

§. 25.

Propriam poteſtatis ciuilis, ſeu *Quid Poteſtas Ciuilis ſeu imperium, quod non extra*
ıod idem, *imperii vim*, ſi defini-
one declarare volumus, in hoc,
ıcendum poſitam eſſe, vt nitatur

com-

rempublicam. Quid Gubernatio Reip. huius imperans ius habet.

complexu iurium omnium, quæ ad gubernandam Rempublicam requiruntur. Vt intelligas, quid ſit *gubernare Rempublicam*, perpendas quæſo definitionem AVCTORIS *des Remarques ſur l'inſtruction des Enfans illuſtres, qui ſont deſtinez au Gouvernement, pag. 12. on gouverne un pais,* inquit, *quand on vſe de ſon autorité et de ſa puiſſance pour l' avantage et pour la ſeureté publique.* Ex definitione poteſtatis ciuilis perſpicuum eſt, poteſtatem ciuilem ſupponere Rempublicam. Cum imperanti tribuatur etiam poteſtas ciuilis (§. 23.) : neque is ſine Republica concipi poteſt, adeoque *poteſtas ciuilis ſine Republica nulla* eſt, quippe quæ poteſtas virtute ipſius definitionis in Reipublicæ gubernatione verſatur. Ex notione gubernationis conſequitur, vt cum Imperans ob poteſtatem ſuam ciuilem, (§. 23.) gubernationem Reipublicæ habeat *(vi def. poteſt. ciuil. hoc* §.*)* : *Imperans* quoque *habeat facultatem, ea, quæ ad ſalutem et ſecuritatem publicam tendunt, agendi.*

§. 26.

Inter Imperantis iura et Parenti-

Reſpublica omnis imperantium nexu parentiumque cohæret (§. 2.) : quare Reſpublica ſine imperante

ıte parentibusque eſſe nequit, ıue ita imperans ſeſe neceſſario ert ad parentes (§. 1.), adeo e eſt *neceſſaria inter imperan- et parentes relatio.* Ac cum ıperans ex poteſtate ciuili di- oſcatur (§. 23.) *a poteſtate ciuili in aliquem, eum parentem valet argumentatio.* Quæ tur iura imperanti ad gubernationem Rei- blicæ ſunt tribuenda, iisdem reſpondere in entibus obligatio debet. E contrario vbi perans facere aliquid iure ſuo non poteſt, parens non decedit de officio, ſi tale im- ium aſpernatur non obediendo. Sed oniam relatio iurium imperantis et obli- ionum parentis nexum Reipublicæ efficit 1.): affirmari poteſt *æque imperantes ac entes in Republica nexu* eſſe. *Strictior* em interdum etiam *nexus Reipublicæ ſi- ficatio* non infrequens eſt, ſub qua ſignifi- ione id ſolum, in quod aliquis Reipublicæ fecte obligatus eſt, intelligitur. Ac ſi *hoc ſu* nexus Reipublicæ ſumitur: *imperantem nexu Reipublicæ eſſe dici nequit*, propterea od imperans ſolum ex poteſtate ciuili (§.), id eſt, ex iuribus Rempublicam guber- ıdi (§. 25.), agnoſcitur, et ex conſequen- n nihil, ut imperans, obligatus eſt.

um obligationes relatio. Num Imperans in nexu Reip. ſit?

§. 27

§. 27.

Quid Parens, qualis nec Tributarius, nec Vaſallus ex veſtitura ſola.

Quandoquidem tot ſunt officia parentium, quot ſunt iura imperantium (§. 26.); imperanti vero ob poteſtatem ſuam ciuilem (§. 23.) ſumma iurium moderandi et regendi Rempublicam tradita eſt, (§. 25.): manifeſto *tenetur parens complexione obligationum, quæ complexioni iurium gubernandi Rempublicam reſpondent.* Atque hic quidem eſt *parentis* primus conceptus ſeu *definitio.* Proinde qui ad omnia, quæ iure ſuo imperans facere poteſt, obligatus non eſt, ille quoque parens Reipublicæ non dicendus. Quo ex ratio reddi poteſt, cur *Tributarius, Vaſallus, aliique huius generis homines non, vt imperanti ſubiecti,* ſint *conſiderandi.* Nam *Tributarius* obligatione ſola ſtipendium dependendi conſtringitur; huius generis autem obligatio non conficit complexum obligationum ad poteſtatem ciuilem ſeſe referentium: quapropter Tributarius nequit inter parentes ſeu ſubditos referri. Eodemque modo ſeſe res habet cum *Vaſallo,* qui duntaxat, vt Vaſallus, in fidelitatem ſeruitiaque feudalia obligatur, non in id, vt obediat integræ poteſtati ciuili: quare itidem Vaſallus vt ſe conſtringat, quemadmodum

ım alii imperanti ſubiecti, neceſſe non ha-
:t. Atque ita, ſi ſecundum ea, quæ proba-
mus, Vaſallus non inter parentes connume-
ndus, ſequitur vt inueſtitura, qua confer-
r feudum, quæque iureiurando fidelitatis
ınſociata eſſe ſolet, Vaſallum in nexum Rei-
ıblicæ non inuoluat, propterea quod is ne-
ıs imperantes parentesque requirit, (§. 1.)
que patet ita, quod *Vaſallagium et Homa-
ım differens ſit*, et in quo vtrumque con-
ſtat.

§. 28.

Imperantis ius conſeruandi Rempubl. ſuam.

Vbicunque terrarum et genti-
n Reipublicæ adminiſtratio fue-
:: ibidem neceſſe eſt, resque
ſa cogit, ut Reſpublica adſit, hoc
t dicere, vt Reipublicæ conſeruatio obtine-
. Qui igitur iure ſuo poteſt Rempublicam
gere, ille etiam poteſt Rempublicam con-
ruare. Ac quoniam imperans propterea,
ıod poteſtate ciuili pollet (§. 23.), iure gu-
rnandi Rempublicam gaudet (§. 35.): non
ıteſt non *ius conſeruandi Rempublicam tri-
i imperanti.* Atque ſic quidem, quaſi ea,
ıæ oculis cernuntur, videre licet, quod me-
n aſſertum (§. 23.) ſit ſtabilitum, nempe
im quod ad imperantem ius Rempubli-
m ſuam conſeruandi ſpectet. Ex hac pro-
poſi-

poſitione omnino omnia imperantis iura, et ob neceſſariam relationis conſecutionem (§. 26.) obligationes parentium omnes, quaſi ex primo fonte, fluunt; prouti ex hac ipſa pertractatione apparet. Ex his vero iuribus et obligationibus ius publicum vniuerſale contexendum (§. 6.) ideoque imperantis *ius conſeruandi Rempublicam eſt robur ac fundamentum totius iuris publici vniuerſalis* (§. 22.). Quamobrem quæ ad Reipublicæ conſeruationem non tendunt, ea nec agendi imperanti, qua imperanti, ius eſt, nec vt imperanti dicto audientes atque obedientes ſint parentes in huius generis rebus, comprehendi obligatio poteſt: ſiquidem parentium obligatio ſeſe ſemper refert ad imperantis ius (§. 26.) et hinc: vbi nullum ius imperantis; ibi nulla obligatio parentium euinci poteſt. Non *argumentum in contrarium* adduci poteſt, quod non ſit iuſtum iuris publici vniuerſalis principium, Ius conſeruandi Rempublicam ſuam: quia aliquid poſſit ad conſervationem Reipublicæ tendere, quod contra iura alterius ſit, et per id iniuria alteri fiat, damnumque inferatur. Sed nego fieri poſſe, vt imperantis ius conſeruandi Rempublicam ſuam, iniuriam alterius ſeu damnum attrahere queat. Sua enim Respublica eſt, quam quis accedente fa-

facto humano (ſcil. licito), puta pacto, ſi- ex lege, vt loquar ex ſententia GROTII de r. *Bell. ac Pac.* Libr. 2. cap. 17. §. 2. acce- :. Quæ facultas autem cuidam ex pacto ıe ex lege competit, illam iure, ideoque non iuria, habet: exercendo itaque iura mea :mini facere iniuriam poſſum. Ergo cum ıperans habeat ius conſeruandi Rempubli- m ſuam, nemini per id iniuriam facere ıteſt: nec etiam damnum inferre poterit, ıia qui vtitur ſuo, per id alter non poteſt inus habere ſuo, quando autem alter minus bet ſuo, tunc demum ei damnum infertur, :cundum GROTIVM loco citato. Quaprop- r quando princeps vtitur iure ſuo conſer- ndi Rempublicam ſuam, non poteſt aliquid mni alteri contrahere.

§. 29.

Quid conſeruatio Reipublicæ: contra eam agere iniuſtum. Hinc iniuſtitia dethroniſationis.

Quoniam Reſpublica eſt ſocie- ı, quæ nexu imperantis ac pa- ntium conſtringitur (§. 2.): *Rei- ıblicæ conſeruatio conſiſtat in per- anſione nexus imperantis ac pa- ntium neceſſe eſt.* Sub nexu au- m intelliguntur iura et obliga- ınes imperantis ac parentium . I.); vnde, qui contra ea iura aliquid mo- ur, contra Reipublicæ conſeruationem ten-

dit: et quoniam imperantis eſt, ius conſeruandi Rempublicam (§. 28.); talis quoque contra imperantium iura agit. Quod contra ius alterius nititur eſt *iniuſtum*, proinde, quod contra iura imperantis ſuſcipitur, illud iniuſtum; ac cum depoſitio imperantis ſit contra imperantis iura, quippe qua ius Rempublicam gubernandi adimitur: *omnes imperantium depoſitiones*, quæ dethroniſationes vocari amant, *iniuſtæ ſunt*. Nec illas depoſitiones locum habere putes cum GROTIO, *Libr. 1. cap. 4.* §. 13. ſi rex partem habeat imperii, partem alteram populus aut Senatus, quo ex fundamento depoſitiones HENRICI IV. et VVENCESLAI defendere vult GROTIVS: dum nemini, adeoque nec regi, ius ſuum quæſitum imperii ſummi contra voluntatem ſuam auferre licet (§. 210.).

§. 30.

Quid ſocietas ciuilis: Resp. talis ſocietas. Quam *ſocietatem* parentes cum imperantibus ineunt, illam appellamus *ciuilem*: quare *omnis Reſpublica ciuilem conſtituit ſocietatem* (§. 2.).

§. 31.

Quid ſocietas æqualis, inæqualis: *Societas* omnis exiſtit ex pactione, quæ vnionem voluntatis plurium perſonarum ad eundem finem con-

ɔniunctis viribus conſequendum, ɔntinet : eaque eſt, vel æqualis, ːl inæqualis. *Æqualis* ea, quæ ɪique, qui ſocietatem facit, perːcta tribuit iura, eique perfectas bligationes iniungit Societas *ɪæqualis*, vbi pars vna ſocietatis ɪra perfecta, et imperfectas obliationes, pars altera perfectas obliationes et imperfecta iura habet. *ɪs perfectum* nititur iure cogeni alterum ad ſatisfaciendum officio ſuo : *imperfectum* contra ius eſt, quando terum ad præſtandum id, ad quod mihi obgatus eſt, cogere nequeo. Ex his intelligi ɪcile poterit, quod *perfecte obligatus* is ſit, ui cogi iure poteſt, et *imperfecte*, qui cogi ɪre nequit. His igitur rebus ſubiunctis ſupɔſitisque, quod ſocietas omnis voluntatis nionem primum ponat, intelligemus omnim membrorum ſocietatis eſſe vnam voluntem. Quare cum Reſpublica etiam ſit ſoietas inter imperantem et parentes (§. 2. et ɔ.) : non poteſt non *vna eademque voluns imperantis* et *parentium* eſſe. Hoc au:m intelligendum *de voluntate publica, non e priuata* ſeu particulari. Sub qua quid in:lligatur, habet PVFFENDORFF. in *Iur Nat. et*

Ius et obligatio perfecta, imperfecta : voluntas Imperantis voluntas Populi eſt : et Populus et ſucceſſor tenetur ad defuncti Imperantis facta.

Gent. Libr. 7. cap. 2. §. 14. Actus a voluntate regis publica proficiſcentes ſecundum GROTIVM de *Iur. Bell. ac Pac. Libr. 2. cap. 14. §. 1. actus regii*, reliqui actus *priuati* haud incongrue compellari queunt: vnde hoc ſenſu ſolum dici poteſt, quod in *actibus regiis voluntas regis voluntas populi* ſit. Nonnullas exceptiones, quarum vi, etiam publica imperantis voluntas non eſt voluntas populi, in medium profert TITIVS *Obſerv. 559.* et BARBETRAC. loco hic citato num. I. in dubio autem publica voluntas imperantis voluntas populi eſt. Ob eamque cauſam *per voluntatem imperantis obligatur populus.* Ac quoniam illi, qui vnierunt voluntatem, *perſonam moralem* repræſentare dicuntur: perſpicuum eſt ſocietatem omnem, atque adeo ciuilem, id eſt, *Rempublicam* (§. 30.), *perſonam moralem gerere.* Si vero perſona eſt obligata, neceſſe eſt, vt manente perſona, maneat obligatio: quare quoque neceſſario, *durante eadem Republica, durant eiusdem Reipublicæ obligationes.* Pro eo autem, ac hoc §. demonſtrauimus, populus voluntate imperantis obligatur, vnde quamuis imperans moriatur: attamen populus, quamdiu in ſtatu ciuitatis permanet, eſt obligatus. Atque etiam ſi conſiderare volumus, quod ex volun-

ıntate perſona cognoſcatur: intelligemus, uod, quoniam vna voluntas imperantis et opuli habetur, *imperans et populus pro vna erſona habeantur.* Populus vero poſt mor- em imperantis obligatus manet (per de- onſtr.): quapropter etiam *ſucceſſor factis 'eceſſoris, quæ Reipublicæ cauſa ſuſcepit, obli- atur.* Quocirca *fœdera, renunciationes, actaque omnia, adeoque et donationes atque ıſtrumenta pacis*, et cet. a deceſſoribus facta, ſucceſſoribus ſunt ſervanda.

§. 32.

Respublicæ ex pacto vel expreſſo vel tacito: quid iuris hinc acquirat imperans.

Quandoquidem Respublicæ ınt inter ſocietates referendæ §. 2.): inuentu non adeo diffici- e erit, ex quo Respublicæ natæ et rofectæ ſint. Namque cum ſo- ietates *ex pactione* effloreſcant §. 3.): *Respublicas* quoque ob id ſum, quod ſint ſocietates (§. 2.), ex eodem onte fluxiſſe cernimus. *Facta* autem *pactio* um eſt, quando conſenſus ita eſt compara- us, vt de iure perfecto, in alterum transfe- endo, voluntas declaretur. Atque vti con- enſus vel expreſſus vel tacitus eſt: ita quo- ue poteſt *Rerumpublicarum origo* deſcende- e vel *ex conſenſu expreſſo*, quando verbis fuit 'oluntas declarata de ſocietate ciuili facien-

 da;

da; vel ex conſenſu *tacito*, quem ex factis argumentamur iis, ex quibus voluntas, quod quis agnoſcat alterius poteſtatem ciuilem, colligitur, v. c. ex patientia, taciturnitate, obedientiaque et cet. in iis, quæ ille, qui imperantem ſe gerit, imperat (§. 26.). Conſenſus tam expreſſus, quam tacitus, poteſt eſſe, aut ſponte ſua interpoſitus, aut vi coactus. *Qui vi cogitur conſenſus* etiam *liber eſt*, ideoque obligat: namque in eo copulationem voluntatis, vti in conſenſu omni, concipere licet, dum mihi repræſento vim, tanquam malum, ſique conſentio, conſiderandum illud eſt, quod promitto, vt bonum, quod eligo. Vbi autem electio, ibi libertas, quippe quæ in facultate eligendi ſita eſt: proinde conſenſus etiam vi coactus liber eſt. Qui liber conſenſus cum non poſſit non obligare, ſi de obligatione conſtituenda interponatur: obliget quoque neceſſe eſt vi coactus, pactioque valida dici poteſt. Quando igitur Rerumpublicarum originem ex pactione deriuo: per id *non excludo originem Rerumpublicarum violentam*, qualis eſt origo Reipublicæ, quam iure victoriæ bello quis acquiſiuit iuſto. Quod eſt iudicandum ex cauſa belli iuſta, quæ coactionem patitur, adeoque et imperium iuſtum conſtituit, quamuis ab altero extortum,

de

: qua re GROTIVS de *Iur. Bell. ac Pac. Libr.* *cap. 6. 7. et 8.* egit latius. Vnde recte ERTIVS de *modo conſtituendi ciuitates*, victo- am inter modos conſtituendi easdem re- :rt, (§. 4.) adductus. Præterea hac ratione : uod victis cum parcitur, vtplurimum præ- edat deditio, in hoc autem pactio contine- ır, ſaltem nihil aduerſus victorem factum iri. ddo quod omnibus partibus abſolutam vi- toriam neceſſario deditio conſequi debeat, uæ inuoluit conſenſum ipſo facto declara- ım, quod ſeſe ſubiiciant victoris poteſtati iuili, adeoque ciuitatem conſtituere velint §. 23. et 2.). Generatim cum ex conſenſu bligatorio ſeu pactione ius perfectum pro- ciſcatur (§. h.), i. e. ius cogendi (§. 31.) : *on poteſt non imperans*, ſi *modo legitimo im- erium adeptus* eſt, *iure cogendi parentes gau- 'ere*, et ita *ſibi perfecte acquirere imperium* actione vel expreſſa vel tacita, quæ ex con- enſu, vel verbis vel ipſo facto declarato, col- genda (§. 26.).

§. 33.

Reſpublicæ ſunt ſocietates inæquales.

Imperans poſſidet poteſtatem iuilem (§. 23.), hoc eſt, iura gu- ernandi Rempublicam (§. 25.) : contrario parentes alligati iis bligationibus ſunt, quæ poteſtati ciuili re- ſpon-

ſpondent (§. 27.). Secundum hæc itaque *imperans* ex ea parte, *quatenus eſt imperans nihil niſi iura, eaque perfecta* (§.32.), *habet* : contrà vero *parentes nihil niſi obligationes, easque perfectas*, propterea quod ſeſe ad iura imperantis perfecta referunt (§. 26. et 32.). Quam ob rem *ſi quid eſt in imperante obligationis, eam ex humanitate exhibebit :* ac *ſi quid eſt in parentibus iuris, illud non poteſt non*, ratione imperantis habita, *niſi imperfectum eſſe.* Quando vero iura atque obligationes ita, vti hic deſcripſimus, in ſocietate quadam ſunt commixta, illa vocatur inæqualis (§. 31.) : quare *Reſpublica ſocietas inæqualis* eſt (§. 2.). Ac cum ſint Reſpublicæ (§. 3.) : datur etiam cognoſcere ſocietates inæquales, quas nonnulli in dubium vocarunt. Vnde vehementer errant, qui omnes ſocietates exiſtimant eſſe æquales. Societates quidem inæquales eſſe ciuitates, ea, quam (§. 2.) ex HVBERO et GVNDLINGIO adduxi, ſignificatione ſumtas, adeoque *vocabula ciuitatis ac Reipublicæ ſynonyma* haberi poſſe, ita demonſtro : vbi plurium conſenſus de eodem fine coniunctis viribus conſequendo, ibi ſocietas (§. 31.); iam in ciuitate omni plures inueniuntur, qui ad eundem finem tendunt, nempe enim vt ſub imperio eodem coniuncti ſecuri-

curitate et ſufficientia fruantur (§. 2.): quare ciuitates ſunt ſocietates ac quidem ciuiles ob imperium (§. 2. 26. 30.). Cuius generis ſocietates cum ſint inæquales (§. 31.): conſequitur, vt ciuitates quoque ſocietates inæquales habendæ. Id quod eſt, in quo ciuitates ac Reſpublicæ conueniunt, et ex quo eorum Synonymiam colligere licet.

§. 34.

Ratio pacti, quo Reſp. inſtituuntur: hinc prima principia I. P. poteſtas ciuilis et maieſtas.

Quod ſi cuidam libitum ſit, noſſe, qua ratione pactum expreſſum, quo Reſpublica inſtituitur, fieri debeat: ille conſiderationem intendat in Reipublicæ notionem Quæ quidem (§. 2.) ita eſt formata, ut facile ſit exinde ad colligendum, imperantes et parentes per pactum conſtituendos eſſe. Imperans vero quilibet, quia ſine poteſtate ciuili conſiſtere nequit (§. 23.): *pactum, quo Reſpublica fundatur,* oportet ita eſſe comparatum, *ut perſona quædam,* aut phyſica, aut moralis, *poteſtatem ciuilem conſequatur omnem* (non autem ea iura, quæ ad imperium non ſpectant, niſi ius omne in imperantem expreſſe et abdicatione translatum; largior enim iuris, quam imperii eſt ſignificatio, vt notando ad §. 28. obſeruat HOVTOTNVS in *ſua Politica generali*): *reliqui vero ſeſe obligent ad ſubiiciendum*

dum ſe poteſtati ciuili. Hinc ex vna pactione, qua Respublica conſtituitur, proficiſcitur quoque poteſtas ciuilis ſeu maieſtas: *eadem* itaque *origo poteſtatis ciuilis* et *maieſtatis* eſt, *quæ Reipublicæ*, ſcilicet voluntas hominum, qui ſe ſubiiciunt, efficit maieſtatem, non voluntas diuina immediata. Qua quidem aſſertione non nego maieſtatem et poteſtatem ciuilem a Deo mediate proficiſci, nempe enim mediante voluntate hominum, quam pacto, quo poteſtatem ciuilem transferunt, declarant. Quoniam ergo *vnum pactum ad conſtituendam Rempublicam ſufficit*: non neceſſaria ſunt duo et vnum decretum, vt vult PVFFENDORFFIVS de *Off. Libr. 2. cap. 6. §. 2. ſeqq. de Iur. Nat. et Gent. Libr. 7. cap. 2. §. 2. ſqq.* multo minus tria pacta, vt ſentire præ ſe fert HVBERVS de *Iur. Ciu. Libr. 1. Sect. 2. cap. 3. §. 17. 18. 19.* Vti pacta ſunt Iuris naturalis, hoc vero a Deo eſt: ita hoc quoque ſenſu largior a Deo maieſtatem et poteſtatem ciuilem eſſe, *confer.* THOMASII *Inſtit. Iurisprud. diuinæ Libr. 3. cap. 6. §. 68. et ſeqq.* Ac quoniam poteſtas ciuilis ſine aliorum ſubiectione concipi mente nequit, ſeſeque refert ad alterius ſubiectionem: ſequitur, vt *qui iuſte ac valide ſeſe alterius poteſtati ſubdere poteſt, poſſit* eo ipſo etiam *poteſtatem ciuilem*

alteri

alteri concedere in ſe, adeoque vt ab eo iſtud, quod non habet, poſſit proficiſci in alterum. Quam in ſententiam diſſerit quoque PVFFENDORFF. in *Jur. Nat. et Gent. Libr. 7. cap. 3. §. 1.* Ac præterea cum nihil impediat, quo minus *homo liber* ſeſe cuique ſubiiciat: ille *poteſt* etiam *quemcunque vult ſibi imperantem conſtituere atque* eo ipſo *poteſtatem ciuilem,* quamuis eam ipſe non habeat, *in alium pacto transferre.* Eiusmodi pacto, quo Respublica conſtituitur, nexus imperantis ac parentis nititur (§. 1.) illudque ex conſequenti ad principia iuris publici referendum (§. 6.); talia vero pacta, nomine legum fundamentalium venire amant: quare *leges fundamentales Rerumpublicarum, principia iuris publici complectuntur.*

§. 35.

Quid ſtatus libertatis, ciuitatis publicus, priuatus: ius ciuile publicum, priuatum: perſona publica, priuata: Ius priu. nec ad perſ. pub. ad-

Qui ſe ex ſtatu, qui nudus ab imperantibus et parentibus eſt, referunt in ſtatum, in quo ſunt, qui parent atque imperitant, illi *transiiſſe ex ſtatu libertatis* ſeu naturali *in ſtatum ciuitatis dicuntur.* Propterea quod *ſtatus naturalis* eſt ille, in quo homines, vt homines, id eſt, æquales conſiderantur atque æquali iure fruuntur: ac quidem

ſtatus

plicari nec cum I. P. confundi debet. *ſtatus ciuitatis* is eſt, in quo homines, vt imperantes et parentes, id eſt, inæquales ſpectantur, quippe inæqualibus iuribus vtuntur imperantes parentesque, et inæqualibus obligationibus tenentur (§. 32.). Nunc vero cum Reipublicæ compagem ex imperantibus et parentibus nexam videmus (§. 2.): hoc eſt conſequens illi, vt qui viuit in Republica, viuat vitam in ſtatu ciuitatis. Qui itaque eum vitæ curſum tenent, vt aut in excelſo aut in obſcuro extra Reipublicæ nexum vitam agant, illi viuunt in ſtatu libertatis. Ac quoniam illi, qui ſtatum quendam deligunt, eam ſibi ſtatuunt conditionem, vt certa iura æque atque obligationes exinde profluant: conſequens, vt qualis ſit ſtatus, tale quoque ius exoriatur. Vnde illud ius, quod effloreſcit ex ſtatu ciuitatis, vocandum *ius ciuile eſt.* Adde etiam, quod, quia ſtatus ciuitatis diſpeſci in publicum et priuatum poteſt, ius ciuitatis, quod alias ciuile vocant, vel *publicum* vel *priuatum* ſit. In ſtatu ciuitatis publico verſantur, qui partes perſonæ publicæ obtinent. In ſtatu ciuitatis priuato ſunt conſtituti, qui *perſonam priuatam* tractant. *Perſona publica* non ſignat alium hominem, quam eum, qui in Republica iura imperantium

tium exercet, idque accidere poteſt, vel iure proprio, vel adminiſtratorio. Ex quo elucet non *imperantes* ſolum, verum etiam *miniſtros* perſonas publicas eſſe. Porro, quoniam pro eo, ac in hoc §. iamiam probauimus, ex ſtatu iura, quæ ex eo proficiſcuntur, nomina ſortiuntur, perſona vero publica ex ſtatu publico, et priuata ex ſtatu priuato cognoſcitur: naturalis illa conſequentia efficitur, *perſonam publicam vti iure publico, et priuatam priuato.* Quocirca nihil tam σολοικὸν, quam accommodare velle ius priuatum ad perſonas publicas, earumque cauſas controuerſas, illudque cum iure publico confundere. Hinc, cum in cauſa ſucceſſionis ſeculo XVI. in Galliæ Regno agitata, nonnulli cenſerent, Navarrum non ſolum ob cauſam religionis, verum etiam iuris ratione, quæ ſiue agnationem ſiue cognationem vltra gradum decimum non agnoſceret, a regni ſucceſſione omnino excludi debere: recte fuit reſponſum, *in Regnorum ſucceſſionibus non idem, quod in priuatorum hæreditatibus iuris eſſe,* referente THVANO l. 81. *hiſtor. a princ. ad annum. 1585.* conf. GROTIVS l. 2. c. 16. §. 31. Verum mihi aliquis illam dignam tractatu quæſtionem moueat: *an perſonæ publicæ nulla ratione iure priuato teneantur?* cui percon-

contationi reſpondere et tam magnæ quæſtionis pondus excipere, quæ ſunt ſecernenda, diſtinguendo audemus. Diſtinguenda ſunt negotia, quæ perſona publica ex ea parte, quatenus eſt perſona publica, tractat, et alius nemo ſuſcipere poteſt, vt ius dicere, leges ferre, etc. et ſeparanda ea, quæ perſona publica non vt publica agit, quæque priuatus etiam perficere poteſt, v. g. emere, vendere, et cet. In illis homines conſiderantur, ut perſonæ publicæ, quæ nullo, niſi iure publico, vtuntur: in his, vt priuatæ quoque perſonæ. In his conficiendis ergo perſonæ publicæ etiam perſonam priuatam agunt, atque ita iure priuato quoque vti debent: propterea quod ex ſtatu priuato, in quo perſonæ priuatæ inueniuntur, ius priuatum conſequitur. Hoc tamen intereſt inter imperantes eorumque miniſtros, vt ille duntaxat iure priuato vniuerſali, miniſtri autem præterea particulari, ob id, quod in numero parentium ponendi, teneantur. Lex poſitiua Reipublicæ eam ob cauſam non alligat Imperantes, quia poteſt tales leges tollere (§. 50.), atque ex conſequenti etiam obligationem ex tali lege proficiſcentem: quid? quod ne ab initio quidem imperans ad huius generis leges ſit obligatus, quippe quæ feruntur, vt parentes, non im-

imperantes, actiones ſuas ad eas accommodent (vi def. leg. poſitiu.). Quod ſi itaque aliquis imperans lege aliqua Reipublicæ de re ſua iudicari ſinit, hoc facit magis ex æquo et bono, quam neceſſitate coactus.

§. 36.

Parentes non habent ius α) cogendi Imperantem, qui illis imperfecte tenetur: β) reſiſtendi eidem.

Parentes, qua parentes, nulla iura adeoque nec perfecta habent, ſed duntaxat imperanti obnoxii et deuincti ſunt (§. 33.): ob eamque cauſam *a parentibus quenquam alium, multo minus imperantem, cogi fas eſſe non arbitramur* (§. 31.) cum GROTIO de *Iur. Bell. ac Pac. Libr. 2. cap. 14. §. 6.* cuius verba hæc ſunt: *Subditis cogere eum, cui ſunt ſubditi, non licet, ſed æqualibus in æquales id ius eſt a natura, ſuperioribus in ſubditos etiam ex lege*, ſcilicet ex lege fundamentali, ſeu quod idem, ex pacto, quo imperium et adeo ius cogendi transfertur (§. 34. et 32.). Atque ita, vt eodem loco GROTIVS, *coactio*, ait, *ſequi non poterit actus ſubditorum, ob ſtatum eorum, nempe ob ſtatum ciuitatis, in quo viuunt* (§. 35.). Quod quidem eſt diſcrimen inter ſtatum libertatis ac ciuitatis. In illo ius cogendi alterum ad eam, quam mihi debet, adimplendam obligationem, locum habet,

bet,

bet, in hoc minus: inde ſemper auxilio imperantis opus eſt, quando alter adigi ad id, quo nobis obſtrictus, debet. Numquid igitur eſt cauſæ, cur non ius cogendi imperantem, dum parentes ei vim adhibere cogitant, illis præciſe negemus? Inde negandum quoque fuit principibus Galliæ ius, quo auſi ſunt militari manu cogere regem, ſi ſeſe ad ipſorum voluntatem accommodare nollet: vt refert COMINEVS *Memor. Libr. I. cap. 2. p. m. 10.* Proinde quando parentes imperantem ad aliquid ipſis promittendum in neceſſitatem, e. g. per rebellionem, adducunt: ad illa promiſſa facienda ſubigi imperans nequit, ob minus perfectam, qua tenetur, obligationem, quam parentes, quia in imperantem nullum ius perfectum habent, extorquere iure nequeunt. Neque mihi obiiciat aliquis, quod pacto perfecta obligatio conſtituatur (argum. §. 32.). Quod in tantum concedo, in quantum ius cogendi ad vtrosque paciſcentes quadrat, quales perſonæ ſunt, quæ inter ſe vt æquales conſiderari queunt, vt gentes inter ſe, hominesque priuati inter ſe inuicem: quando autem pactum ita eſt comparatum, ut ius cogendi vna pars contrahens ob qualitatem perſonæ, quam gerit, non habeat; tunc pactum non producit ab vtraque

parte

parte perfectam obligationem (§. 31.). Iam vero pactum, quo ſeſe nonnulli ſubmittunt imperanti, ita ſeſe habet, vt illi ſubiecti imperio fiant, id eſt parentes (§. 34.). Quibus cum ea conditio ſit ſtatuta, vt iure cogendi careant, prout iamiam initio huius §i probauimus: pactionem, quam imperans cum ſibi ſubiectis facit, velim exiſtimes reſpectu imperantis non habere vim perfectæ obligationis. Vnum atque idem ſentit PVFFENDORFFIVS in *Iur. Nat. et Gent. Libr. 7. cap. 2. §. 10. In pactis*, inquit, *vbi vnus alteri ſubiicitur, penes hunc eſt definire, quid ab illo debeat præſtari, ſimulque facultas in eundem collata, nolentem ad iſta compellendi, qualis facultas haud quicquam reciproce illi in hunc competit. Vnde Imperans violati pacti nequit argui*, ſeu quod idem, violatæ perfectæ obligationis (argum. §. 32.). Neque vero ſolum parentes deficit ius cogendi imperantem, ſed ne reſiſtere illi quidem iuſte atque legitime queunt: propterea quod obtemperatio poteſtati ciuili, in quam parentes obligati ſunt, (§. 27.) et reſiſtentia ſibi repugnant. Quam quidem reſiſtentiam denegamus ſubiectis tum demum, quando imperans quidquam, vt imperans, gerit, idque iure quodam ſuo: quod ſi quicquam, quod nullus

eiusmodi imperans ſuſcipere poteſt, conatur; hunc conatum non obediendo refutare licet (§. 26.). Ex hoc principio illæ quæſtiones, quas GROTIVS de *Iur. Bell. ac Pac. Libr. 1. cap. 4. à* §. *8. usque 15.* ponit de iure reſiſtendi, decidi poſſunt. Secundum quam ſententiam priuilegium Hungarorum ab ANDREA anno 1222. acceptum, cuius clauſula dat reſiſtendi facultatem, recte, vt tollatur, poſtulari potuit. Verba clauſulæ ſunt: *Quod ſi vero nos, vel aliquis ſucceſſorum noſtrorum, aliquo vnquam tempore huic diſpoſitioni noſtræ contraire voluerit: liberam habeant* (ſcil. ſtatus) *reſiſtendi et contradicendi nobis, et noſtris ſucceſſoribus in perpetuum facultatem.* Atque etiam iam anno 1687. in comitiis Presburgenſibus conſenſu ſtatuum ſublata eſt. Quam late igitur pateat obedientia paſſiua et non reſiſtentia (vocabula apud Anglos celebrata) ex dictis patet.

§. 37.

Populi, item imperantes et legati æquales et in ſtatu libertatis ſunt.

Reſpublicæ liberæ ſecundum vſum loquendi ſub *nomiue populorum et gentium* venire ſæpius ſolent. Iam Reſpublicæ perſonæ morales habentur (§. 31.), in quibus reſidet poteſtas ciuilis (§. 23.), adeoque æquale ius, quod eas reddit æquales, atque

atque ex conſequenti in ſtatum libertatis vindicat (§. 35.). Proinde quoque *populi inter ſe ſunt æquales*, et *alter altero dignior non eſt*, atque etiam *in ſtatu libertatis viuunt.* Ex quo vniuerſa quæſtio de præcedentia populorum et rerumpublicarum diſſolui poteſt. Ac quoniam imperans et populus pro vna perſona habentur (§. 31.): etiam *imperantes inter ſe æquales* ſunt, et *pares* atque *in ſtatu libertatis* agunt. Sunt quoque legati, qui cum charactere repræſentatiuo, vti vocant, ad exteros mittuntur, hoc eſt dicere, qui perſonam imperantis referunt, atque ita cum eo pro vna perſona cenſentur. Quapropter et *legati inter ſe*, niſi arbitrio gentium aliud introductum, *pares* habendi, atque *in ſtatu libertatis* viuunt omnibus locis, quibus vt legati recipiuntur.

§. 38.

Iure naturæ inter ſe et reſpectu priuatorum vtuntur.

Quandoquidem Reſpublicæ, populi, imperantes, legati ſtatum libertatis tenent (§. 37.): hoc conficitur, quod, *quæ iura in ſtatu libertatis obtinent, iis reſpublicæ, populi, imperantes, legati vtantur teneanturque.* Atque etiam ſi conſideramus, quod ſtatus libertatis et naturalis vnus et idem ſtatus ſit (§. 35.), quodque, qualis ſtatus, tale ius va-

leat (§. eod.): intelligemus *inter populos, imperantes et legatos ius naturæ externum pro firmato ſtare* oportere; quippe quod ex ſtatu libertatis ſeu naturali conſequitur. Quæ cum fundamento veritatis nixa ſint: hanc concludo concluſionem: *quæ ſecundum ius naturæ ſinguli homines facere queunt, ea quoque principes et gentes agere iuſte poſſe*, et *quæ videmus ſancita legibus naturæ, iis perfectè deuinctos populos et imperantes et legatos eſſe.* Quo principio magnæ et in vtramque partem ancipites iuris Gentium et publici vniuerſalis quæſtiones diſſolui facili negotio queunt. Inde *pactiones facere* principes et gentes inter ſe *iuſte queunt*: Singuli enim homines voluntatem et conſenſum declarare, et ob id pacta conſtituere, poſſunt (§. 32.). Sed ius Gentium nihil iam ad nos, noſtræ ſunt partes, quantum ad publicum vniuerſale, quæ primario loco ſunt, breuiter perſtringere. In his liceat mihi vnam ratiocinationem ſubiungere. Secundum ea, quæ in iure naturæ ſancita ſunt, omnes vias perſequi fas eſt, quibus putamus ad id, in quod alter nobis perfecte obligatus eſt, peruenire nos poſſe. Ex hoc fundamento ſi quis in æs alienum incidit, admonitus æris alieni, diſſoluere debet. Quando recuſat, ad magnitudinem

nem periculi creditori licet ſibi hoc remedium comparare, vt debitorem cogat. Quod quidem fieri inter alia poteſt, comprehendendo debitorem aut res eius in cuſtodiam tradendo. Ex quo ea, quæ eſt inter ſcriptores de legatis controuerſia, explicari poteſt, nempe enim quando legatus extra Rempublicam imperantis ſui æs alienum contraxit, quo ſe liberare aut leuare non vult aut non poteſt, illique ad ſuum principem reuertendum eſt: exiſtit quæſtio, *num creditores legatos adigere queant ad ſoluendum vel per pignoris capionem aut per alia remedia coactiua*, auxiliante imperante, in cuius Republica legatus degit, æsque alienum contraxit. Cui quidem interrogationi ex his principiis reſpondendum, quod omnino creditoribus media coactiua adhibere liceat: propterea quod tale ius in ſtatu libertatis, in quo, vti demonſtrauimus, legati vivunt, obtinet. Et ita iure ob æs alienum contractum arreſtum in vxorem Legati Regis Hiſpaniarum, ad Sabaudiæ Ducem miſſi, Turini decretum fuit et res quædam mobiles pignoris loco captæ, quod factum refert AVCTOR *des Memoires touchant les Ambaſſadeurs circa fin. pag. 619.* Neque vero ſolum legati hominibus priuatis ex iure naturæ obligantur, ſed etiam impe-

rantes ipſi, propterea quod imperantes legatique eiusdem naturæ, cui adeo idem ius conuenit. Eam vero ob cauſam, quia priuati homines nullo iure cogendi gaudent (§. 36.): imperans parentibus ex iure naturæ imperfecte tantum obligatus eſt; legati vero perfecte, quia imperans nomine ſibi ſubiectorum, quos repræſentat, eum cogere poteſt ad obligationem adimplendam; ſiquidem imperans et legatus alienus inter ſe in ſtatu libertatis vitam degunt, in quo talis coactio adhiberi poteſt. Huius generis illuſtres cauſæ, ex accurata ſtatus libertatis et ciuitatis diſtinctione, poſſunt innumeræ enodari.

§. 39.

Quid Leges publicæ, priuatæ. Quæ leges ſtatum ciuitatis publicum ordinant ſeu nexum imperantium et parentium attingunt, a ſtatu, quem ſpectant, publico, *publicarum legum* nomen mutuantur: vti et *leges priuatæ* ad ſtatum priuatorum diriguntur. Ex legum publicarum complexione gignitur ius publicum, ſecundum quod cum Imperans iura gubernandi Rempublicam ſibi attribuere poſſit, et parentes ad obligationes adſtringantur (§. 33.): concipere animo poſſumus, *parentes ad leges publicas ſeruandas obligatos* eſſe, et imperantem ex iis iura

ra conſequi, eos ad legis obſeruationem adigendi.

§. 40.

Leges publicæ in ſtatu tantum ciuitatis locum habent.

Legum publicarum definitio §. antecedente allata, hoc nobis planum facit, eas in ſtatu ciuitatis publico verſari, ob eamque cauſam extra ciuitatis ſtatum locum habere non poſſe, et ex conſequenti *in ſtatu libertatis nullas leges publicas* dari: ſed omnes, in oppoſitione ad leges publicas, eſſe in ſtatu libertatis priuatas, *omneque ius naturæ* hoc ſenſu eſſe *priuatum* habendum.

§. 41.

Imperantes inter ſe vtuntur I. N. et G.

Quia gentes in ſtatu libertatis, in quo nullæ, niſi naturales, eæque priuatæ, exiſtunt leges (§. 35. et 40.), verſantur (§. 37.): naturali iure ſeu priuato vniuerſali gentes quoque inter ſe vti oportet (§. 35.). Quocirca ad cognoſcendum hæc illuſtria et in aperto ſunt: *ius gentium a iure naturæ non eſſe differens*, ſed ad gentes ſolum applicari, nec non ad imperantes, legatosque ob ius repræſentationis (§. 37.) atque propter perſonæ vnitatem (§. 31.). Quanquam *ſi qua differentia* eſt quærenda, certe ea eſt, quod ius naturæ ſtricte ſic

dictum ad perſonas phyſicas et ſingulares homines: ius gentium ad integras gentes, i. e. perſonas morales (§. 31. et 37.), attineat.

§. 42.

Gentes Imperantes et Legati inter ſe ſunt vt homines ſinguli in ſtatu naturali.

Perſona publica eſt, quæ iura imperantium exercenda habet (§. 35.). Quæ cum ſine republica concipi non queant (§. 25.): *extra ſtatum reipublicæ non exiſtere perſonam publicam* poſſe, pateſcit. Qui autem in ſtatum libertatis inter ſe poſiti ſunt, illi extra reipublicæ nexum ſunt inter ſeſe (§. 35. et 1.), atque ita non agunt perſonas publicas: quare *gentes non gerunt inter ſeſe publicas perſonas* (§. 37.). Quod ſi itaque ex oppoſitis argumentari velimus, dicendum, quod *gentes inter ſe* vt perſonæ priuatæ, vel ſi aptius velis rem exprimere, vt ſinguli homines in ſtatu naturali viuentes, conſiderandæ. Legati autem cum imperante, et imperans cum republica, quam gubernat, pro vna perſona habentur (§. 37. et 31.): quare etiam *imperantes eorumque legati, reſpectu aliarum gentium, habendæ ſunt perſonæ priuatæ*, ſeu potius, vt ſingulares homines in ſtatu naturali viuentes. Qui homines cum iure naturæ vtantur (§. 35.): conſequens, vt *imperans, et gens, et legatus imperanti*

ranti alii in ea, quæ ius naturæ præcipit, perfecte ſit obligatus. Quocirca, cum ius naturæ velit, vt promiſſa ſeruemus, neminem lædamus et cet.: etiam gens aut imperans aut legatus, ſi cum aliis pactus eſt, aut alios læſit, perfecte iis obligatus ſit, et ex conſequenti ius perfectum, h. e. facultatem remedia coactiua adhibendi, alii (§. 31.) adipiſcuntur. Quibus ex fontibus manat ius bellum alteri genti inferendi, ſi fœdera ſeruare aut damnum datum læſionesque reparare nolit. Sed exeamus e theatro gentium, et hanc digreſſionem, qua vſi ſumus, miſſam faciamus: veniamus in Rempublicam, quam imperans gubernat, cuius reſpectu ille ipſe imperans manet, vti et legatus, perſona publica (§. 35.).

§. 43.

Imperans habet facultatem conſtituendi ius publicum et priuatum.

Qui viuunt in Republica, viuunt in ſtatu ciuitatis (§. 35.), ex quo, reipublicæ ſtatus ſit ſtatus ciuitatis, neceſſe eſt. Imperantis autem eſt ſtatum reipublicæ gubernare (§. 25.): proinde quoque illi ius ordinandi ſtatum ciuitatis largiendum eſt. Per leges vero ciuiles ſtatus ciuitatis ordinatur, et quidem per publicas ſtatus ciuitatis publicus, per priuatas priuatus (§. 39.). *Imperans* igitur *poſſidere de-*

bet Ius leges et publicas et priuatas dandi. Complexus legum efficit ius, ergo imperans *Ius* in republica *conſtituere poteſt* et *publicum* et *priuatum.* Ac quoniam populi liberi ſeu gentes eandem, quam imperans, poteſtatem ciuilem habet (§. 23), adeoque ius gubernandi rempublicam (§. 25.): *etiam qualibet gens* ius habeat ſuam rempublicam per legumlationes ordinandi, neceſſe eſt. In quo iure *autonomia gentium* conſiſtit, de qua re COCCEIVS latius tractauit.

§. 44.

Penes quos ius legum ferendarum, penes eosdem eſt ius eas mutandi.

Legis mutatio ſignat nouam legis de eadem re lationem, in qua aliter quam in priori lege, voluntas declaratur; leges autem nouas et publicas et priuatas ferre imperans poteſt (§. 43.): quare *ius eſt imperanti leges* et *publicas* et *priuatas mutandi.* Accedit etiam, quod, quia fundamentum iuris leges mutandi nititur iure easdem ferendi (§. hoc): generatim *omnes illi, qui ius leges ferendi habent, habeant etiam facultatem easdem mutandi, neceſſe eſt.* Ex his ad liquidum deduci poteſt, an leges imperii, v. g. auream bullam reſpectu ſeptem Electorum mutare liceat, et qui ius tales leges mutandi poſſideant.

§. 45.

Vnde illi poſſunt leges abrogare, eis derogare et diſpenſare.

Ab alia lege in aliam viciſſitudo atque mutatio accidere poteſt, vel ab omni parte vel aliqua ex parte. *Illa* legis mutatio audit legis *abrogatio*, *hæc derogatio*. Cumque *imperans aliique, qui ius leges ferendi* ſibi ſumunt, generatim leges mutare queant (§. 44.): *poſſunt* etiam *licite per leges nouas antiquioribus derogare, easdem abrogare*, tollereque, et *ab iisdem diſpenſare*, nihilque intereſt lex publica, an priuata ſit. Quæ ſi accommodamus ad *Artic. 2. Capitulis Nouiſſ.* reddere rationem poterimus, cur *des heil. Reichs Ordnungen ohne Churfürſten, Fürſten oder Ständen auf Reichs-Tägen vorgehende Bewilligung, keineswegs zu ändern, vielweniger neue Ordnungen und Geſetze im Reich zu machen.*

§. 46.

Ad eosdem quoque interpretatio legum authentica pertinet.

Apud Iureconſultos ea *interpretatio* ſub nomine *authentica* venit, quæ ab autore legis fit. *Autor legis* ille autem nominandus, qui legem tulit. Quare in genere, *qui ius leges ferendi habent*, quales imperantes ſunt (§. 43.), *ad illos legum* æque publicarum, ac priuatarum *interpreta-*

pretatio authentica ſpectat. Quæ cum ita ſint, illa inſtrumenti pacis diſpoſitio non aliena eſt ab his noſtris principiis, quæ interpretationem legum imperii authenticam comitiis, i. e. imperatori ſtatibusque relinquit: penes eos enim ius legum imperii ferendarum eſt, artic. 8. I. P. §. 2.

§. 47.

Imperans in leges ſuas non eſt obligatus, ſed tamen parentes.

Quando imperans leges tam publicas quam priuatas fert, ipſe eſt obligans et parentes his legibus obligati: ſiquidem *lex poſitiua* omnis eſt præceptum ab imperante profectum, cui parentes actiones ſuas morales accommodare tenentur. Proinde quoque *parentes ad leges, non minus publicas quam priuatas, ab imperante conditas, ſeruandas perfecta conſtricti ſunt obligatione.* Quoniam igitur legibus ab imperante profectis parentes obligati ſunt; illæque ſolum ſubiectorum gratia feruntur: conſequens eſt, vt, quæ leges, v. g. diſponunt de ordine ſuccedendi in bona ſubiectorum, ea non ad ſucceſſionem ſummæ poteſtatis pertineant. Quo argumento vſus eſt inter alios STOCKMANNVS c. 21. n. 15. p. 177. aduerſus Gallicas prætenſiones, iure deuolutionis in Brabantia aliisque Belgicis regionibus nixas, in ſucceſſione

ne quarundam regionum belgicarum. Si eius generis leges ad imperantes pertinerent, aut ſi imperans in ſuas leges obligatus eſſet: foret parens. Verum idea parentis et notio imperantis inter ſe pugnant, vti ius et obligatio (§. 23. et 27.): quare *imperans* legibus ſuis ſiue publicis ſiue priuatis vt obediens aut ſubiectus ſit, neceſſe non habet; et ob id dici poteſt quod *ſupra leges ciuiles* ſit. Quod ſi tamen ſinit, vt ſæpius vſu venire ſolet, ſe ex legibus iudicari, quando, e. g. cauſam ſuam imperans regimini ſuo committit decidendam: illud magis eſt virtutis, quam neceſſitatis, ſi ſententiæ latæ morem gerit; aut obligatio ex pacto proficiſcitur.

§. 48.

Imperantis obligatio ad leges I. P. vniuerſalis imperfecta eſt.

Neque etiam *perfecte imperans legibus iuris publici vniuerſalis deuinctus* eſt: quippe parentes nullum ius cogendi imperantem ex fontibus iuris publici vniuerſalis haurire queunt (§. 36.). Quando autem quispiam nullum habet alterum cogendi facultatem, ille alter eſt imperfecte obligatus (§. 31.): quapropter *obligatio* imperantis ad leges iuris publici vniuerſalis *eſt imperfecta.*

§. 49.

Penes diuerſos pro diuerſitate formæ Rerumpub. eſt ius leges ferendi. Vnde forma Reip.

Legem dandi ſumma poteſtas competit imperanti (§. 43.); Imperantis vocabulo a nobis nuncupatus is eſt, cui iure proprio poteſtas ciuilis in manibus eſt (§. 23.): apud quos itaque inuenias poteſtatem ciuilem, illis etiam facultas leges faciendi eſt. Quocirca *in Monarchia abſoluta Monarcha*, in *Ariſtocratia coimperantes*, in *Democratia populus omnis*, atque in *reliquis rerumpublicarum formis* illi, *penes quos imperium* eſt, *leges perferendi* publicas æque ac priuatas *habent poteſtatem* (§. 43. et 23.). Quæ *leges* pro diuerſitate rerumpublicarum diuerſa nomina ſortiuntur, *in Monarchia* audiunt *Conſtitutiones Principis*, in *Ariſtocratia Senatusconſulta* aut *magiſtratuum edicta*, in *Democratiis Plebiſcita*. Ac quoniam modo adminiſtrandi rempublicam legibus deſcripto *formæ reipublicæ* vocabulum imponendum reor cum HENNIGES in *Meditationum ad Inſtrumentum Pacis Cæſareo-Suecicum ſpecimine primo p. 5.*: hanc formulam ſequi poſſumus, vt ſi de forma reipublicæ iudicium ferre velimus, modum gubernandi rempublicam, quam maxime intentis oculis,

vt

vt aiunt, acerrime contemplemur, et vnamquamque rem, quæ per certum regendi modum expeditur, nobiscum in animis verſemus; tunc certe in oculos incurret inter alia, cui integra ac libera leges ſanciendi poteſtas.

§. 50.

Monarcha, Coimperantes collectiue ſumti, vt et Populus liber, non tenentur legibus Reip. easque mutare queunt.

Qui imperantes legem dicunt, illi deuincti lege non ſunt (§. 47.), quin etiam eandem mutare per abrogationem aut derogationem iuſte poſſunt (§. 44. et 45.) et hanc authentice interpretari (§. 46.). Quam ob cauſam in *Monarchia abſoluta Monarcha*, in *Ariſtocratia coimperantes*, in *Democratia populus integer*, inquam, integer, inque *aliis rebuspublicis*, ab his tribus formis recedentibus, illi *penes quos poteſtas ciuilis iure proprio, legibus reipublicæ non obſtricti tenentur; ipſisque* præterea *facultas* data intelligitur *leges abrogandi*, eisdemque *derogandi*, atque etiam illas *interpretatione authentica declarandi, reſtringendi, ſupplendi* (§. 23.).

§. 51.

In aliis præter abſolu-

In Monarchia abſoluta a voluntate vnius, ſcil. Monarchæ leges

tam Monarchiam Rerump. formis leges ſunt a plurium conſenſu. ges proficiſcuntur (§. 49.): quare in reliquis rerumpublicarum formis plurium voluntas conſpirans ad legem requiritur perferendam. Vbi autem plurium voluntas ad idem tendit, conſenſus adhiberi dicitur: ergo *in reliquis rerumpublicarum formis, praeter abſolutam Monarchiam*, cum plurium voluntas ad legem perferendam concurrat (§. eod.), *leges tam publicae quam priuatae conſenſu ſunt ſanciendae.*

§. 52.

In Rebusp. in quibus ferendae leges ſuffragiis, eae ſunt ex pacto. Vbi conſenſus plurium in eandem rem de iuribus et obligationibus perfectis conſtituendis, ibi eos *pactionem* facere videmus. Modus autem leges ferendi in aliis, extra Monarchiam abſolutam, formis rerumpublicarum ita eſt comparatus, vt conſenſus plurium adhibeatur (§. 51.) iusque perfectum eademque obligatio producatur (§. 33. et 47.). Proinde *leges* tam *publicas* quam *priuatas in omnibus, excepta Monarchia abſoluta, rerumpublicarum formis ex pacto* eſſe non habeo ambiguum.

§. 53.

In his igitur Quia conſenſu pactiones fiunt

(§. 52.)

(§. 52.) conſequens eſt, vt ad idem tempus, ad quod conſenſus, pactio duret. Quod ſi vero contra voluntatem alterius pacta infirmare intendit quisquam : agit contra alterius conſenſum (§. 32.) adhuc durantem, et ex conſequenti contra pactum firmum. Quapropter *contra paciſcentis voluntatem*, i. e. inuito eo, *pactum tolli* aut *commutari ab altero paciſcente nequit*. Cumque *leges in iis rerumpublicarum formis, quæ non ſunt monarchiæ abſolutæ*, ex pacto progignantur (§. 52.) : eadem ratio huius generis legum eſt, nempe enim quod *inuitis iis, qui ius, per conſenſum ſuum conficiendi legem, habent, mutari nequeant, multo minus noua ferri* ; ſiquidem ad eas nouus cuiusque conſenſus requiritur (§. 51.), qui ius ferendi leges vna cum aliis habet. Conſenſus et diſſenſus inter ſe pugnant : quippe ſub illo copulatio voluntatis intelligitur ; ſub hoc in contrarium nitens voluntas. Quare vbi diſſenſio eſt, deſinit conſenſus prior, hoc vero ceſſante, ceſſat pactum (§. 52.) ; ac mutato conſenſu, mutatur pactum (§. eod.), quocirca *diſſenſus tollit* quoque *legem eamque conſenſus mutatus partium mutat in regnis non-abſolutis* (§. 51. et 52.).

mutato conſenſu ſuffragantium, mutantur leges.

§. 54.

Reſp. in qua Comitia habentur, per ſuffragia gubernanda.

Sunt respublicæ, in quibus conſenſus per ſuffragia in comitiis interponi ſolet. *Comitiorum* nomen ſubeunt eorum, qui gentem repræſentant, conuentus, in quibus cauſſæ, ſpectantes rempublicam, feruntur aguntnrque. *Suffragia*, ſeu qnod idem, *vota* ſignificant voluntatis declarationem conſentientem de iis negotiis, quæ in comitiis voluuntur. In quibus cum res, ad reipublicæ gubernationem reſpicientes, tractandæ (vi defin. comit.): ſuffragia feruntur in negotiis, quæ ad reipublicæ rectionem referuntur. Quandoquidem vero ſuffragia voluntatis declarationes conſenſionesque ſunt (vi def.): non poteſt non conſequi, vt *in* huius generis *rebuspublicis, quæ comitia habent, rectiones ipſarum per ſuffragantium* voluntatem *conſenſumque fiant*. Quæ igitur negotia ad Reipublicæ gubernationem non pertinent, illa *comitialia negotia* non ſunt. Hinc *negotia priuata*, quia ad commodum priuatorum duntaxat directa ſunt, *ad Comitia non pertinent*. Ex quo cognoſcere licet, quid ſit cauſæ, quod in comitiis imperii negotia huius generis non tractentur.

§. 55.

Nonnullarum rationes rerumpublicarum ſic poſtulant, vt conſenſus conſpirans et *ſuffragia vnanimia*, ſi quid negotii in publicis conuentibus expediendum, requirantur, veluti in *Polonia*, vide HARTKNOCH. de *Republ. Polonica Libr. 2. cap. 1. §. 15.* Quod etiam apud *Belgas fœderatos* in negotiis magni momenti obſeruari ſolet, vt inter alios HERTIVS in *notis ad* PVFFENDORFF. *Libr. 7. cap. 2 §. 15.* I. N. et G. refert. Dantur quoque aliæ ciuitates, in quibus adminiſtrandis *plurima vota* valent, vt in *Imperio*, et *in certis caſibus*, v. g. religionis, *vnanimia*; vbi regula obſeruanda venit, quod *in tali reipublicæ ſtatu in dubio ea negotia, quæ non excepta, per plurima vota expediri queant.* Ex qua diiudicari poteſt quæſtio, quæ ob *ſanctionis pragmaticæ Garantiam* agitata in comitiis fuit, vtrum ad hoc decretum imperii plurima vota ſufficiant, an vnanimia requirantur? Præterea quoque interdum non tam plurima vota concludunt, quam *aliquota pars ſuffragantium.* In promtu eſt exemplum ex republica *Venetorum* deſumtum, vbi eo, quo Ieſuitæ ſunt

Obligatio ex ſuffragiis plurimis eſt ex pacto, etiam ratione diſſentientium, ſi plurima vota concludunt aut aliquota pars: ratione effectus nulla differentia obligationis ex pacto et ex ſubiectione.

eiecti, tempore pactio eſt facta, in qua continetur, quod ea revocari non queat, niſi ex ſex partibus Senatorum, in quas diuiſi ſunt, quinque partes conſentientes forent. Quod teſtatur ANDR. MAVROCENI in *Hiſtoria Veneta ab anno 1521. ad an. 1615. Libr. 17.* Si hoc mihi ζήτημα quisquam ponat perſoluendum, *vtrum in eius generis rerumpublicarum formis leges, quæ feruntur, ex conuentione originem trahant, nec ne*: illi ita *reſpondeo*, quod ad illas leges, *quæ vnanimi conſenſu perferuntur*, eas ex conuentione naſci ex eo clarum eſt, quia conſenſus omnium, qui conuentionem efficit (§. 52.), efficit legem (per hypoth.). Altioris indaginis eſt quæſtio altera, an *vbi plurima vota*, aut etiam certa pars ſuffragiorum legem conficiunt, hæc quoque lex proueniat ex conuentione, ratione eorum, qui non conſenſerunt. Sed tamen eam quoque rimemur, quantum poſſumus. Ad quam quidem diſquiſitionem intereſt intueri pauliſper animis eos, qui ſe in Rempublicam contulerunt, in qua ſumma rerum, per plurima ſuffragia adminiſtratur, ſeu, vbi maior pars ius habet integri, de qua re etiam egit HERTIVS *diſſ. quibus modis conſt. ciuit.* Sect. I. §. 3. et GROTIVS l. 2. c. 5. §. 17. ſeq. l. 3. c. 20. §. 4. PVFFEND, lib. 7. c. 2. §. 15. et c. 5. §. 20. HVBERVS

BERVS lib. 2. cap. 9. §. 15. ſeqq. HOVTVTN ad §. 85. et 94. ZIEGLERVS in *not. ad* GROTIVM *d. l.* qui auctores varias huius regulæ limitationes adducunt, nos eam generatim ita demonſtramus. Nonne eos, cum ſe in eiusmodi rempublicam receperunt, conſenſum generalem declarare oportuit, quod ſtructuræ reipublicæ ſeſe accommodare velint, adeoque, ſi in reipublicæ rectione plurima adſint ſuffragia, eorum ſuffragium, quamuis diſſentiens, ratione obligationis, vt conſentiens, conſiderare? Quod ſi vero illi ſuffragio ſuo conſenſiſſent: ex conuentione orta lex eſſet; (§. 52. et §. hoc.). Quare etiam tunc, cum quis in Republica, in qua plurima vota concludunt, diſſentiens ferat votum, ſi lex perferenda, dici poteſt, quod lex illa nata ſit ex pacto, ſcilicet ob antecedentem conſenſum generalem. Ac quoniam eædem rationes, quæ ad legem, ad actus omnes, qui in comitiis per ſuffragia aut vnanimia aut plurima peraguntur, conueniunt; veriſſima fronte pro certo confirmari poteſt, *quicquid per ſuffragia eſt decernendum, illam, quæ iis naſcitur, obligationem ſuffragantes in ſe ex pacto ſuſcipere.* Et quoniam ex pacto perfecta naſcitur obligatio, iuxta atque ex ſubiectione (§. 52. et 33.): *nulla* erit *differentia inter eos, qui ex*

pacto, et inter illos, qui ex ſubiectione obligati eſſe dicuntur. Ob eamque cauſam nec quicquam detrahitur ſummæ poteſtati, ſi dicatur, quod parentes ſuffragantes ex pacto teneantur. Quæ cum ita ſint, facile quiuis iuſtus rerum æſtimator de ea, quæ inter Doctores Iuris publici Germanici eſt controuerſia, exiſtimare poteſt, quam ſcilicet illa ſine effectu ſit: cum aliqui defendunt, *ſtatus imperii ex ſubiectione, non ex pacto* teneri, *alii* contra putant, *ſtatus ex pacto non ex ſubiectione ad parendum obſtrictos eſſe.* De qua inter Doctores agitata controuerſia, qui nonnulla legere cupit argumenta in vtramque partem, adeat MVTZIVM, *Corp. Iur. Publ. Part. I. cap. 7. §. 14. v. 79. etc. p. 116. et 117.*

§. 56.

Leges et generatim omnia, quæ plurimis ſuffragiis conſtituuntur, iisdem mutantur et tolluntur.

Si qui inter ſe pepigerunt: per eorum diſſenſum pactio illa commutari poteſt, tam aliqua ex parte, quam omni ex parte, quod quidem *ſublationem* vocant, (§. 53.). Sic igitur *leges in regnis limitatis et liberis rebuspublicis eadem ratione per diſſenſum ſuffragantium commutari abrogando aut derogando* fas erit (45. 53. 32.). Atque *ſi* res ad rempubli-

bublicam ſpectantes delatæ ad frequentiores ſunt, ita, ut *maior pars ſuffragantium vincat* minorem in ſanciendo: tunc etiam *omnia quæ facta ſunt decreta, æque ac leges, maiori numero ſuffragiorum mutari poſſunt.* Quia mutatio decreti aut legis in contrarium facta eſt noua legislatio (§. 44.): ex hypotheſi autem ratio reipublicæ ita ſeſe habere debet, vt nouæ leges plurimis ſuffragiis perferri queant, ob eamque cauſam in eiusmodi rebuspublicis decreta omnia legesque mutari plurimis votis poſſe, veritas explorata eſt.

§. 57.

Clauſula nullitatis reddit actus contra leges ſuſceptos ipſo iure nullos.

Actus ipſo iure dicuntur nulli, qui contra legis iuſſa nituntur, et ſtatim ab initio per ſe inualidi habentur. Quandoquidem leges in republica vel publicæ vel priuatæ ſunt (§. 39.), atque ex conſequenti tam his, quam illis actus aduerſi eſſe poſſunt: nullo negotio mente concipitur, fieri poſſe, vt etiam *actus, qui contra leges publicas ſuſcipiuntur, ipſo iure nulli* declarari queant. Quam quidem declarationem *nullitatis clauſulam* vocant: eamque videmus legibus publicis *etiam ratione imperantis adiectam.* Exempli cauſa nomino pacta

conuenta cum rege Poloniæ, qui in iureiurando ſuo promittere hoc ſolet: *et ſi, quod abſit, in aliquibus iuramentum meum violauero, nullam mihi incolæ regni, etc. obedientiam præſtare debent.* Referente HARTKNOCHIO de *republica Polonica, Lib. 2. cap. 2. §. 21.*

§. 58.

Sed tantum actus Parentium. Quoniam iſtud, quod contra leges, iniuſtum eſt: *actus ipſo iure nulli iniuſti* habendi (§. 57.): atque ita nihil inde iuris proficiſcitur. Ac cum parentes legibus et publicis et priuatis teneantur (§. 47.): conſequens eſt, vt actus, qui ſunt contra leges, ipſo iure nulli fieri queant, atque inualidi tunc ſint ac iniuſti, *nihilque iuris producant.* Quod quidem efficacitatis *et clauſula nullitatis ratione parentium* in republica habet.

§. 59.

Non etiam Imperantium. Non idem in imperante clauſula nullitatis efficit: etenim is legibus ſubiectus non eſt (§. 47.), quare quoque actiones eius a legibus non declarari queunt inualidæ, adeoque *nullus imperantis actus eſt ipſo iure nullus* (§. 57.). Iam cum *clauſula nullitatis* actus ipſo iure nullos red-

reddat (§. eod.) : illa *in imperantem non conuenit*, ac *ſine* eo, quem apud parentes producit (58.), *effectu eſt*.

§. 60.

An Lex commiſſoria Imperantes perfecte obliget.

Sub lege commiſſoria tunc cuidam *imperium defertur*, quando imperans, ſi contra nexum reipublicæ conſtitutum agat, ob id imperium amittere debeat. Ea *falſo credita lex* et æque *imperantem*, ſi maxime etiam ſub ea conditione acceperit imperium, *non tenet perfecte obſtrictum*, ac clauſula nullitatis, in imperante non obtinet. Si enim imperans ex lege commiſſoria perfecte obligatus eſt ad reſtituendum parentibus imperium, parentibus perfectum ius in imperantem competat neceſſe eſt (§. 31.), hoc eſt dicere ius cogendi imperantem (§. eod.); verum ius, cogendi imperantem, parentibus negauimus (§. 36.) : quare lex Commiſſoria imperantes non obligat perfecte, et ob id inualida cum HENNIGESIO ad *Grot. Libr. 1. cap. 3. §. 16.* habenda. Eiusdem *imperfecti valoris eſt* iſta *lex*, quæ vult, *quod imperantem ſub nulla alia conditione, quam præſcripta, faciat :* qualis lex olim erat in regno Arragonenſi, vti ANTONIVS PEREZ, qui a ſecretis ſtatus li-

teris erat PHILIPPO SECVNDO Regi Hiſpaniarum, in ſuis relationibus refert.

§. 61.

Differunt leges fundamentales ab legibus publicis et regiis: illis nititur I. P. particulare cuiusuis Reip.

Quandoquidem cum legibus publicis, de quibus iamiam verba fecimus, quandam cognationem habent leges fundamentales: has nunc mihi tempus exponendi videtur. Quæ quidem *leges fundamentales* per pactiones expreſſas, ante translationem ciuilis poteſtatis inter futurum imperantem et populum, de omni ſtructura reipublicæ factas, eam ob cauſam definiendæ ſunt, quod *fundamentum reipublicæ* nihil aliud ſignat, niſi id, cui reipublicæ ſtructura, quanta quanta eſt, innititur. Et hoc modo *poſſunt* etiam *leges regiæ vocari fundamentales:* prouti lex regia de iure ſupremæ poteſtatis et hæreditariæ ſucceſſionis regni Daniæ, de anno 1665. in proëmio vocatur. Eſt autem hæc *differentia legis regiæ a fundamentali*, quod hæc pactum, illa non pactum, ſed diſpoſitio voluntaria regis de regni ſtructura ſit. *Structuræ* nomine venit imperantium ac parentium cohærentia moralis ſeu nexus, qui cum efficiat ius publicum (§. 1.): conſequens eſt, vt

legi-

legibus fundamentalibus regiisque reipublicæ illius ius publicum innitatur. In *quo* igitur eſt cupiditas imbibendi animo iuris publici cuiusuis particularis veritates, omni admiſtione errorum liberatas et integras, *ille* e legum fundamentalium regiarumque fontibus hauriat et quicquid inde hauriet, purum liquidumque ipſum haurire ſentiet. Quod *leges fundamentales* pro eo, ac eas definiui, reuera ſint *pactiones*, quodque *ante ciuilis poteſtatis translationem fiant*, et experimento, quando dicitur legem fundamentalem factam eſſe, diſcimus, et (§. 34.) ſat planum traditur. Quando itaque *poſt ciuilis poteſtatis translationem inter imperantes et parentes pacta*, ad ſtatum publicum ſpectantia, fiunt, illa a nobis *nuncupari leges fundamentales non queunt*, verum tantummodo *vocabulo legum publicarum* vt *inſigniantur*, merentur (§. 39.). Secundum ea, quæ modo aſſeruimus, quod capitulationes in imperio conſtituant leges fundamentales, easque vnas, ex eo clarum, quod *capitulatio* ſit *pactio*, vti ipſa capitulatio Caroli VI. in proëmio probat: *deinde*, quod ea imperii omnis ſtructura contineatur, ſiquidem exprimit, qualis nexus inter imperatorem et ſtatus eſſe debeat: *tertio*, quod ex pactione demum imperator poteſtatem ciuilem nanciſca-

ciſcatur ratione imperii. Et cum in nulla alia lege hæc requiſita legis fundamentalis, quam in capitulatione, reperiantur: illa capitulatio lex vna fundamentalis imperii eſt. Reliqua decreta itaque comitialia ſtatum publicum imperii ſpectantia, ſiue *Receſſus Imperii*, *leges publicæ*, *non fundamentales*, ſunt. Quoniam tamen leges imperii publicæ, capitulationibus confirmatæ, eius naturam induunt: inde more loquendi *leges imperii publicæ* et *fundamentales pro vna eademque re habentur.*

§. 62.

Leges fundamentales dant conſtitutionem et formam Reipubl.

Reſpublicæ originem ex pacto, eoque vel tacito vel expreſſo, trahunt (§. 52.). Si pactum hocce eſt expreſſum atque ita comparatum, vt eo tota ſtructura Reipublicæ innixa ſit: tunc legis fundamentalis nomen ſubit (§. 61.); quare quoque reſpublicæ lege fundamentali conſtituuntur. Sique tota reipublicæ ſtructura *lege fundamentali* fundata eſt (§. eod.): eadem etiam *nititur forma Reipublicæ*; vtpote quæ forma ſine Republica et Reſpublica ſine iure publico (§. 2.), hoc ſine imperantium et parentium nexu (§. 1.), qui Reipublicæ ſtructuram conſtituit (§. 34.), concipi nequit.

Quo-

Quocirca lex fundamentalis formam quoque dat Reipublicæ, indeque ſine adiumento legum fundamentalium ac publicarum, ſi quæ in Republica ſunt, iudicium de forma rerumpublicarum ferri nequit. Hinc vides, quam *præpoſtere agant, qui de forma imperii diſceptant ex diſciplina politica tantum*, non ex legibus imperii fundamentalibus.

§. 63.

An L. F. imperantes imperfecte, Parentes perfecte, obligati: ſi contra has Imperantes agunt, Parentibus licet non obedire.

Ob perfectam ex pactione proficiſcentem obligationem (§. 32.) ea, quæ quis promiſit, ſunt ſeruanda, alioquin cogitur (§. 31.). Propterea que quod leges fundamentales inter pactiones referuntur (§. 61.), *imperantes legibus fundamentalibus eadem perfecta obligatione conſtricti tenerentur, niſi* parentes poſt ciuilis poteſtatis in eos translationem iure cogendi imperantes priuarentur (§. 36.). E contrario cum imperans per imperii translationem ius cogendi parentes adipiſcatur: ob ius, quod conſecutus eſt, perfectum (§. 32.), non difficile eſt ad iudicandum, quod *leges fundamentales alligent perfecte parentes omnes* (§. 31.). Sed quæret aliquis, *quid* tandem vtilitatis hac ratione

tione *parentes ex legibus fundamentalibus percipiant*, ſi iis obligare ſibi imperantem perfecte non queunt: ad ea, quæ quæſita ſunt, reſpondeo, ad commodum parentium pertinere, quod temporibus illis, quibus imperans contra leges fundamentales agit, illi obſtricti obedientiæ vinculis non ſint; atque in hoc niti ius ſeſe ſubducendi alterius poteſtati ciuili, aiunt republicani. Quam cauſam etiam in medium proferunt Belgæ in ſui defenſionem, quod ſeſe ſubduxerint imperio Hiſpanorum, ſcilicet Hiſpanos violaſſe pacificationem Gandauenſem, quæ legis fundamentalis loco fuiſſet, aiunt. Quam quidem cauſam, ob quam ſeſe ſubduxerint Belgæ, et ex qua nata ſit Reſpublica Belgica, declarant *les remarques ſur l' Etat de provinces unies des Pais-Bas de Monſieur le Chevalier Temple pag. 49.* in quo loco dicit autor: *cette union* (intelligit vnionem Vltraiectenſem anno 1579. factam, qua ſtatus Reipublicæ Belgicæ fuit formatus) *fût fondé ſur l' infidelité des Eſpagnols, qui avoient violé la pacification de Gend* (1567.). Quod nullis obedientiæ vinculis parentes teneantur, ſi princeps legem fundamentalem violauerit, hoc etiam expreſſis verbis diſpoſitum eſt in pactis conuentis regni Poloniæ, quorum exemplum (§. 57.) ex

HART-

ex HARTKNOCHIO adduxi. Ac quidem iuſſis imperantis, legi fundamentali contranitentibus, parentes eſſe obedientes eam ob cauſam non tenentur, quia aſſeueramus imperantem in hoc caſu, quo in aliud, quam agit, per leges fundamentales obligatur, nullo iure agere. In quo caſu autem nullum imperantis ius locum habet, in eo nulla concipitur parentium obligatio (§. 26.) Quapropter *ſi quicquam imperans mandat, quod legibus fundamentalibus aduerſum tenet, ad id expediendum nullam video in parentibus obligationem* (§. eod.). In quo caſu non obedire licitum adeo eſt, reſiſtere illicitum (§. 36.). Inde recte HOVTVYN in *Politica generali contracta*, in *praemonitione ad lectorem: Cave*, inquit, *non obedientiam cum actu reſiſtentiae confundas*. Conſtituit autem hic autor in *notis in* §. 88. *tres gradus reſiſtentiae, primus* intra nudam mali declinationem et iuſſi negationem conſiſtit: improprie *alter* gradus in mali propulſatione conſiſtit: *tertius* in dantis ſimul offenſione ſeu coactione, quae adhibita contra imperantem ſemper illicita (§. 36.). Quo ſenſu falſo ſtatuit GROTIVS *Libr. 1. cap. 4.* §. 14. quod certo euentu regi reſiſti poſſit. Iam exemplum huiusmodi clauſulae reſiſtendi,

quod

quod habuimus in regno Hungariæ refutauimus (§. 36.): idem ſentiendum de exemplis, quæ ſunt in METERI *Annal. Belg. in annum 1229.* ratione Brabantiæ et Flandriæ; et *in annum 1468.* intuitu tractatus inter LVDOVICVM XI. Regem Galliæ, et CAROLVM Ducem Burgundiæ. Ex his, quod imperans in leges fundamentales imperfecte tantum obligetur, ratio reddi mihi poſſe videtur, cur in capitulationibus imperatorum Romanorum formula adhiberi ſoleat: *vvir ſollen und vvollen:* ſcilicet, *vvir ſollen*, ſignificat obligationem, ex capitulatione proficiſcentem; *vvir vvollen* indigitat voluntatem liberam imperatoris, animumque adimplendi promiſſa ſua, in quæ imperfecte obligatus eſt. Quando explicatio hæc ratioque non adferatur, *formula, vvir vvollen, ſuperuacua* foret. Etenim clarum eſt, quod ſi quis ex pacto quidquam debet perfecte, non tunc amplius ab eo pendeat, *ob er vvolle*, an velit: quod tamen tunc adhuc dici poteſt, cum eius obligatio imperfecta eſt, quippe qui ad eius adimpletionem cogi nequit (§. 31.), adeoque qui imperfecte obligatur, facere aliquid ex ſuo arbitratu et ſua voluntate poteſt. Ac ita omni cautione iureque Imperator his verbis exprimere *obligationem ſuam voluntariam* ſolet: *vvir ſollen und vvollen.*

§. 64.

§. 64.

Obligatio perfecta ſine alterius iure perfecto concipi nequit; ſiquidem alter, cui eius generis obligationem debemus, cogendi habet facultatem (§. 31.): quare ſi quis contra pactiones, ex quibus obligatio perfecta naſcitur, agit (§. 32.), contra alterius ius ferri agique res dicimus, eaque actio illicita iniuſtaque audit. Ex quo cogi poteſt, *qui contra leges fundamentales quicquam in damnum imperantis admittunt, illi contra iura imperantis tendunt* (§ 61. et 26.): quod iniuſtum eſt illicitumque. Inde non parentes ſolum, verum *etiam exteri, qui parentibus contra leges fundamentales nitentibus auxiliantur*, iniuſte agunt. Ac quoniam imperans imperfecte in leges fundamentales obligatus (§. 63.), actus autem contra eiusmodi obligationes tantum interne iniuſti ſunt: *imperans* quoque, *ſi quicquam contra leges fundamentales ſuſcipit, interne iniuſtus* ſeu *iniquus* eſt (§. 305.), atque ita contra eas quidquam moliendi *non habet moralem facultatem.* Quod etiam ille rex Galliæ, qui alias acerrimus regiæ poteſtatis vindex fuit, LVDOVICVS XIV. agnouit, quippe

Si contra L. F. Imperantes quid agunt, inique agunt; ſi alii, iniuſte: nemo habet cauſæ cognitionem, ſi Imperans in L. F. peccat.

cuius iuſſu SIDNEVS *Traité des Droits de la Reine de France* ſcripſit. In quo tractatu autor iura Reginæ Galliæ, et ex conſequenti etiam Regis, in certam partem Belgii Hiſpanici defendit, vbi tamen inter alia hæc conſcripta reperio: *que les Rois ont cette heureuſe impuiſſance de ne pouvoir rien faire contre les loix de leurs Pais.* Sed *ſi princeps in leges fundamentales peccet*, exiſtit quæſtio, quæ agitata imprimis tam ante quam poſt regicidium Anglicanum fuit: *cui competat cauſæ cognitio.* Ego quidem puto, nemini: quia illa ſupponit iudicem, qualis imperantibus non eſt, cum imperans ipſe ſummus in Republica iudex ſit (§. 150.), et ſupra leges (§. 47.). Vnde ſi violatio legis fundamentalis a principe facta eſt aperta: hunc, quem §. proximo adduxi, non alium producit effectum. Inde, colligere datur, quid de regicidio Anglicano ſentiendum.

§. 65.

Actus Parentium contra L. F. ſunt ipſo iure nulli, et hi pœnæ ſtatutæ ſubſunt.

Quoniam leges fundamentales parentium ratione firmitudinem habent perfectam (§. 63.): actus parentium contra illas ſuſcepti ſtare non poſſunt, verum inualidi pronunciandi. Quapropter *parentium*

rentium actus, qui contra leges fundamentales tendunt, ſunt ipſo iure nulli (§. 57.). *Sique pœna* transgreſſionis legis, parentibus, præterquam quod talis actus nullus ſit, eſt *conſtituta: illi eadem obligantur;* quippe imperans eos coercendi habet vim ac poteſtatem (§. 32.).

§. 66.

LL. F. mutare et tollere mutuo Imper. et Parentium conſenſu et ſic aliam Reip. formam introducere aut Remp. plane tollere licet.

In disquiſitionem iam venit: *an quidquam immutare de legibus fundamentalibus liceat,* aut etiam *easdem tollere plane?* confirmare vtrumque liquido poſſum. Nonne finiuimus leges fundamentales omnes eſſe pactiones (§. 61.)? quæ cum mutuo conſenſu paciſcentium mutari pſſiont, atque etiam tolli (§. 53.): quin leges fundamentales mutari tollique poſſint, ac quidem mutuo diſſenſu eorum, qui eas conſtituerunt, nulla cauſa eſt. Ac cum leges fundamentales in Republica quauis conſenſu æque parentium ac imperantium conficiantur (§. 61.): non etiam mutari aut tolli leges fundamentales a ſolo imperante queunt, verum mutuo imperantis parentiumque conſenſu. Ac cum leges fundamentales dent conſtitutionem formamque reipublicæ (§.

 62.)

62.) : conſequitur, vt *ab iisdem, a quibus leges fundamentales mutari tollique queunt, etiam alia reipublicæ forma introduci, aut respublica plane tolli poſſit.* Ex quibus diiudicari ſententia HOVTVTNI poteſt in ipſius *Politica generali*, §. 17. n. 6. ſtatuentis, quod et numeris pars minor, modo fortior, inuita maiore, concludere pro imperio eiusque forma et modo poſſit. Confer. HERTII interpretatio huius loci §. 3. *de modo conſtituendi ciuitates.*

§. 67.

LL. F. interpretatio authentica non ſolum ad Imperantes, ſed etiam ad Parentes pertinet.

Legum interpretatio authentica ad ipſarum autores pertinet (§. 46.). Legum autem fundamentalium effectores cum ſint imperans et parentes (§. 61.) : *non poteſt legum fundamentalium interpretatio authentica ad ſolum imperantem ſpectare, verum etiam ad parentes.* Hinc colligere licet, quid ſit cauſæ, quod vi I. P. W. ſi leges imperii interpretandæ ſint, hoc mutuo conſenſu imperantis ſtatuumque fieri debeat.

§. 68.

Quando Imperans vtrumque ſo-

Hæc, quæ duobus §. proximis diximus, vera eſſe quilibet videt : ve-

verum tamen caſus incidere poteſt, quo imperans ſolus leges fundamentales mutare aut tollere, interpretarique iure quodam ſuo queat; ac quidem ex iure conſeruandi rempublicam (§. 28.). Quoniam enim leges fundamentales fundant integram reipublicæ ſtructuram (§. 61.); hæc autem ſtructura nexum reipublicæ ſeu imperantium et parentium nobis proponit (§. 34.): conſequitur, ut, *ſi leges fundamentales ita ſint comparatæ, vt per eas nexus reipublicæ conſeruari nequeat*, illæ ſint contra ius imperantis conſeruandi rempublicam (§. 29. et 28.), quare ſine iure ſunt poſitæ ob eamque cauſam *ad eas ſeruandas imperans non poteſt obligatus eſſe*, quippe cuius iura perfecta ſunt (§. 33.), et ex conſequenti perfectum etiam *ius eſt penes imperantem* ſuam conſeruandi rempublicam; atque ita *eius generis leges* fundamentales, quæ iuri conſeruandi contratendunt, *ſolus authentice interpretari, mutare, tollereve poteſt.* Porro cum leges fundamentales conſtituant ciuitatem eiusque formam (§. 62.): facile patet, quod *imperantes, coacti rerum neceſſitudine, mutandi conſtitutionem formamque reipublicæ habeant facultatem.*

lus facere e aliam Reip. formam introducere poſſit.

§. 69.

Sanctio Pragmatica differt a L. F. de iure ferendi Sanctiones Pragmaticas.

Legem fundamentalem oportet, ſtructuram omnem declaret reipublicæ (§. 61.), atque etiam in pactione expreſſa conſiſtat (eod.). Quanquam igitur *pactio expreſſa cum futuro imperante* confecta ſit, in qua promittit imperans, *quod parentibus libertatem perſonalem, vitam, rerum dominia ac priuilegia ſalua ac intacta relinquere velit*: nihilominus tamen, quia huius generis pactione non ſtructura reipublicæ incluſa continetur, illa quoque *non induit indolem legis fundamentalis* talem, qualem deſcripſimus (§. eod.). Hinc lex fundamentalis, adeoque *capitulatio non eſt illa pactio* RVPERTI *palatini cum Electoribus*, in qua quidem ſingularia quædam Electoribus promiſit, quibus tamen tota ſtructura imperii non continetur, prout ex pactione ipſa, quam OBRECHTVS in *Apparatu I. P. pag. 71. ſqq.* adducit, videre eſt. Ad quod itaque reſpciendum, ſi quis originem legis fundamentalis, adeoque capitulationis Germanicæ (§. 61.), reperire cogitet, ex requiſitis legis fundamentalis (§. cit.) firmatis colligi facili negotio poteſt. *Multo minus* adeo *lex fundamentalis in ea republica eſt, quando nulla pacti,*

ctio expreſſa in transferenda ciuili poteſtate facta eſt. Poſt ciuilis poteſtatis translationem ſi imperans quidpiam ſingulare, ſtatum publicum ordinans: ita diſponit, vt perpetuæ legis et immutabilis vim habere debeat, illa lex publica ſpeciatim audire *ſanctio pragmatica* amat. Nota eſt illa Galliæ ſanctio pragmatica de creandis epiſcopis: notior adhuc eſt illa, quæ iam omnium ſermone celebrata, ſanctio pragmatica, quam ad conſeruationem DOMVS AVSTRIACÆ in imperii emolumentum conſtituit IMPERATOR NOSTER AVGVSTISSIMVS, prudentia ad proſpiciendas inſidias præditus ſingulari, quem Deus quam diutiſſime ſeruet. Quicunque igitur iure pollet legem ſanciendi publicam, ille quoque poteſt ſanctionem pragmaticam facere; at ille princeps, qui iure hæreditario, vti imperator, prout cuilibet notum, terras ſuas poſſidet, poteſt leges publicas facere, de modo ſucceſſionis: ergo IMPERATOR quoque *poteſt ſanctionem pragmaticam de modo ſucceſſionis in terris ſuis, quas iure hæreditario tenet, conficere.* Nec ſententiam GROTII de *Iur. Bell. ac Pac. Libr. 2. cap. 7. §. 27.* in contrarium adducas, quod cauſa ſucceſſionis non ſubiecta ſit regimini regnanti. Quod ſuo modo ſubiecta ſit probaui in Meditat. ad ſanct. prag-

 mat.

mat. Carol. Iuſt itaque Imperatoris talem conficiendi ſanctionem pragmaticam, quæ ſucceſſionem ordinat fruſtra impugnant *les Reflexions d' un Patriotte Allemand impartial ſur la* demande de la Garantie de la *ſanction pragmatique imperiale.*

§. 70.

Populus quilibet ſuſtinet perſonam moralem.

Quandoquidem populus cum futuro imperante legem fundamentalem conſtituit (§. 61.): ius populi eam conficiendi imperantemque ad illam obligandi, per eamque ſibi ius acquirendi, quod HOBBESIVS in dubium vocauit, operæ pretium eſt cognoſcere. Plura *ante* ſupponere debemus, ac præcipue quæſtionem, *an populus ſit perſona moralis*, perquirere, *quam* ius populi conficiendi leges fundamentales ſibique iis ius adipiſcendi, cognoſcere datur. Ex vnione voluntatis plurium perſonarum ad eundem finem perſona moralis diiudicatur (§. 31.). Quare, quando homines, qui explent populum, copulant voluntates ſuas ad principem ſibi eligendum, eius generis homines conglutinant voluntates ſuas, qui ſunt a poteſtate alterius ciuili immunes (§. 23.): adeoque impediri a nemine, quo minus coaleſcant,

cant, iure poſſunt. Et ex hac libertate illi populo facultatem copulandi voluntatem ſuam denegare nec quisquam poteſt: ob eamque cauſam quiuis populus perſonam moralem, copulatis voluntatibus, tuetur. Perſona moralis audit alias etiam *perſona ciuilis* et cognoſcitur potiſſimum ex aggregatione iurium: adeoque perſona reipublicæ, ſeu populi, ciuilis conſiſtit in iure Reipublicæ ſeu populi.

§. 71.

Populus faciendo pactiones iura ſibi acquirere ſeque obligare poteſt.

Cognoſcitur quælibet perſona ex ſtatu ſuo (§. 35.), ex quo cum iura quædam proficiſcantur (§. eod.): ſequitur, vt etiam perſona moralis omnis quibusdam iuribus gaudeat; atque ex conſequenti fieri poſſit, vt iura quædam adipiſcatur. Cumque ex pactis iura nobis perfecta naſcantur (§. 32.): etiam perſonam moralem pactione ſibi iura acquirere poſſe elucet. Proinde *populum* quoque *iura ex conuentione acquirere, dubium non eſt* (§. 70.). Habere autem populum facultatem pacta faciendi, ego quidem ita demonſtro: Pacta conſenſu perficiuntur (§. 32.), qui cum voluntatum coniunctionem ſignet (§. eod.), et populus ob perſonæ moralis repræſentatio-

nem animum ſuum ac voluntatem ſignificare poſſit (§. 70.) : *populus facultatem habeat neceſſe eſt paciſcendi*, atque ex conſequenti, vt exordium rei demonſtrandæ repetam, *iura ex pacto adipiſcendi.* Porro cum ex pacto obligationes quoque exoriantur (§. 32.) : populus *conſenſu pactitio et ſe et alios obligare in aliquid poteſt.*

§. 72.

Populus ius habet leges fundamentales ponendi.

Quoniamque ſic populus ius habet paciſcendi, ac paciſcendo et iura et obligationes conſtituendi (§. 71.) ; leges autem fundamentales pacta ſint, eaque, quæ inter futurum imperantem interque populum, ſiue quod idem, inter eos, qui perſonam populi gerunt, intercedunt (§. 61.) : demonſtratam vides rem in dubium vocatam (§. 70.), *populum iure gaudere leges fundamentales conſtituendi, iuraque et obligationes in vtraque parte producendi.*

§. 73.

Parentes iura per LL. F. ſibi reſeruare poſſunt, eaque Imperans conſeruare tenetur.

Populum iura ſibi ex pactione, adeoque etiam ex lege fundamentali, acquirere fas eſt (§. 71. et 61.) : quare quoque, ob neceſſarium obligationum et iurium nexum (§. 26.),

26.), *imperans obligatus eſt, vt relinquat hæc iura, lege fundamentali promiſſa parentibus.* *Quoniam* vero ea imperantis *obligatio imperfecta* tantum eſt (§. 63.): *iusiurandum*, tanquam remedium, quo arctius conſcientia imperantis conſtringatur, *adhiberi ſolet*, nullaque alia ratio, niſi quod imperans imperfecte duntaxat obligatus parentibus ſit, in medium proferri poteſt. Quapropter in regnis, limitatis præcipue, iura parentium iureiurando imperans vt confirmet, obſeruantia obtinet, antequam imperii habenas in manus ſumat. Exempli loco adducere mihi liceat iusiurandum IMPERATORVM ROMANORVM, quo capitulationem confirmant, quodque omnibus capitulationibus annexum videre licet.

§. 74.

LL. F. nec tollunt nec minuunt ſummam Imperantis poteſtatem neque faciunt hunc dependentem, ſed ſummus æque et abſolutus princeps eſt.

Eſt inter iuris publici doctores de eo controuerſia: vtrum leges fundamentales tollant, aut certe minuant ſummam principis poteſtatem, an arctius ſolummodo exercitium ſummæ poteſtatis conſtringant. Quem ea res nonnullam in dubitationem videtur adducere, ille ſecum has rationes reputet, quod leges fundamentales

reipu-

reipublicæ ſtructuram complectantur (§. 61.), hoc eſt dicere, nexum imperantium ac parentium (§. eod.). Quamobrem cum per leges fundamentales imperans conſtituatur; imperans vero poteſtatem ciuilem habeat oportet (§. 23.), eamque ſummam (§. 24.): *per leges fundamentales imperantis conſtituitur poteſtas ciuilis ſumma*; adeoque *non minuitur, multoque minus tollitur.* Notandum autem hic eſt, quod, dum aſſero leges fundamentales non minuere ſummam poteſtatem, iſtud tantum intelligam *quod ad ſummitatem* ratione *eminentiæ*, a qua cum doctoribus ſeparo *plenitudinem poteſtatis*, quam tantum concedunt abſolutis principibus *(aux Souverains)*. Cumque ſummum ſit independens (§. 24.): facile patet, quod leges fundamentales *non faciant imperantes dependentes.* Quamuis itaque imperantes legibus fundamentalibus teneantur: nihilominus tamen *æque ſummi et independentes*, *atque abſoluti principes, ſunt.*

§. 75.

Iura legibus fundamentalibus, relicta parentibus, non ſunt priuilegia.

Iura legibus fundamentalibus conceſſa parentibus, *minus recte* nonnulli *priuilegia* vocant, propterea quod *priuilegia ſunt* iura ſingularia, quæ imperans in quas-

quasdam perſonas peculiariter confert. Eo autem tempore cum leges fundamentales conficiuntur, neque imperans quisquam, neque parentes adſunt re et actu (§. 61.): ergo etiam iura, ex legibus fundamentalibus competentia quibusdam, priuilegia dici non queunt, ſed ſimpliciter iura dicuntur, et a priuilegiis diſtinguuntur, vti obſeruare licet hoc in priuilegio MAXIMILIANI PRIMI, IMPERATORIS, conceſſo reipublicæ Iannenſi ſuper variis feudis anno 1513; in quo imperator dicit: *Nos priuilegia, iura laudamus, approbamus, ratificamus, innouamus, confirmamus, ac de nouo concedimus.* Multo minus, quando ab imperante poteſtas ciuilis ſuprema *(ſouveraineté)* cuidam conceditur, dici poteſt, quod ex priuilegio hæc iura ſumma ſint deriuanda: propterea quod vi definitionis priuilegii per id non niſi iura ſingularia concedantur, poteſtas ciuilis autem eſt vniuerſitas ſeu complexus iurium (§. 25.); quare *nulli imperanti ex priuilegio dari poteſtas ciuilis poteſt.* Itaque priuilegium dici non poteſt *la Declaration de Henri III. Roi de France, ſur les Droits de ſouveraineté accordés au Duc de Lorraine, dans le Baillage de Bar, anno 1575.*

§. 76.

§. 76.

Imperans habet ius priuilegia Gentium publica et priuata dandi.

Quandoquidem datur ius Gentium (§. 41.), ac in rebuspublicis ius publicum et priuatum (§. 43.): dentur quoque neceſſe eſt priuilegia gentium, publica et priuata (§. 75.). *Priuilegia gentium* conſiſtunt in iuribus ſingularibus, quæ imperans in ſua republica alteri genti peculiariter præ aliis concedit pacto. Huius generis ſunt priuilegia conceſſa per Sultanum Achmet Imperatorem Turcarum Statibus prouinciarum Belgicarum confœderatarum anno 1612., quæ ſunt in *Tomo II. corporis Iuris Gentium Academici, pag. 2266. ſeqq.* *Priuilegia publica* ſunt iura ſingularia, cuidam Reipublicæ membro præ aliis conceſſa, ab imperante, nexumque huius membri cum republica reſpicientia. Hoc nomine nuncupandum eſt priuilegium DOMVI AVSTRIACÆ A CAROLO V. datum, cuius ſummam MONZAMBANO de *Statu Imperii Germanici cap. 2. §. 2.* ſub vno adſpectu ponit. Eiusdem naturæ eſt priuilegium REGIS SVECIÆ ratione prouinciarum Germanicarum de non appellando, beneficio I. P. W. *art. 10. §. 12.* Vocabulo *priuilegiorum priuatorum* nominanda iura ſingularia, quæ imperans vni parentium reſpectu vtili-

tatis

tatis priuatæ præ alio tribuit. Ac quoniam imperans, ſeu gens cum alia gente paciſci (§. 42.), atque ita ius quoddam peculiare in eam præ alia transferre poteſt, quoniamque imperanti ius iura tam publica quam priuata ſtatuendi non denegauimus (§. 43.): nihil impedit, quo minus *imperans priuilegia gentium, nec non publica et priuata dandi habeat facultatem.*

§. 77.

Imperantes poſſunt haec adimere, interpretari, mutare, non v. iura parentibus per LL. F. confirmata.

Iura, ſiue quod idem, leges (§. 43.), quæ ab imperante proficiſcuntur, mutandi (§. 44.), iisque derogandi, et illas abrogandi (§. 45.), authentice interpretandi (§. 46.), idem imperans ius habet, neque ad eiusmodi leges latas ſeruandas obligatus eſt (§. 47.). Nemo itaque in dubium vocabit hanc noſtram ſententiam, quod *imperans*, quando placitum eſt illi, iure quodam ſuo, *priuilegia adimere, interpretando explanare ſenſum priuilegii conceſſi, queat,* quodque *nec vllam obligationem,* ne imperfectam quidem, *priuilegia, quaſita aliis ex libera imperantis voluntate, conſeruandi* exinde *ſentiat* (§. 75.). Quæ cum ita ſint, non ſine ratione HVBERVS de *Iure Ciuitatis Libr. 1. cap. 17. §. 16.* monet, ne quis ſtatuat,

ſtatuat, quod Belgium fœderatum ſeſe ſubduxerit imperio Hiſpanorum ob violata priuilegia, quia tunc valde infirmum eorum ius ſe in libertatem vindicandi fuiſſet, ſiquidem imperans in priuilegia pura ſeruanda obligatus non eſt. *Aliter ſe res babet, quando negotium, quod imperantem obligat, accedat:* quale negotium eſt *pactum*, quod ex iure naturæ et gentium non ſolum imperantes ratione aliorum imperantium obligatos tenet, verum etiam reſpectu priuatorum (§. 38.). Quocirca, *quando gens genti pacto immunitatem concedit*, v. g. a vectigalibus, qualis immunitas a vectigali in freto oreſundico pendendo Suecis data eſt pace Brömſebroica inter Sueciam et Daniam anno 1645. facta *art. 2.:* aut *ſi parens certa pecunia præſtatione priuilegium redimat*, quæ *priuilegia oneroſa* vocantur; ad ea ſeruanda imperans obſtrictus eſt. Proinde CLERICVS in *Bibliotheque choiſie Tom I.* §. 47. probe ait: *on ne peut faire dependre la durée de toutes ſortes de priviléges du caprice changeant des Princes.* Conferri in materia priuilegiorum merentur OBS. HALLENS. *Tom. 3. Obſ. 13. 14. 15. et ſq.* Cum reliqua *priuilegia*, quæ nullo pacto, ſed ex ſola principis gratia, ob quam etiam *gratioſa* vocantur, profecta ſunt, non tantam habent

fir-

firmitudinem: *quo* illa *eo confirmatiora ſint,* priuilegia, præcipue publica, *legibus fundamentalibus innecti ſolent* eo conſilio, vt eadem ratione, ac leges fundamentales, obligent imperantes ad ea cuſtodienda (§. 63.). Ob eandem rationem plurima priuilegia Statuum Imperii in Capitulatione ſua Imperator confirmanda habet. Quod *ſi priuilegia* in eum locum deducta ſunt, ut *legi fundamentali inſerta*, aut *pacto conſtituta*, aut *confirmata:* tunc *imperans non poteſt* priuilegia *adimere, niſi quatenus illi licitum eſt, leges fundamentales mutare* et *a pacto recedere* (§. 68.). Tale pactum, quo inter alia iura et priuilegia ordinis equeſtris Liuoniæ, vltra citraque Dunam habitantis, confirmata fuerunt, factum eſt 1561. inter SIGISMVNDVM AVGVSTVM Regem Poloniæ et GOTTHARDVM KETTLERVM equeſtris ordinis Teutonici in Liuonia Magiſtrum. E contrario ex priuilegiorum et legum fundamentalium diſtinctione conſequitur, vt, *ſi legibus fundamentalibus conceſſa iura in priuilegia mutentur, nullam obligationem eas ſeruandi in principe adeſſe.* Et hoc fuit cauſæ, cur LVDOVICVS XII., Galliæ Rex, Genuenſibus leges ſuas fundamentales iure belli, vt præ ſe ferebat, dum rebellarint, adimebat, eaſdem vero poſtridie tanquam pri-

uilegia gratioſa reſtituebat, vt refert GVICCIARDINVS in *Libr. 8. Hiſtor. Ital.*

§. 78.

Caput Reip. non eſt tantum adminiſtrator: habet maieſtatem, an eius obligatio ad LL. F. perfecta.

Sunt leges fundamentales, quæ ita comparatæ, vt facultatem parentibus aliqua ex parte in ſocietatem exercitii poteſtatis ciuilis veniendi largiantur. Eius generis imperans, cuius parentes exercitium poteſtatis ciuilis participant, nuncupari nomine *Capitis Reipublicæ* ſolet: quod nomen quoque tenet Imperator æque ac Rex Romanorum. Imperantes non ſunt adminiſtratores (§. 23. et 24.): proinde *nec Imperatores Romani, vt ſimplices adminiſtratores conſiderandi* ſunt. Exiſtit quæſtio: *quenam ſint iura Capitis Reipublicæ*, et *an eius iura ſint ſumma et independentia?* porro, vtrum Caput Reipublicæ perfecte, an imperfecte legibus fundamentalibus teneatur. Quoniam beneficio definitionis Caput Reipublicæ imperans eſt: conſequitur vt *eadem iura habeat Caput Reipublicæ, quæ imperans.* Atqui cum imperans habeat maieſtatem poteſtatemque ciuilem ſummam ac independentem, et, vt paucis nos expediamus, iura omnino omnia, quæ ad conſeruationem reipublicæ ſpectant (§. 23. 24. 28.): non poteſt non *in Capite Reipublicæ*

eſſe

eſſe *maieſtas poteſtasque ciuilis ſumma et independens*, et generatim *ius conſeruandi Rempublicam.* Ac quoniam *Rex Romanorum* in Receſſibus Imperii appellatur *ſecundum Imperii Caput:* vt *eadem* ſint *iura* Regis Romanorum, *quæ* Capitis Reipublicæ, oportet, id eſt dicere, *Imperatoris.* Hac tamen cum differentia, quod poteſtatem ciuilem Rex Romanorum quidem habeat, ſed *non exerceat, niſi mandato Imperatoris*, quod perill. LYNCKERVS in *Diſſ. de Rege Romanorum*, ex more Philoſophorum exprimit, actu primo habere Regem Romanorum poteſtatem ciuilem, et Imperatorem actu ſecundo. Niſi vere Rex Romanorum poteſtatem ciuilem haberet, fruſtranea foret cautio, quam adhibuerunt Electores in Capitulatione RVDOLPHI II. *art. 32.* et FERDINANDI IV. *art. 47.* nec non IOSEPHI *art. 47.* Vbi cauere hi modo nominati Reges obligati fuerunt, *quod viuo Imperatore nolint negotia regni attingere, niſi ab ipſo fuerint demandata.* Reliquum eſt, vt de vltima agamus quæſtione, *vtrum Caput reipublicæ perfecte, an imperfecte in legem fundamentalem obligatus* ſit? Ob id, quod Caput Reipublicæ eſt imperans, qui *imperfecte* legibus fundamentalibus conſtrictus duntaxat eſt (§. 62.): non poteſt fortius vincu-

ſum Capitis Reipublicæ, ratione ſeruandæ legis fundamentalis, eſſe. Si quærat aliquis, *quando in legibus ferendis parentes conſenſu ſuo aſſiſtendi ius habent, quænam obligatio capitis in eas leges* ſit? reſpondeo, etiam *imperfecta.* Nam eiusmodi leges fiunt pacto inter Caput Reipublicæ et parentes (§. 52.); iam cum Caput Reipublicæ ſit imperans, qui imperfecte ex conuentione parentibus ſuis tenetur (§. 36.): non poteſt quoque aliter Caput Reipublicæ in leges Reipublicæ reliquas, niſi imperfecte, obligatus eſſe.

§. 79.

Parentes gerunt perſonam moralem ac Imperantem obligare ſibique iura acquirere poſſunt.

Verum *putare* quiſpiam *cum* HOBBESIO poſſet, *quod ne imperfecte quidem imperans caputque reipublicæ in leges fundamentales et publicas obligetur,* ob id, *quod* imperans *cum populo ſit vna perſona* (§. 31.), adeoque parentes nullam amplius peculiarem perſonam moralem gerant (§. cit.), et ex conſequenti nulla iura ſibi acquirere ex pacto legibusque fundamentalibus, ac nulla eo modo in imperante oriri exinde queat obligatio (§. 26.). Sed *reſponſum hoc* cape: Ex ea parte, *quatenus conſenſus* imperantis et parentium conſpirans atque vnita eſt; vnitas etiam

etiam perſonarum eſt: id eſt dicere, ex ea parte imperans ac parentes vnius perſonæ moralis inſtar putandi (§. 31.). Si quando itaque conſtitutus fuit imperans: populus eius poteſtatem ciuilem aut abſolutam eſſe voluit, aut ius imperantis ipſius conſenſu terminis circumſcripſit, quo minus ei liceat eadem illa facultate et copia vagari, qua velit. *Si* limites poſuerunt imperanti conſentienti *parentes*, ſibique *iura reſeruarunt*, tunc *quod ad hæc* iura, a rationibus imperantis ſeparata, *non exiſtit copulatio voluntatis, quod hæc iura ſibi imperans attribuere debeat*, adeoque in hac re imperans et parentes non ſunt in numero vnius perſonæ habendi; *ſed* potius *vnitas voluntatis adeſt, ope cuius iura*, reſeruata, *parentibus poſſidenda relinquuntur.* Ex vnitate autem voluntatis colligitur perſona moralis (§. 31.): proinde parentes conſtituunt perſonam moralem, quæ velle (§. cit.) ob eamque cauſam paciſci poteſt (§. 32.). Quocirca nulla cauſa eſt, quo minus id fieri ratione imperantis queat: quæ quidem eſt ratio, cur *parentes imperantem obligare, ſibique iura acquirere queant.* Atque vero cum leges fundamentales in pactorum numero reponendæ ſint (§. 61.), atque interdum etiam publicæ (§. 52.): *imperans legibus fundamentalibus publicisque,*

ac his quidem ſi parentium conſenſu confe- ctæ fuerunt, *obligatur*, quamuis *imperfecte* (§. 36. et 31.), *parentesque* ex conſequenti *legibus fundamentalibus fundata iura habere queunt* (§. 26.).

§. 80.

Penes parentes non reſident iura populi, Imperante conſtituto.

Quanquam parentes perſonam moralem gerere peculiarem, iuraque acquirere poſſint (§. 79.): iura tamen, quæ alio modo adipiſcuntur, pro populi iuribus accipienda non ſunt. Namque iura populi dignoſcuntur ex poteſtate, quæ penes populum eſſe debet, ciuili (§. 23.). Parentes vero ſubſunt iuri gubernandi Rempublicam (§. 27.) ſeu poteſtati ciuili (§. 25.): eadem adeo non gaudent parentes, proindeque *parentium iura, vt iura populi, haberi non queunt*, *cœtusque* adeo *parentium* ſiue illorum, qui nullam habent ciuilem poteſtatem, *nomen populi non meretur* proprie dicendo (§. 23.). Ac quidem hæc nota propria eſt, ope cuius diſcernere licet, quisnam cœtus hominum nomen populi ſiue gentis ſubire queat: nempe enim ille, qui immunis ab alterius poteſtate ciuili eſt, qua in immunitate libertas ciuilis conſiſtit. Quod ſi igitur quæſtio exiſtit, *vtrum*, verbi gratia, *cœtus Romano-*

rum ciuium tempore CAROLI et OTTONIS MAGNI iura populi habuerit, neque vera populus idem, qui olim, fuerit, ex hiſtoriarum monumentis eruendum eſt, vtrum penes Romanos tunc temporis fuerit poteſtas ciuilis, an penes imperatores CAROLVM et OTTONEM.

§. 81.

Modi acquirendi, transferendi et amittendi iura ſecundum I. N. et G. ſunt etiam modi acquirendi, et cet. ciuilem poteſtatem et iura populi.

Hæc *iura populi*, in ſumma ciuili poteſtate conſiſtentia (§. 80.), *acquirendi*, in aliosque *transferendi tituli modique* non poſſunt eſſe alii, quam qui lege naturæ, gentium communi iure (§. 41.), ſanciti ſunt: propterea quod imperantes et populi iure naturæ inter ſe vtuntur (§. 38.), et ex conſequenti quoque modos acquirendi ex iure naturæ gentiumque profectos adhibere queunt. Ad huius generis modos autem ex principiis iuris naturæ et gentium referuntur inter alia *occupatio bellica* (§. 237.), vt et *pactio* (§. 32.): quocirca res loquitur ipſa, quod iisdem illis modis adipiſci quis poteſtatem ciuilem, populusque iura populi amittere queat. Ac quoniam apud auctores, qui monumenta Reipublicæ Romanæ compoſuere, reperire licet, quod

populus Romanus bello et pactione ſub poteſtatem Regum Francorum et Germanorum redactus fuerit; cuius rei documenta CONRINGIVS de *Germ. Imp. Rom. cap. 7. et 10.* exhibet: perſpicuum eſt, quod *in Germanos legitimo modo translata iura imperii Romani ſint*, quodque *Romani* iam diu *iura populi amiſerint.*

§. 82.

Nota, ex qua populus cognoſcitur et cur Populus Rom. eſſe deſierit.

Materiei dignitas de iuribus populi eorumque translatione et amiſſione poſtulauit, vt paulo attentius cogitationes noſtras in eam intenderimus: quippe fundamentum ac robur, quo Germani iura imperii fundanda habent, in translatione imperii a Romanis, qui per eam iura populi amiſerunt, nititur. Proinde ſententia GROTII de *Iur. Bell. et Pac.* qui *Libr. 2. cap. 9. §. 11. populum Romanum adhuc dum eundem eſſe, qui olim fuit*, ſtatuit, eſt a ratione et veritate longe auerſa. Quid? quod GROTIVS *ipſe pugnat aduerſus ſuam ſententiam*: namque definit eodem *libro* et *capite* §. 3. populum, quod ſit *complexus hominum, qui ſunt in vitae ciuilis conſociatione perfecta, quae nomine peculiari ſummoque imperio gaudet.* Sed quia iam CAROLVS MAGNVS, pluresque imperatores ſuc-

ſuccedentes, tám Francici, quam Germanici, prouti plena eſt huius rei hiſtoria, tum referti annales, ſummum imperium in Romanos exercuerunt, idque iure belli et pactorum ſubſecutorum: ex eo cogi puto, quod poſt id tempus populus Romanus eſſe deſierit; propterea quod populus omnis ſummo imperio gaudere debet (§. 23.), etiam ſecundum GROTIVM. Cumque imperium iurium omnium, quæ ad gubernandam rempublicam requiruntur, contineat complexionem (§. 25.): facile perſpicitur, quod cœtus hominum, qui populum ſe gerere velit, ipſe, non alii rempublicam gubernent; et ex conſequenti, qui homines illis iuribus non polleant, poſtulare, vt inter populos referantur, non queant. Quæ quidem eſt nota, ex qua cognoſci poteſt, quinam populi ſint et cur populus Romanus adhuc dum non idem ſit, qui olim fuerit.

§. 83.

Omnia iura quæ Imperans habet, habet liber populus, non vice verſa.

Imperans ac populus æqualem habent poteſtatem ciuilem (§. 23.): quæcunqne igitur iura, ex poteſtate ciuili fluentia, imperanti competunt, ea quoque ad populum pertinent. Quas ob cauſas *iura imperantis iura populi* eſſe nemo inficias ire

 poteſt:

poteſt: *non* vero *vice verſa*, quæ ſunt iura populi, ea ſunt iura imperantis, valida ſemper eſt concluſio; *quia imperans nil niſi imperium habet* (§. 22.): reliquum igitur, *quod extra imperium* eſt, quodque ad imperium eiusque exercitium nihil confert, *penes populum manſit*. Inde *plus iuris habet populus*, qui eſt ſui iuris, *quam imperans*, *qua imperans*, v. g. ad imperantem non ſpectat ius alienandi rempublicam (200. et 201.), populus vero ſui iuris eandem transferre in quemuis arbitratu ſuo poteſt (§. 34. 81.).

§. 84.

Penes populum liberum eſt ius conſeruandi Remp.

Rempublicam conſeruandi ius, vt ſupra (§. 28.) demonſtrauimus, continetur ſub poteſtate ciuili, et eſt principium atque fons iuris publici, atque adeo omnium iurium imperantis (§. 1.). Proinde vides hocce idem *ius conſeruandi rempublicam ad populum ſpectare*, et *hoc* quaſi ſolum quoddam atque *fundamentum* eſſe *in iuribus populi ſingularibus deducendis* (§. 83.). Breuitatis gratia licebit mihi itaque mentionem facere neque populi neque coimperantium, ſed tantum imperantis, in deducendis iuribus imperii ſingularibus.

§. 85.

Ad Imperantem pertinet ius ea, quæ ſpectant ad ſalutem publicam, aut certe non contra eam tendunt, agendi aut permittendi.

Quod (§. præc.) ea iura ſingularia, quæ ex iure imperantis conſeruandi rempublicam conſequuntur, pro certo polliciti ſumus, nos eſſe perſecuturos iſtud facere nunc ingredimur. Ante omnia in mentem venit hæc quidem ratiocinatio: Dum imperans vere et iure poteſt ſeruator Reipublicæ eſſe (§. 28.), confici poſſe arbitramur, quod quo melius conſeruetur Respublica, eo potiora imperantis iura ſemper ſint ducenda. Quod autem Rempublicam in ſtatum meliorem vindicat, iſtud ad ſalutem publicam, vel bonum publicum, conducere opportune dici videtur: quam ob rem cum ratione facimus, quod iſtud omne, *quicquid ad ſalutem publicam ſpectat, aut certe non contra conſeruationem et ſalutem Reipublicæ nititur, inter imperantis iura referamus.* Ex quo *ſecundo principio* etiam omnia, quæ in Rebuspublicis permittenda, diiudicari queunt. Exemplo nobis eſſe poteſt Respublica Veneta, quæ, vt habet *il diſcorſo Ariſtocratico ſopra il Governo de Signori Venetiani, pag. 80. laſcia al volgo la briglia ſciolta in tutte quelle coſe, che non offendono drittamente lo Stato.*

§. 86.

Salus publica ſuprema lex eſt: præferenda priuatæ: Imperantis ius ea, quæ cum illa pugnant, mutandi.

Ea lex naturæ maxime conſeruanda in Republica et ſuprema putatur, quæ Rempublicam in ſtatum meliorem vertit. Cum autem nemo ſit, qui non Rempublicam, in qua ſalus publica dominatur in aliquo ſtatu meliori feliciorique conſiſtere arbitretur (§. 83.): videtur mihi apertior hæc, quæ iam contrita eſt vetuſtate, ſententia facta eſſe, quod *ſalus publica ſuprema lex ſit*, proinde omnes aliæ leges in Republica, adeoque non ſolum priuatæ, verum etiam publicæ et fundamentales hac lege ſuprema valore ſint inferiores neceſſe eſt. Ex quo ratio pateſcit, cur *ſalus publica præferenda priuatæ* ſit. Ac cum quiuis ex imperantibus quouis modo conſulendi ſaluti publicæ habeat facultatem (§. 85.): omnes alias leges in Republica huic iuri imperantis cedere oportet, *imperantique integrum* eſſe *ius*, *ea*, *quæ contra ſalutem publicam tendunt*, *mutandi tollendiue*. Quod *ſi* itaque *tantis obligationis vinculis obſtrictus imperans eſt*, *vt bene et ex ſalute omnium regere rempublicam nequeat*: *illis vinculis liberandi ſe ius habet*. Quo ex fundamento, cum olim *Regum Daniæ* poteſtas ita erat adſtricta,

ſtricta, vt ſaluti publicæ non adeo bene conſuleretur: iure optimo FRIDERICVS TERTIVS anno 1661., conſenſu ordinum regni conſtitutionem mutauit, ſibique abſolutam poteſtatem iure vindicauit (§. 223.), quæ usque ad eum, qui regnat hodie feliciter ac glorioſiſſime, optimum Auguſtum Daniæ, CHRISTIANVN V, quem Deus quam diutiſſime ſeruet, durauit, atque duratura eſt ob iuſtum et moderatum imperium, quo Reges hucusque gubernarunt, quamdiu Daniæ Reges CHRISTIANI et FRIDERICI prædicari ſe ac nominari volent. Ob hanc rationem cum Dani abſolutum imperium transferre vellent: pacta legesque regiæ poteſtati præſcriptas aboleverunt, et in ſignum translatæ abſolutæ poteſtatis, librum legum earum, quæ ſummæ poteſtati contrariæ, Regi tradiderunt, vt TERLONIVS, huius actus teſtis oculatus, teſtatur *dans ſes memoires pour rendre conte de ſes negociations.* Verba ſunt *pag. 329. et ſeqq.*: *Les Etats s'aſſemblerent dans la grande Sale, ou le Senateur Troollé preſenta au Roi de Dannemarc de la part de la Nobleſſe le Hand-Feſtaing, qui eſt un livre, que l'on nomme ainſi, où ſont toutes les loix contraires a la ſouveraineté, qui s'alloit établir.* Simili ratione ordines imperii Ruſſici in ſignum abolitæ pote-

poteſtatis limitatæ aboleuerunt chartam, quæ continebat formulam imperii reſtricti hodie regnantis *Ruſſicæ Imperatricis*, a qua poteſtas abſoluta, quam nunc in ſuam gloriam et imperii felicitatem exercet, iuſte recuperata eſt, ob eandem, quam adduxi, rationem. Hoc idem rationis habeo, cur *promiſſiones priuato factæ, quæ cum ſalute publica et ſecuritate non* adeo *bene conſiſtunt, non obligent imperantes.* Proinde cum *Dux* (Doge) et *decem primores ciuitatis Venetæ* IASSIERO, qui coniurationem Hiſpanorum contra Rempublicam Venetam detexerat, promitterent vitam viginti duorum, qui coniurationis capita erant, illæſam conſeruare: quodam iure ſuo non ſeruarunt hoc promiſſum. Quod factum relatum legi in *Oeuvres melées de Monſieur l' Abbé de S. Real*, et quidem in ea parte, quæ inſcripta: *Coniuration des Eſpagnols contre la Republique de Veniſe*, en l' année *1618. pag. 102. ſqq.*

§. 87.

Imperans obligatus eſt ad ſalutem et publicam et ſubditorum.

Officii imperantium eſt legi naturæ obedire, etiam reſpectu parentium (§. 38.); cumque ſalus publica ſuprema lex naturæ ſit in Republica (§. 86.): facile patet, in ſalutem publicam imperantem obli-

obligatum eſſe, idque interne (§. 38.). Quæ ſalus publica cum tendat ad id, vt ſtatus reipublicæ melior reddatur (§. cit.), resque publica ſine parentibus non intelligatur (§. 2.): hanc cum HOBBESIO de *Ciue cap. 13. §. 2.* infero concluſionem: *ſalutem ſubditorum ſummam eſſe debere legem*, adeoque imperantem ex legibus naturæ in id teneri interne, ut ſaluti ſubditorum conſulat, ſi officium ſuum, quod, prout modo dixi, in eo conſiſtit, vt patronus ſit ſalutis publicæ, adimplere cupit. Quare *inique agit* ille *imperans, qui modo, ſibi vt ſatisfaciat, contendit, et de ſalute publica non laborat, nec ſubditorum rationem habet.*

§. 88.

Poteſtas ciuilis et maieſtas late ſumta eſt vna eademque res.

Illa iurium complexio, in qua, præter iura conſeruationis neceſſariæ Reipublicæ, etiam omnia ſalutaria concluſa ſunt et comprehenſa, *efficit maieſtatem.* Proinde quoque quodlibet *ius*, quod aut ad conſeruationem Reipublicæ neceſſariam aut ſalutarem quidquam confert, *maieſtaticum* compellari poteſt: alii *regale* vocant; qualia *iura* alicubi, vt in Anglia, *prærogatiuæ Regiæ* audiunt quoque. Quoniamque ciuilis poteſtas incluſa continet itidem ac maie-

ſtas

ſtas iura conſeruationis Reipublicæ in genere (§. 84.), adeoque tam conſeruationem Reipublicæ neceſſariam, quam ſalutarem (§. 85): non poteſt non ex eo mente concipi, quod *ciuilis poteſtas* ſit *vnum et idem atque maieſtas*. Hinc recte ZIEGLERVS de *Iur. Maieſt. Libr. 1. cap. 1. §. 9. Maieſtatem*, ait, *eſſe ſupremam poteſtatem regendi ciuitatem* (§ 24. et 25.). Ex conſequenti ille, qui poteſtate ciuili pollet, atque ita *imperans omnis* (§. 23.), *eminet maieſtate.* Iam cum omnes imperantes habeant eandem poteſtatem ciuilem: omnium *imperantium maieſtas æqualis* ſit quoque neceſſe eſt, adeoque omnes *imperantes ipſi æquales*, et proinde *nullus* præ alio *proaedriam poſtulare poteſt, niſi de eo* aut tacite aut expreſſe *conuentum* ſit. Cum itaque omnium imperantium eadem maieſtas, nihil impedit, quo minus *eadem ſigna maieſtatis*, i. e. *titulos, adhibere*, et a ſuis ſubditis poſtulare queant, quo nomine inſigniri velint, Principesne an Reges, an Imperatores prædicari ſe ac nominari a ſubditis cupiant. Vnde recte Elector Brandenburgicus FRIDERICVS, cum ſummus Dominus Boruſſiæ eſſet, Regem Boruſſiæ ſe nominare et creare potuit: vt et PETRVS I. MAGNVS, Dux Ruſſorum, imperatoris titulum ſumere. Quod neſcio,

qua

qua permotus animi diuinatione, diuinault illuſtris DE LVDEVVIG in opuſculo anno 1701. edito, *de iure Reges appellandi, cap. 3* §. 5. Proinde ex falſa hypotheſi Papa PAVLVS IV. *Irlandiam* in regnum euexit, de cuius euectionis fundamento agit FRA. PAOLO in *Hiſtoria Concilii Tridentini Libr. 5. pag. 354.* Nec ex meliori fundamento PIVS V. COSMVM I. Mediceum titulo Magni Ducis honorauit, de quo THVANVS *Hiſt. ſui temporis Libr. 46. Fons dignitatis eſt imperans* ipſe, *quam* adeo aut *ſibi* aut *aliis, qui ſub ipſius poteſtate ſunt, tribuit.* Neque vero Reges Irlandiæ neque Medicei ſub poteſtate Papæ fuerant: vnde nec Papa ius habuit iis dignitates conferendi.

§. 89.

Ab exercitio nonnullorum iurium maieſtaticorum non v. c. ad Maieſtatem.

Ex notionibus, (§. præc.) ſuppeditatis, intelligi atque explicari dilucidius poterit ea, quam *vulgo* audis, *maieſtatis definitio*, quam aiunt conſiſtere in complexu iurium maieſtaticorum. Ex qua quidem conſequitur difinitione, vt, qui nonnulla, non omnia iura poſſideat maieſtatica, ille non habeat maieſtatem: vnde *legati non habent maieſtatem*, quippe qui poteſtatem agendi ea ſolum, quæ fidei eorum concredita ſunt, habent.

§. 90.

Imperans et quilibet populus habet maieſtatem.

Penes imperantem quia eſt poteſtas ciuilis (§. 23.): penes eundem oportet quoque *eſſe Maieſtatem* (§. 88.). *Populus* vero quilibet *gaudet* poteſtate ciuili (§. 23.), ergo etiam *maieſtate* (§. 88.). Interdum ſumitur *vox Maieſtatis* duntaxat *pro dignitate*, vti GROTIO hæc ſignificatio notata eſt *de Iur. Bell. et Pac. Libr. 1. cap. 3. §. 21.* Quæ quidem ſignificatio maxime explanat hanc, quam veteres ſcriptores crebro adhibent formulam: *gentes vicinas Maieſtatem populi Romani comiter conſeruaſſe coluiſſeque.*

§. 91.

Imperans ac populi, aeque ac eorum poteſtas, ſunt ſummi et independentes.

Quoniam *imperantes* ac *populi* iure proprio exercent poteſtatem ciuilem (§. 23.): in eius exercitio ab alterius voluntate non dependent (§. 24.), adeoque ſunt *independentes ſummique* (§. eod.). Ac quoniam *caput Reipublicæ* eſt imperans (§. 78.): ſequitur, vt quoque eius poteſtas ciuilis, ita, vt ipſe *ſummus* et *independens* (§. hoc), independens ſummaque ſit.

§. 92.

Iura Imperantium ac Populorum ſunt ſumma et independentia.

Quod ſi vero imperantes ac populi ſunt independentes (§. 91.), iidemque ex iuribus, poteſtatem ciuilem conſtituentibus, cognoſcuntur (§. 23.): etiam *poteſtas ciuilis omniaque iura, quæ imperantes* et *populi exercent*, ſint *independentia* oportet, id eſt, *ſumma*, adeoque alterius *humanæ voluntatis arbitrio non ſubiecta* (§. 24.), id eſt, *iure proprio imperanti competentia*. Alias ſumma poteſtas ciuilis *imperium* audit, Gallice *Gouvernement civile*, *Souverainite*, quam FVRSTENERIVS *ſuprematum* exprimit cap. I. *de iure ſuprematus*. Alii malunt latinius dicere *potentatum*, et indignantur nomine ſuprematus, vt ex *diſcurſu de ſuprematu* aduerſus CÆSARINVM FVRSTENERIVM, *p. m. 6.* patet.

§. 93.

Itemque Maieſtas et ſingula Imperantis iura maieſtatica.

Eandem cum habeat ſignificationem poteſtas ciuilis ac maieſtas (§. 88.): *poteſtas ciuilis omnis eſt independens* (§. 24.), et ex conſequenti etiam imperantis *iura independentia* ſunt (§. 89. 92.), itidemque maieſtas eſt *ſumma*, nec non

iura maieſtatica imperantis eadem ratione ſint comparata neceſſe eſt (§. 24. et 88.).

§. 94.

Maieſtas et Imperantis iura maieſtatica, vti imperans ipſe, nemini ſubiecta.

Fieri non poteſt, vt quisquam iura ſummis ſuperiora mente comprehendat. Ob eamque cauſam iura ſumma ſuperioribus ſubiecta eſſe non queunt. Hinc imperantis *poteſtas ciuilis* ac *maieſtas* æque ac *iura maieſtatica nec vllius poteſtati poſſunt eſſe ſubiecta* (§. 24. 92. 93.): vti et imperantes ipſi, ob idem illud, quod ſummi ſunt (§. 91.), ſubiecti alterius imperio, ne fingi quidem poſſunt. Itaque *ordines Regni Sueciæ* anno 1693. recte *declararunt ſuum Regem Monarcham omnibus imperantem et præcipientem, a ſuperiori nullo pendentem, qui in hoc terrarum orbe nulli de actionibus ſuis reſpondere (cauſam dicere) obligatus, iure atque poteſtate polleat ſuo arbitratu, et, ut pium decet Regem, regnum ſuum gubernandi et regendi*, vt refertur in *Sueciæ Hiſtoria pragmatica, pag. 760. Qui* itaque *in alterius poteſtate* ſunt, illi *nec imperantes, nec populi* haberi queunt (§. 23. et 91.), nec nomen *Reipublicæ* meretur eiusmodi ſocietas hominum, quæ obnoxia eſt alieno imperio, nec dominatu proprii imperantis tenetur (§. 2.).

§. 95.

Non poteſt diſtingui Maieſtas in realem et perſonalem vulgari ſenſu.

Ex eo, quod maieſtas nemini ſit ſubiecta (§. 94.), demonſtrari facile poteſt *falſitas diſtinctionis maieſtatis in realem* et *perſonalem:* quippe quæ hoc intendit, vt perſonalis maieſtas, quæ perſonæ imperantis inhæret, reali, quæ in populo, cui imperans imperat, reſidere fingitur, in certis caſibus ſubiecta eſſe ſtatuatur, atque hæc illi vice verſa. Quod eſt in obſeruationibus HENR. HENNIGES ad HVG. GROTIVM de I. B. et P. *Libr. 1. cap. 3.* §. 7. ad vocem: *ſubiectum commune.*

§. 96.

An diſtinctio Maieſtatis realis et perſonalis orta ſit ex diſtinctione ſubiecti communis et proprii ſummæ poteſtatis?

Maieſtatis in realem et perſonalem diuiſio orta ex diſtinctione ſubiecti ſummæ poteſtatis *in commune et proprium* eſt; de quo GROTIVS de I. B. et P. *Libr. 1. cap. 3.* §. 7. *Subiectum ergo commune ſummæ poteſtatis*, inquit, *eſt*, *ciuitas*, *ſubiectum proprium eſt perſona vna pluresue.* Quod hinc illa diſtinctio Maieſtatis originem trahat, quodque ex conſequenti GROTIVM maieſtatem realem et perſonalem

 ſta-

ſtatuere oportuerit, quamuis verbis expreſſis eam declarare auſus non fuerit: mihi demonſtrandum ſumo §. conſequenti.

§. 97.

An Grotius faueat diſtinctioni Maieſtatis realis et perſonalis?

Quanquam ciuilis poteſtas et maieſtas nominibus differant: tamen ſunt rebus congruentes (§. 88.). Quoniam ergo GROTIVS *ſtatuit* ſubiectum commune et proprium ſummæ poteſtatis (de I. B. et P. L. I. cap. 3. §. 7.): ſtatuat quoque *ſubiectum commune* et *proprium maieſtatis* neceſſe eſt. Summæ poteſtatis ſubiectum commune eſt ciuitas *(Grot. cit. loc.)*; ſubiectum proprium eſt perſona vna pluresue (eod.): quare ſubiectum *commune* maieſtatis eſt *ciuitas*, atque ſubiectum *proprium* maieſtatis eſt *perſona vna pluresue*. Illa vero *maieſtas*, quæ ciuitati inhærere creditur, *realis* nomen ſubit: quæ ad vnam perſonam pluresue pertinet, *perſonalis* audit vid. HENNIGES in *obſeruationibus ad* cit. GROTII locum, ad voc. *ſubiectum commune*. Quod cum ita ſit, hoc perſpicuum eſt, ex diuiſione ſubiecti communis et proprii ſummæ poteſtatis natam eſſe maieſtatem realem et perſonalem, quam vtramque cernit quilibet, quod GROTIVS crede-

dide-

diderit, dum aſſeruit ſubiectum commune et proprium ſummæ poteſtatis (Grot. loc. cit.).

§. 98.

Ex diuiſione Maieſtatis perſonalis et realis fluit mutua Imperantis et Parentium ſubiectio, quæ abſurda cum ipſa diuiſione.

Earum rerum diſtinctiones, ex quibus abſurda manant, non poſſunt non inconcinnæ eſſe. *Quod ſi* autem *vno tempore maieſtas realis et perſonalis quod exiſtat, creditur : tunc abſurdum illud conſequitur, Maieſtatem alteram alteri eſſe ſubiectam, quæ ſubiectio per naturam Maieſtatis fieri non poteſt* (§. 94.). Quod autem ex hac maieſtatis diſtinctione mutua ſubiectio, quamuis eam GROTIVS §. *9. Libr. 1. cap. 3.* de I. B. et Pac. neget, conſequatur, tam ex ipſa notione maieſtatis realis (§. 95.), quam ex hisce argumentis ſpero nemini obſcurum fore. Summa poteſtas eſt complexio iurium gubernandi rempublicam (§. 25.) : quapropter quæ pars reipublicæ ſummam poteſtatem poſſidet, illius gubernationi altera pars Reipublicæ neceſſario ſubiecta eſt ; quia ille, in quem competit poteſtas ciuilis ſubiectus ſeu parens dicendus (§. 27.). Iam vero cum ciuitati, quæ reſpectu imperantis parens eſt, ex maieſtate reali vindicatur ſumma poteſtas (§.

88. 95.) : neceſſario imperans, qui altera pars Reipublicæ eſt (§. 2.), ſubiectus vt ſit ciuitati conſequitur. Ac cum imperanti non denegatur maieſtas perſonalis (§. 95.) et ex conſequenti poteſtas ſumma (§. 88. et 92) : viciſſim parentes ſeu ciuitas, qui conſtituunt partem Reipublicæ alteram (§. 2.), imperanti ſubiecti ſint neceſſe eſt, propterea quod imperans ſine ſubiectis non concipi animo poteſt (§. 26. Ex quo ſole ipſo illuſtrior et clarior elucet mutua imperantis ac parentium ſubiectio, ſubiectum vero cuiquam eſſe imperantem abſurdum eſt (§. 94.) : *quare oportet* etiam *diſtinctionem maieſtatis perſonalis et realis eſſe abſurdam.* Quæ diſtinctio cum proficiſcatur ex diuiſione ſubiecti communis et proprii ſummæ poteſtatis (§. 96.): *inconcinna* quoque GROTIANA *diuiſio ſubiecti communis et proprii ſummæ poteſtatis* habenda.

§. 99.

Imperio noxiæ conſequentiæ, ex diſtinctione ſubiecti communis et proprii ſummæ poteſtatis.

Sententiam de maieſtate reali et perſonali, nec non de ſubiecto communi et proprio ſummæ poteſtatis eam ob cauſam fregimus (§. præc.), quod harum diſtinctionum conſecutiones peiores ſunt, quam quales æſtimari poſ-

poſſint. Sunt quidem, qui *putant*, *innoxiam diuiſionem ſubiecti proprii et communis maieſtatis* eſſe, vt KVLPISIVS in *Colleg. Grot. pag. 22. th. 6. lit. K.* et VITRIARIVS *ad Grot. pag. 21.*: ſed illi terminis his ita vtuntur, vt diſtinctio *ſi non noxia*, *certe fruſtranea*, imo *nulla* ſit, quod iam oſtendere ſuperſedeo. Intermittere tamen non poſſum, quin ob oculos ponam *vnam imperio noſtro Germanico noxiam conſecutionem*, quam GROTIVS ex nulla alia re, niſi ex diſtinctione ſubiecti communis et proprii maieſtatis ſeu ſummæ poteſtatis, vno tempore exiſtentis, deriuare potuit. Statuere vero GROTIVM ſubiectum commune et proprium maieſtatis, vno eodemque tempore exiſtens, is, qui iudicio expendit comparationem ſubiecti communis et proprii ſummæ poteſtatis, quæ *Libr. 1. cap. 3.* §. 7. de I. B. et P. ſit, per ſe intelliget: vbi, *Subiectum*, ait, *aliud eſt commune*, *aliud proprium*, vt viſus ſubiectum commune eſt corpus, proprium oculus. Exinde, vt oſtendere paro, GROTIVS *Libr. 2. cap. 9.* §. 11. imperii Romani in Germanos omnimodam translationem labefactare atque peruertere molitur: dum haud dubitat hæc verba in medium proferre, *Populum Romanum eundem eſſe dico, qui olim fuit, et imperium penes*

eum manſiſſe, tanquam penes corpus, in quo eſſet ac viveret. Quæris ex me, quod mihi quoque eſt iam in quæſtione, *quare imperium penes populum Romanum manſerit*, cum tamen plura momenta hiſtorica non turbidæ fidei et ambiguæ translationem imperii in Francos et Germanos, eamque iuſtam, ſatis ſuperque euincant: ad hæc *reſpondeo*, huius aſſerti ratio in nulla re alia eſt quærenda, quam in ſubiecto communi ſummæ poteſtatis, quod ex mente GROTII eſt ciuitas (*Libr. 1. cap. 3. §. 7.*). Poteſtas ciuilis et imperium vnum et idem eſt; quare cum GROTIVS opinetur ciuitatem ſeu populum, i. e. parentes coniunctim ſumtos, ſubiectum commune poteſtatis ciuilis eſſe: etiam dicit imperium penes populum Romanum manſiſſe. Quandoquidem vero ſubiectum commune poteſtatis ciuilis nullum dari, eo, quo princeps regnat, tempore demonſtrauerimus (§. 98.): facile etiam perſpicere licet, quod ille populus, cuius imperium ad alium eſt translatum, non ſit populus (§. 23.); adeoque quod populus Romanus non amplius ſit idem, qui olim fuit, quodque translatione ad Germanos facta, imperium penes eum non manſerit. Translationem Imperii Romani ad Germanos expreſſo pacto et conſenſu populi,

adeo-

adeoque legitime, factam eſſe (§. 81.), vt antiquos ſcriptores LVITPRANDVM *Libr. 6. c. 11*, OTTONEM FRISINGENSEM *Libr. 6. Chron. c. 17. 24.* ceterosque præteream, oſtendit THEODORICVS A NIEM de *Iuribus et priuilegiis imperii*, pactique formulam ipſam exhibet in *Tractat. de Inueſtitura Epiſcoporum Regum Teutonicorum pag. 249.* Item ARNISAEVS de *Translatione Imperii Romani.* Vt ſilentio inuoluam, quod GROTIVS eodem paragrapho ex eodem fundamento haud dubitanter *aſſerat, poſſe imperatori vicarium dari ab ipſo populo Romano, approbationemque electi imperatoris a Papa, qui Romanos repræſentat, petendam eſſe.* Verum ex allatis in hoc paragrapho argumentis *refelli* facili negotio *hæ* GROTII *ſententiæ queunt*, quod etiam (§. 244.) euicimus.

§. 100.

Crimen læſæ Maieſtatis tantum a parente committitur.

Poteſtas ciuilis et maieſtas inter ſe non differunt (§. 88.); poteſtas autem ciuilis ſeſe refert ad eorum, qui parent, obligationes (§. 26.): adeoque *ab* ipſis *parentibus ſolum contra poteſtatem ciuilem peccari poteſt*, et ex conſequenti a parentibus duntaxat *lædi Maieſtas*; quod *crimen læſæ Maieſtatis* itaque

que *committitur* per omne id, quo parentes contra maieſtatem aliquid iniuſte ſuſcipiunt. Secundum hanc definitionem *nec imperans in imperantem, nec is, qui non eſt parens, perpetrare* vllo modo *crimen læſæ maieſtatis poteſt.*

§. 101.

Quale in perſona Imperantis committitur.

Poteſtas ciuilis in imperantibus, tanquam in venis medullisque inſidet (§. 23.). Quocirca *qui parens lædit imperantis* cuiusdam *perſonam*, ille violat poteſtatem ciuilem, et ob id *in crimen læſæ Maieſtatis incidit* (§. 100.). Ex quo colligere licet, quod, *qui vim vitæ imperantis afferat*, aut *in* eiusdem *caput inſidias præparet*, aut maledice *contumelioſeque de* imperantis *dignitate*, quæ etiam nomine Maieſtatis venit (§. 90.), *dicat*, in perſona imperantis crimen læſæ maieſtatis committat (§. 100.).

§. 102.

Item in proditione Reipubl. aut Imperantis: An Miniſtri, qui cum aliis arcana ſtatus com-

Reipublicæ aut etiam imperantis proditio in numero criminis læſæ Maieſtatis ducenda eſt. Etenim *proditio Reipublicæ* aut *imperantis fit*, vbi quis parens extraneo imperanti media, quibus damnum

mnum inferri Reipublicæ aut imperanti poteſt, fraude ac dolo malo ſuppeditat. Idque fieri poteſt *committendo*, v. g. enunciando arcana Reipublicæ, nec non copias aut urbes, concreditas tradendo: vel *omittendo*, quando v. g. quis parens pro eo, ac debet, modo non defendit Rempublicam doloſe. Vtroque hoc caſu damnum inferri poteſt, adeoque proditio fieri. Ac quoniam omne id, quo damnum alteri infertur, læſionem producit: colligere ex eo licet, quod proditione aliquid Reipublicæ læſionis accidat, et ex conſequenti imperans (§. 2.), perque eum poteſtas ipſius ciuilis lædatur (§. 101.), atque adeo *committatur proditione Reipublicæ aut imperantis crimen læſæ Maieſtatis* (§. 100.). Hinc miniſtri, qui arcana ſui imperantis, cum aliis Reipublicæ aut imperanti infeſtis communicant, aut aliud quid, quo damnum Reipublicæ infertur, ex compoſito agunt, quod *maluerſiren* exprimi ſolet, nec non ſpeculatores (Eſpions), transfugæ, etc. rei criminis Maieſtatis habendi.

municant, rei ſint illius?

§. 103.

Rebellionis crimen quoque *in* nefario *crimine læſæ Maieſtatis ponendum* eſt; illud enim *admittitur*, quando aperte palamque parentes

Rebellio et conſpiratio eſt crimen læſæ Maieſtatis.

rentes aduerſus imperantis poteſtatem ciuilem ſine iuſta cauſa vi contendunt (§. 100.). Qui parentes ex iuſta cauſa, nulla vi adhibita, de exercitio ſummæ poteſtatis tantum conqueruntur, Gallice *Mecontens* audiunt, qui itaque neque ſunt rebelles, neque criminis læſæ Maieſtatis rei (h. §. et h. cit.). Ex quo iudicare licet, vtrum ſuperioribus turbis regni Hungarici, Hungari rebelles, an tantum Mecontens fuerint. Itidem *crimen læſæ Maieſtatis conſpiratio* ſeu coniunctio habenda, *quæ* in eo *a rebellione ſecerni poteſt*, quod coniurati clam contra imperantis poteſtatem ciuilem ſine cauſa iuſta nitantur. Quoniam in eo itaque rebelles et coniurati conueniunt, quod ſine cauſa iuſta aduerſus imperantis poteſtatem ciuilem connitantur: conſequens eſt, vt tam rebellione quam conſpiratione crimen læſæ maieſtatis committatur (§. 100.). Si quis ex rebellibus aut coniunctis, aut alius quis ſine iure vi tendit ad ſummam in Republica poteſtatem: *Inuaſor regni*, et ſi eandem actu exercet, *Vſurpator* vocatur; vtrique *Tyranni habendi* (§. 23.), qui *ſi antea ſubditi* fuerant, a *crimine læſæ maieſtatis* immunes non habendi (§. 100.).

§. 104.

Qui non ſunt parentes, vt Legati, non ſunt proditores, rebelles et coniurati nec ita puniri poſſunt.

Quoniam proditio Reipublicæ aut imperantis, rebellioque et conſpiratio non niſi a parentibus fit (§. 102. et 103.): illi, *qui non ſunt parentes nec* poſſunt *proditores Reipublicæ, nec rebelles, nec conſpiratores* haberi. *Proinde* ſi *legatus* imperanti ſuo aperte detegit, reuelatque arcana illius Reipublicæ aut gentis, ad quam miſſus, et vt legatus agnitus; aut ſi legatus in ſecreto vel in aperto volutat cum aliis conſilia, quæ Reipublicæ contratendunt: *non in proditorum Reipublicæ extraneæ, aut rebellium, aut coniuratorum numerum referendus* eſt, *nec* ex conſequenti *maieſtatis reus* habendus. Statu enim libertatis in Republica is legatus, qui ibidem iure legati vt fruatur receptus, gaudet (§. 37.); in ſtatu autem libertatis homines ſunt æquales (§. eod.), nec in eo, vt in ſtatu ciuitatis, parentes et imperantes concipiuntur (§. 35.): quare neque etiam legati, vt parentes Reipublicæ, in qua degunt, conſiderare queunt, neque etiam puniri, quia pœna in Republica ſupponit imperantes, qui eam infligunt parentibus. Cuius rei maxime inclitum *exemplum* petere poſſumus ab Mar-

quis

quis DE BODEMAR, legato Hiſpanico ad Venetos miſſo: hic enim in Republica Veneta coniurationis maxime periculoſæ ad illiusque occaſum interitumque ſpectantis auctor fuit, in quam certatim pectoris viui homines perditi nomina dederant. Cum facta eſſet aperta hæc coniuratio: reliquis adminiſtris huius facinoris iuſtæ et debitæ pœnæ praui conſilii ſolutæ ſunt; legatum vero, qui ſenatum adire fuit auſus, Senatus tantum aditu prohibuit, illique abitum patefecit, nec ita legatum puniuit. Quod legimus in *Oeuvres melées* de *Monſieur l' Abbé de St.* REAL, in parte, quæ inſcribitur: *Coniuration des Eſpagnols, pag. 109. ſq.*

§. 105.

An Conſcientia conſpirationis ſit crimen laſæ Maieſtatis?

Exiſtit quæſtio, *ſi quis, conſcius, nec tamen particeps conſpirationis ſit, illam vero celet, an in reos laſa Maieſtatis referendus?* Hanc quæſtionem controuerſam non relinquam ſine reſponſione, verum qui ſit meus, de ea, ſenſus oſtendam. Me haud pœnitet eorum ſententiæ eſſe, qui ſtatuunt *ex ſola conſcientia conſpirationis, ſine conſenſione etiam crimen laſa Maieſtatis naſci.* Cuius ſententiæ ego argumenta hæc

ta hæc habeo. Imperans iure pollet rempublicam ſuam conſeruandi (§. 28.), quæ quoniam imperante nuda eſſe nequit (§. 2.), imperans vero ſine poteſtate ciuili non intelligitur (§. 23.): imperans quoque ius poteſtatem ſuam ciuilem conſeruandi habeat neceſſe eſt. Cui iuri imperantis parentium obligationem conſeruandi principis poteſtatem ciuilem reſpondere oportet (§. 26.). Iam vero cum conſpirationes ſint contra imperantis eiusue poteſtatis ciuilis conſeruationem: ſequitur, vt ad parentes pertineat obligatio non celandi conſpirationes; quas itaque ſi celant, celant aliquid, quod pugnat contra obligationem ipſorum, qua tenentur ad poteſtatem ciuilem imperantis conſeruandam. Ex eo vero, quod quidquam pugnet contra poteſtatem ciuilem, crimen læſæ Maieſtatis naſcitur (§. 100.): quapropter non ignorans conſpirationem eamque celans Maieſtatis reus eſt. Ex hoc fundamento THVANVS, qui QVINQVE MARTII conſpirationem probe ſciebat, nec conſilium hoc cuiquam aperire volebat, capite, tanquam criminis læſæ Maieſtatis reus, truncatus eſt, Conf. *les particularitez remarquées de tout ce qui s'eſt paſſé en la mort de Meſſieurs de Cingmars et et de Thou*: item BENIAMIN PRIOLAS de *re-*

bus Gallicis ab exceſſu LVDOVICI XIII. *Libr. 1. c. 6.* Similiter accidit DAVIDI BERCHIN, quem caſum refert BVCHANANVS in *rerum Scoticarum Hiſtoria, Libr. 8.*

§. 106.

In Imperantes proprie committitur crimen læſæ Maieſtatis, non in Miniſtros.

Quoniam nemo, niſi imperans poteſtatem ciuilem poſſidet (§. 23.): etiam *non niſi in imperantem crimen læſæ Maieſtatis committi poteſt* (§. 100.); quare *non in principis Miniſtros*, niſi modo communicatiuo læſionum, quæ ipſis accidunt, nominari crimina læſæ Maieſtatis poſſe quiſpiam contendat, adductus *leg. 5. Cod. ad Leg. Iul. Mai.* vbi ſancitum: *Quisquis de nece etiam virorum illuſtrium, qui conſiliis et conſiſtorio noſtro interſunt cogitauerit, ipſe quidem, vtpote maieſtatis reus, gladio feriatur.*

§. 107.

A crimine læſæ Maieſtatis ad Parentes et ſubditos valet conſecutio.

Læſæ Maieſtatis crimen perpetrant parentes (§. 100.). Quapropter *a crimine læſæ Maieſtatis ad parentem et ſubditum valet conſecutio.* His igitur rebus ſuppoſitis, facile concipitur, *fieri non poſſe, vt imperans in imperantem cri-*

crimen læſæ Maieſtatis committat. Neque etiam ſi imperans in aliena Republica verſatur, huius *Reipublicæ ſubditi* criminis læſæ Maieſtatis accuſari poſſunt, *ſi quid contra peregrinum imperantem admiſerunt.*

§. 108.

A crimine læſæ Maieſtatis, pro dignitate ſumta, non ſemper V. C. ad ſubditum.

Eſt cautio hæc adhibenda in illa, a crimine læſæ Maieſtatis ad parentes et ſubditos, illatione, vt potiſſimum eo diſpiciamus, vtrum maieſtas pro ciuili poteſtate, an pro dignitate imperantis, accipiatur (§. 90.). Etenim ſi maieſtas ſignificat dignitatem, tunc læſio maieſtatis eſt læſio dignitatis: iam vero dignitas imperantis non habenda eſt poteſtas ciuilis; a ciuili autem poteſtate demum ad parentes et ſubditos argumentatio valida eſt (§. 26.). Quapropter *a crimine læſæ Maieſtatis, pro dignitate ſumta, ad parentem* et ſubditum eum, qui huius generis crimen admittit, argumentandum, *non procedit ſemper argumentatio.*

§. 109.

Iura ex poteſtate ciuili fluentia cur dicenda

Quod poteſtas ciuilis et Maieſtas una et eadem res habendæ ſunt (§. 88.): hinc non difficulter

Maieſtatica? probabo, quod attributa poteſtatis ciuilis iuraque ex poteſtate ciuili manantia ſint quoque Maieſtati tribuenda, ex eaque manent. Ex quo procliue dictu, cur ***iura, quæ ex poteſtate ciuili conſequuntur, dici maieſtatica adſolent*** atque etiam oportet.

§. 110.

Leges fundamentales limitant Maieſtatem, non tollunt aut minuunt: Maieſtas limitata manet ſumma ac independens æque, ac illimitata. Quoniam in argumento maieſtatis mens noſtra tota iam verſatur: nobis in mentem venit illa, in qua conſideranda animi eruditorum in contrarias ſententias diſtrahuntur, nobilis et in iure publico imperii proficua quæſtio, ***vtrum Maieſtatem tollant aut minuant leges fundamentales, an duntaxat limitent?*** De qua quæſtione reſponſum hoc dandum eſſe cenſeo: Poteſtas ciuilis et Maieſtas ordinario ſenſu eſt vnum et idem (§. 88.). Quoniam vero leges fundamentales non tollunt aut minuunt ſummam poteſtatem (§. 74.): neque etiam tollunt aut minuunt Maieſtatem. Præterea leges fundamentales formam pariunt Reipublicæ (§. 62.), atque ita modum gubernandi Rempublicam determinant (§. 49.). Modus autem regendi poteſt ita eſſe com-

comparatus, vt imperans aut ſuo ſolo arbitrio aut conſilio et conſenſu aliorum, res ſummam Reipublicæ ſpectantes agat; ille vero *modus gubernandi*, vbi conſilio et conſenſu aliorum in rebus ſummam Reipublicæ ſpectantibus imperans, ex legibus fundamentalibus, vti cogitur, audit *limitatus:* quare leges fundamentales limitant duntaxat Maieſtatem et ex conſequenti, cum leges fundamentales ſinant ſaluam ſummam poteſtatem (§. 74.), *limitationes ſummæ poteſtatis et Maieſtatis ex legibus fundamentalibus proficiſcentes neque tollunt, neque minuunt ſummam Principis poteſtatem Maieſtatemque.* Ac cum iure poſſint leges fundamentales a populo conſtitui (§. 72.): fieri quoque iure poteſt, vt ius fasque ſit cancellos circumdare per leges fundamentales ſummæ poteſtati ſeu Maieſtati imperantis. Per quas cum non tollatur Maieſtas: ſalua maneat neceſſe eſt. Sua natura autem poteſtas ciuilis ac Maieſtas eſt ſumma et independens (§. 24.): quare *poteſtas ciuilis et Maieſtas limitata manet ſumma et independens* æque ac illimitata. Hinc cum capitulationes Imperatorum Romanorum leges fundamentales imperii ſint: illæ nec tollunt, nec minuunt Imperatorum poteſtatem

ciuilem aut Maieſtatem, eamque potiùs ſummam atque independentem conſeruant.

§. 111.

Poteſtas ciuilis et Maieſtas vna tantum in Republ. dari poteſt et ita vnus Imperans, qui perſona quoque moralis eſſe poteſt.

Quoniam poteſtas ciuilis ſeu Maieſtas æque limitata ac illimitata ſumma eſt (§. 110.); illud vero ſummum tunc demum nuncupandum, quando nihil ſuperius, nihil par, adeſt: conſequitur, vt *non poſſint duo aut plures poteſtates ciuiles, quarum vna altera ſit ſuperior aut par, in vna Republica exiſtere.* Ex quo, *unam tantum poteſtatem ciuilem* ſiue *maieſtatem in Republica* eſſe poſſe, perſpicuum eſt. Ac quoniam illi, in quibus poteſtas ciuilis inſidet, nomen imperantium ſubeunt (§. 23.): facile eſt intellectu, quod *non niſi vnus imperans in Republica* exiſtere queat. Quod innuit BODINVS ſuo dicto: vnam *coronam non conuenire duobus capitibus.* Sciendum autem imperantem eſſe aut perſonam phyſicam ſeu ſingularem, aut moralem, quam duo aut plures perſonæ, quæ coniunctim poteſtatem ciuilem habent vnamque perſonam in exercitio imperii repræſentant, efficiunt. In quo quidem, quod vnus tantum imperans poſſit Rem-

pu-

publicam regere, latet ratio, quare *imperantium coniuges liberique ac omnes cognati inter parentium*, non imperantium, *numerum referendi*, quamuis dignationem Principum tueantur: ob eamque cauſam ſub poteſtate ciuili regnantis Principis æque, ac alii, parentes, ſunt. Quod *ſi* autem ea Reipublicæ forma eſt, vt *duo aut plures imperium teneant*, atque ita coniunctim illis affixa ſit poteſtas ciuilis: tunc oportet quemlibet per ſe ſeparatim poteſtate ciuili nudum eſſe atque ob id *ſine conſenſu alterius nec quidquam geri in Republica poſſe videmus*. Quibus ex rationibus in eius generis Rebuspublicis *ſummam rerum collegialiter adminiſtrandam eſſe* elucet.

§. 112.

Quiuis Imperans habet iura et imperii et libertatis.

Qui nullius poteſtati ciuili obediens aut ſubiectus, ille eſt in ſtatu libertatis (§. 35.), iuraque libertatis tenet (§. eod.): quapropter *imperantes in ſtatu libertatis viuunt, iuribusque libertatis gaudent* (§. 94.). Præterea cum penes imperantes ſit poteſtas ciuilis (§. 23.) imperantes omnino *omnes habent* tam *iura imperii*, quam *iura libertatis*.

§. 113.

Extra Rempublicam nulla valet poteſtas ciuilis et Maieſtas. An dentur iura Maieſtatica transeuntia?

Si quis nullius in orbe terrarum poteſtati ſubiectus, illi iura libertatis ſalua ſunt in omnibus locis relicta (§. 112.). Proinde ea, quæ imperans habet, iura libertatis (§. eod.), etiam extra Reipublicæ ſuæ terminos egredi poſſunt (§ 94.). Quam late vero iura imperii pateant, hoc ex conſtitutione iurium imperii pateſcit, quippe quæ ab illis, qui ſe poteſtati alterius ciuili ſubiecerunt, conſtituuntur et in alios transferuntur (§. 61.). *Nullum* itaque *ius*, *niſi quod fuit in transferentium poteſtate imperans exercere poteſt.* Hinc quidquid iurium eſt, quæ imperans, vt imperans, intra Reipublicæ fines agitat, illa ex ciuili poteſtate ſiue iure imperii proficiſcuntur; *quæ* autem *iura extra Reipublicæ terminos valent*, *illa ex iure libertatis ducuntur* (§. 112). Cum ergo ſecundum ea, quæ diximus, poteſtas ciuilis extra Rempublicam nulla ſit; poteſtas autem ciuilis et maieſtas ſint vnum et idem (§. 88.): *Maieſtate imperans extra Rempublicam non gaudet.* Atque ex conſequenti *ſi imperans extra Rempublicam ſuam commoratur: in eum crimen læſæ Maieſtatis non committitur.* Cumque iura

Maie-

Maieſtatica coniunctim efficiant Maieſtatem (§. 89.): ***non vllum*** quoque ***cognoſcere datur ius maieſtaticum, quod extra Rempublicam vim iuris habeat.*** Ex quo decidi poſſe reor eum caſum, qui interuenit, cum Regina Sueciæ CHRISTINA Romam profecta in itinere intra Regni Galliæ fines cuidam, qui in famulatu erat, ſupplicium dare ſe poſſe exiſtimauerat: Rex Galliæ vero hocce ſibi ius puniendi delicta vindicabat. Eodem argumento, quod extra Rempublicam nullum locum habeat ius maieſtaticum, ***diſtinctio iurium Maieſtaticorum in immanentia et transeuntia infirmari*** et conuelli ***poteſt:*** quippe ſub his ea iura, quæ extra Reipublicæ terminos exercentur, intelliguntur, veluti ***ius belli*** et ***pacis, fœderum,*** etc. Equidem (§. 124. et 125.) inuenies, me ipſum iura belli et pacis inter iura Maieſtatica referre: verum, ea tantum ita ſunt nominanda reſpectu Reipublicæ, cuius aliquis princeps eſt, in qua nemo, niſi imperans, hæc iura ſibi tribuere poteſt: intuitu vero aliarum gentium ea iura imperans exercet, quia fluunt ex ſtatu libertatis, in quibus gentes et principes inter ſe viuunt (§. 37.), et ob id ***potius iura libertatis, quam Maieſtatica,*** habenda.

§. 114.

An omnia iura Maieſtatica ſint immanentia? ad quae inprimis pertinet ius defendendi Remp.

Omnia itaque *iura Maieſtatica*, ſi ex eo, quod in Republica locum tantum habeant (§. 113.), compellare velis, *ſunt immanentia* dicenda, quae expedit iam ordine recenſere. *Primo loco* nobis ſuccurrit ius defendendi Rempublicam, quod ex iure conſeruandi Rempublicam prono alueo fluit. Quod cum imperanti datum ſit (§. 28.): eo ipſo etiam remedia, quibus ius conſeruandi in actum deduci poteſt, data ſint oportet; ſiquidem cuicunque finis, qui hic Reipublicae conſeruatio, illi et media ſunt concedenda. Finem etenim vocamus omne illud, quod per certa media conſequi intendimus. Ac quoniam Rempublicam conſeruandi, ſi vis hoſtium ingruit in imperantem, nullum ad manus eſt remedium aliud, niſi vt vis hoſti opponatur; vis vero vi alterius oppoſita *nomine defenſionis* venit: *imperanti ius defendendi Rempublicam aſſerendum.* Ex eodem fundamento ea *agere omnia princeps poteſt, quae ratio ſtatus poſtulat. Ratio* autem *ſtatus* eſt nobis cum HERTIO in *Elem. Prud. ciuil. pad. §. 2.* modus et remedium, quo vtilitas ſeu finis Reipubli-

publicæ, præſertim qualis in præſenti eſt, obtinetur ac conſeruatur.

§. 115.

Contra vim et internam et externam Imperanti eſt ius defendendi Remp. Non licet rebellare, conſpirare et inuadere aut vſurpare Remp.

Vim faciunt in Rempublicam imperantemque, aut parentes, aut gentes exteræ: hanc volumus *vim externam*, illam *internam* nominatim compellare. Ex hac varietate vis oritur differentia *defenſionis* (§. 114.) *internæ* et *externæ*. Iam cum imperanti ſit ius defendendi Rempublicam ſine vlla reſtrictione ac diſtinctione (§. 114.): defendere poteſt Rempublicam imperans, et contra parentium vim, et contra gentium aliarum impetum. Quando parentes imperanti vim afferre conantur audiunt *rebelles*, ac quidem ſi aperte contratendunt: ſi vero clam fraude quicquam perpetrare in Rempublicam, in imperantem eiusque poteſtatem ciuilem connituntur *Conſpiratores*. Gentes, quæ Rempublicam nullo iure, ſed vi aggrediuntur, appellari *Inuaſores* et *Vſurpatores* ſolent. Quocirca *ius imperantis eſt Rempublicam contra impetus rebellium, conſpiratorum et inuaſorum tegendi* atque tuendi, et ex conſequenti *rebellio omnis, conſpiratio,*

ratio, inuaſioque iniuſta eſt. Quod iniuſtum, iſtud non licitum : hinc *fas nunquam eſt rebellare, in* ſceleratiſſimam *conſpirationem nomina dare, remque publicam inuadere atque vſurpare.*

§. 116.

Imperans habet ius defendendi Rempubl. et contra vim imminentem et contra illatam.

Vis vel tantum imminens eſt vel iamiam illata. Aduerſus omnis generis vim vero *defendere imperans Rempublicam poteſt* (§. 114.) : ergo *contra imminentem etiam.* At vero tunc *imminens vis eſt*, vbi quis certo parat Rempublicam militari manu aggredi. Quapropter imperans illis, qui ſe parant ad eius Rempublicam adoriendam, vim afferre iure poteſt, antequam ei vis adhibita fuit. Quæ cum ita ſint, *defenſio generalius definienda* venit, ſcilicet quod ſit repulſio vis vel iam illatæ vel imminentis.

§. 117.

Imperantis eſt prouidere paci internæ et externæ.

In qua Republica nulla vis interna dominatur, in ea *pax interna* agitatur. Quæ Respublica nulla vi externa circumdata eſt, in ea eſt parta *pax externa.* Atqui in manu imperantis eſt, a vi et interna et exter-

terna tueri Rempublicam (§. 114.): quare omne illud, *quod ad pacem internam Reipublicæ externamque ſpectat, habet imperans efficiendi facultatem.*

§. 118.

Quoſuis Reip. hoſtes Imperans a Rep. ſubmouere quouis modo iuſte poteſt.

Qui imperans exterus aut quæ reſpublica contra pacem internam aut externam alterius Reipublicæ nititur, *hoſtis Reipublicæ* eſt. Quocirca *propulſare impetum hoſtium poteſt princeps* (§. 117.): ob eamque cauſam *contra ius imperantis eſt hoſtiliter facere;* omni vero tempore *defendere Rempublicam fas* habendum.

§. 119.

Imperans ius habet ea agendi, quæ Remp. ſecuram reddunt.

Reſpublica quando in ſtatu defenſionis reperitur, ſi ad vim ſpectare cœpit res: tum *ſecuritatem publicam* adeſſe dicimus. Quandoquidem vero imperans defenſor Reipublicæ eſt (§. 114.): nec cuiquam difficile erit, vt comprehendat, quod *imperanti faciendi ea, quæ Rempublicam reddunt ſecuram,* omnia optimo iure ius *contingat.* Vnde in exilium ſeu bannum eos homines, qui Reipublicæ ſecuritati obſunt, eiicere principes Reipublicæ queunt.

§. 102.

§. 120.

Imperanti eſt ius ad ea, quæ faciunt ad ſecuritatem publicam tam internam, quam externam.

Vt ab defenſione interna externam ſecreuimus (§. 115.): ita *ſecuritas interna* ſecerni ab *externa* poteſt (§. 119.). *Hæc* quidem poſita eſt in defenſionis ſtatu aduerſus vim externam ſiue a gente alia inferendam aut illatam (§. 115.): *illa* ſita eſt in ſtatu defenſionis contra vim internam, i. e. a parentibus inferendam aut iam illatam (§. eod.). Ac quoniam imperans vniuerſam Reipublicæ ſecuritatem promouendam ſuſcepit (§. 119.): *imperanti* quoque *ius ſecuritati* tam *internæ*, quam *externæ conſulendi* tribuendum.

§. 121.

Item ius armorum ac munimentorum et quæ huc pertinent, vt ius præſidii, metationis, excubiarum, armandiæ etc.

Quando is ſtatus rerum eſt, vt impetus hoſtium auerti et vi vis opponi poſſit, Rempublicam in ſtatu defenſionis eſſe videmus. Neque vero ſine munimentis impetus hoſtium ad tempus ſuſtineri neque ſine armis, h. e. viris armatis, vis opponi vi poteſt. Quocirca cum *imperanti* defendendi Rempublicam non ſit ius denegandum (§. 114.): negari quoque ipſi nequit

ius

ius munimentorum atque *armorum.* Mihi dubium itaque non eſt, quin imperans omnia, minima maxima iura habeat, ſine quibus, tanquam inſtrumentis, ius armorum ac munimentorum non conſiſtere queat (§. eod.). Inde ius Principis *caſtella* ædificandi illisque *præſidia imponendi, vrbes munitionibus circumdandi,* hoſpitiaque militibus præſidiariis in parentium ædibus aſſignandi, quod *ius metationis* nominant: præterea ius *excubias ſubditis imperandi, vigiliasque* diſponendi, nec non *ius armandia,* ſeu quod idem, armamentaria inſtituendi, reliquaque iura, ad bellum gerendum ſeque defendendum neceſſaria.

§. 122.

Imperans habet ius conſcribendi et cogendi milites.

Secundum (§. præced.) armatos hoſti cuique obiicere quisque imperans poteſt. Antea vero quam id fieri licet, conſcribendi homines, qui arma ferre poſſunt: ſique neceſſario hoſti obſiſtendum, homines quoque neceſſario conſcribendi ſunt. Quæ quidem fundamenta quemuis conuincent de legitimo iure, ad imperantem ſpectante, *milites conſcribendi cogendique.* In quo iure exercendo quale ſit imperantis officium, optime nos docet BVDDAEI Diſſertatio: *de officio im-*

imperantium circa conſcribendum militem, quæ in *Selectis Iur. Nat.* reperitur. Ob eam, quam obligationes parentium habent ad iura imperantium relationem (§. 26), conſtricti tenentur parentes, vt patiantur milites conſcribi: ſique nolint, cogi iure poſſunt.

§. 123.

Item ius ſequelæ. Quæ attingunt defenſionem reipublicæ ſecuritatemque, ea imperans præcipere poteſt (§. 114. 119.). Quare omnia media, quibus putat ad id, quod Rempublicam ſartam et ſecuram reddit, perueniri poſſe, adhibere iure quodam ſuo imperanti licet (§. 114.). Quando itaque armata manu hoſti occurrere aut eumdem perſequi e republica illi videtur eſſe; ad imperatum imperantis parentes venire inque militiam ſequi debent. Ius præcipiendi, vt parentes arma capiant et exercitum, quocunque caſtra Princeps parat, conſequantur, eſt *ius ſequelæ*. Proinde *ius ſequelæ competit imperanti.*

§. 124.

Item ius belli gerendi. Reipublicæ defenſio ad imperantem pertinet (§. 114.), id eſt enim ius vim vi, qua impetitur Reſpublica, obmoliendi (§. eod.). Quando

is

is ſtatus rerum eſt inter ciuitates, vt alterius Reipublicæ imperans imperanti alterius, vim inferenti, cateruis armatis reſiſtat, tunc *bellum geri* dicitur. Ex quo habetur explicata exploratąque *ratio iuris belli gerendi, ad imperantes pertinentis.*

§. 125.

Non parentes; hinc nulla cauſa iuſtifica belli inferendi, quod Parentes id efflagitarint.

Quandoquidem bellum inter imperantes ſolos geritur (§. 124.): non poteſt non deficere parentes ius belli gerendi, adeoque *nec* vllo ſub titulo *poſtulare parentes queunt ab imperante, vt inuitus bellum contra exteros ſuſcipiat.* Quod tamen ſæpius Turcæ audent. Ob quam rationem *inde, quod parentes bellum flagitent, nulla cauſa iuſtifica belli alteri inferendi* deſumere imperans poteſt.

§. 126.

Parentes neque habent ius Remp. defendendi contra Imperantem. An, qui Protectores et

Neque etiam ob eandem rationem, quod imperantibus ſolis ius defendendi Rempublicam conueniat (§ 114.), *parentes poſſunt arma ſumere, animo ſeſe contra imperantem ſuum defendendi: verum rebellionis crimen committunt,*

Ligiſtæ boni publici audiunt, ſint rebelles? quando imperanti ſuo legitimo arma opponunt (§. 115.). Hinc quocunque ſub titulo huius generis homines ſe tegunt, a crimine rebellionis non ſunt immunes. Vnde participes illius ligæ, quæ ſub colore boni publici Regni Galliæ, contra LVDOVICVM XI. Regem venerunt, referente COMMINÆO *Memor. Libr. 1. cap. 2.* rebelles haberi potuerunt. Rebellis quoque fuit ille, qui armis IOHANNIS *ſine terra* anno 1215. ſeſe oppoſuit, Mareſchallus Dei et ſanctæ Eccleſiæ (quod nomen nouem Barones Angliæ Duci exercitus, qui Iohanni erat oppoſitus, dederunt). Eadem conditio fuit Protectoris Angliæ CROMVVELLI, quem quoque vt verum Angliæ Dominum nunquam recognouit Moſcus, vt referunt *les Memoires du Chevalier* de TEKLON, *pag. 83. le Protecteur d' Angleterre envoya un miniſtre. Mais le Czar ne le voulut point reconnoitre, diſant qu' il ne venoit pas de la part du veritable Maitre de l' Angleterre: Le Moſcovite n' ayant iamais reconnus le Protecteur, ni ſa pretendue Republique.*

§. 127.

Neque ius armorum, Ex defendendi iure deduximus ius armorum ac munimentorum (§. 121.),

(§. 121.), militum conſcribendorum (§. 122.), quæ iura vna cum iis, quæ ſub illis comprehenduntur (§. 121.) eam ob cauſam abiudicauimus parentibus, quod ius defendendi Rempublicam ex nullo fundamento iis vindicari poteſt (§. 126.). *munimentorum, militum conſcribendorum.*

§. 128.

Inter imperantis iura retulimus ius ſecuritati Reipublicæ quouis modo conſulendi (§. 119.): ex quo imperantis libertas patet, omnes vias perſequendi, quibus ſe in ſtatum plenariæ ſecuritatis vindicare poteſt. Quamdiu itaque tempore belli in tuto non eſt omnis res, tamdiu bellum perſequi imperio imperantis tenentur parentes (§. 26.). Ob eamque cauſam ſi propter vim bellicam nihil ſibi intra ſuum territorium plane tutum, nihil hoſtium inſidiis plane vacuum imperans videt, niſi etiam extra *territorium*, ſub quo terra, quæ ſub poteſtate eius ciuili eſt, intelligitur, hoſtem perſequatur: *parentes* quoque, *extra Reipublicæ fines imperantem ſequi debent bellantem.* Tunc autem demum *plenaria ſecuritas eſt obtenta*, quando hoſtis vsque

Parentes Imperantem bellantem extra Reip. fines ſequi debent, donec plenaria ſecuritas obtenta.

eo eſt eneruatus, vt parum virium ad nocendum habeat. Ac quandoquidem is, qui bellum contra imperantem gerit, hoſtis audit, et bellum gerere imperantes ſolum queunt (§. 124.): manifeſtum eſt, quid ſit cauſæ, cur *hoſtis* nobis ſit *imperans, qui contra imperantem vi certat*, quodque adeo *parentes, quamuis contra imperantem ſuum pugnent, non* ſint *hoſtes compellandi*, verum rebelles (§. 115.).

§. 129.

Imperans habet facultatem finem bello pro ſuo arbitrio conſtituendi.

Iisdem finibus vis hoſtis contra imperantem nitens, quibus bellum terminatur (§. 124.): ex eo belli terminati comes pax eſt (§. 117.). Docuimus autem ab imperante nunquam non coagmentari poſſe pacem Reipublicæ (§. eod.): ergo *imperans habet* ſemper *facultatem*, pro eo, ac ipſi placet, *finem bello conſtituendi*.

§. 130.

Imperanti eſt ius pacis, pro fœdere ſumta.

Pax primo ſignificat ſtatum, in quo nulla vis Reipublicæ intentatur: *deinde* pax alteram habet principem ſignificationem, qua ſignatur fœdus, quo ſtatus, quo vis ceſſat inter imperantes, obtinetur, ſiue quod imperantes belli componendi, pacisque adeo

recon-

reconciliandæ gratia ſanciunt. Iam imperanti eſt ius paci Reipublicæ conſulendi (§. 117.); pace vero pro fœdere ſumta, per hanc illa pax, prouti (§. cit.) explicauimus, obtinetur, vi formatæ hic definitionis: ergo *imperantis ius firmum eſt, pacem in modum fœderis faciendi* (§. 114.). Pacem in ſua vera atque propria ſignificatione fœdus vel ſimpliciter vel cum appoſito vocabulo pacis vocari poſſe obſeruat SCHVTZIVS *Vol. 2.* I. P. *Diſſ. 13. D. 1. lit. C. pag. 859.* Inde ratione fecit GRAMMONDVS *Libr. 4. Hiſtor. pag. 247.* quando de pace inter FERDINANDVM II. et ſtatus imperii dicit: *Tandem in fœdus conuentum, cuius hæc ſumma fuit, pacem fore tota Germania.*

§. 131.

Rebellibus non ius ex pace cum Imperante quidquam lucrandi: promiſſa illis non ſeruanda, ſine Guarantia aliarum ſummarum poteſtatum.

Inter imperantes ſolos pax pangitur (§. 130.): quapropter *rebelles* ob id, quod parentes ſunt (§. 103.) *neque cum imperante, contra quem rebellarunt, neque cum imperantibus aliarum Rerumpublicarum ius pacem faciendi habent.* Atque ita veſtigium iuris nullum inuenio, quo ius nitatur, eorum quidquam, quæ per modum pacis ab imperante promiſſa, acceptandi.

§. 132.

Ius belli et pacis indiuiduo nexu ad Imperantes pertinet.

Imperantis ius belli gerendi pacemque faciendi commonſtrauimus (§. 124. et 130.). Quæ duo iura cum indiuidui comites ſint (§. 129.): nec vlla in orbe terrarum exiſtit Reſpublica aut exiſtere poteſt, in qua non *ius belli et pacis indiuiduo nexu ad imperantes ſpectet.*

§. 133.

Penes Imperantes ius fœdera cum aliis Imperantibus et Rebuſp. faciendi.

Quoniam adhuc dum in cauſis pacis, quatenus fœdus ſignificat, verſamur: locus videtur eſſe de iure fœderum agendi. Quæ de fœderibus generatim trademus, ea tunc quilibet ad iura pacis applicare per ſe poterit. Generatim *fœdus* eſt conuentio publica ſiue ſocietas, quam imperantes Reipublicæ gratia ineunt. *Reipublicæ gratia* tunc *fit quidquam*, cum, vt conſeruatio Reipublicæ aut neceſſaria aut ſalutaris obtineatur, aliquid geritur. Ad omnia ea ſuſcipienda, quæ conſeruationem et neceſſariam et proficuam, attingunt imperans iure ſuo pollet (§. 85.). Quare *imperantis eſt ius fœderum cum aliis gentibus et rebuspublicis faciendorum.*

§. 134.

§. 134.

Fœdera ob conſeruationem Reipublicæ neceſſariam aut ſalutarem ab imperantibus ſanciuntur (§. 133.). Ergo non ad alium, quam ad hunc, finem conſequendum adhiberi ius fœderum poteſt. *Si* quando itaque *priuati commodi gratia, cum aliis imperantibus, aut etiam in publicam ſalutem cum non imperantibus imperans facit pactionem* aut *ſocietatem, illa nomen fœderis non meretur*, verum habenda priuata pactio aut ſocietas eſt.

Fœdera, nec priuati commodi gratia, nec inter eos, qui non ſunt Imperantes, panguntur.

§. 135.

Imperantes fœdera faciunt (§. 123.); non parentes (§. 124.), ob eamque cauſam *ius confœderandi ſeſe nec* contra imperantem ſuum, nec contra alium quendam, nec cum alio imperante, nec inter ſe *ſubditis, proditoribus, conſpiratoribus, rebellibus adſcribere* vllo modo *licet* (§. 115.).

Rebelles, Conſpiratores et Proditores non habent ius ſeſe confœderandi.

§. 136.

Fœdera ſunt ſeruanda: ex iis perfectum Imperanti ius et perfecta obligatio.

Ob id, quod ex pactionibus perfecta iura progignuntur (§. 32.), ex fœderibus exiſtat itidem perfectum ius neceſſe eſt (§. 133.). Si quis ergo pactioni contraire audet: iuribus alterius perfectis obtrectat, neque vero id fieri fas eſt. Quare contra pactiones agere licitum quoque non eſt: vtpote quæ ſeruandæ ſunt, et ex conſequenti *fœdera imperans ſalua præſtare debet* (§. eod.). Porro vti ex conuentionibus naſcitur *perfecta obligatio* (§. 32.): ita *ex fœderibus* eadem obligatio progignatur neceſſe eſt (§. 123. Quæ cum dat alteri cogendi poteſtatem (§. 31.): *ſubigi* quoque *imperans ad neceſſitatem ſeruandi fœdera*, quæ cum aliis fecit, *legitime poteſt.*

§. 137.

Non licet fœdus antiquius ob nouum, cum alio ictum, negligere.

Quæ pactiones fœderis habent vim, ex iis alteri imperanti fœderato ius acquiritur, cui contrauenire nullo modo licet (§. 136.): adeoque *contra ius fasque eſt fœdus et pacta frangere. Pactum frangitur* autem, ſi quis iſtud, quod promiſit, non ſeruat, aut ſi pactum et fœdus nouum,

quod

quod antiquiori contrarium, init. Quocirca ius officii lædit, qui aduerſus pacta et fœdera, cum aliis facta, nititur, et noua prioribus contraria init. Quando vero alterum lædere non eſt licitum: *non licet* quoque *fœdera pactaque antiquiora nouioribus poſtponere, inuitis paciſcentibus aliis.*

§. 138.

Doctrina de iure circa pacta publica et fœdera eſt Iuris G. et neceſſaria in iuribus fœderis ſyſtematici et Syſtematis Rerump. noſcendis, quæ Iuris P. vniuerſalis.

Vberius agere hic de iuribus pactionum publicarum, et ſigillatim de variis fœderum diuiſionibus, v. g. quod ſint æqualia vel inæqualia, perpetua et temporanea, vel defenſionis vel commerciorum, quæ Alliancen, Liguen, Garantien, vocant, etc. propter materiarum harum dignitatem quam maxime vellem, niſi hæc tractatio potius ad ius gentium, quam ad ius publicum vniuerſale pertineret. Qui animis ſuis notiones pactionum publicarum, fœderum æqualium et inæqualium, aliarumque pactionum, quas imperantes faciunt inter ſe aut nomine imperantium miniſtri, imprimere cupiunt, ex GROT. de I. B. et P. *Libr. 2. cap. 15.* vt condiſcant cenſeo. Cui volupe eſt autores, qui de iure fœderum

paſtorumque publicorum diuerſis ſpeciebus peculiaribus tractationibus egerunt, euoluere, adeat *Bibliothecam iuris imperantium quadripartitam*, Noribergæ 1727. editam, *cap. 3. poſ. 2. §. 7. et ſeqq.*

§. 139.

Iura fœderis ſyſtematici et Syſtematis Rerump. quæ quodlibet Membrum retinet, et quæ Syſtema in Membra habet.

Ex diuerſis fœderum ſpeciebus, quas miſſas feci, me oportet fœdus ſyſtematicum verbis circumſcribere, quo de iure ſyſtematis Rerumpublicarum ex ea parte, quatenus hæc tractatio ad ius publicum vniuerſale pertinet, diſſerere queam. *Fœdus ſyſtematicum* eſt fœdus perpetuum, quo duo aut plures Reſpublicæ in vnum corpus politicum ſeu perſonam moralem, intuitu communis conſeruationis, coaleſcunt. Illæ Reſpublicæ, quæ hoc modo ſeſe vniuerunt, conſtituunt *ſyſtema Rerumpublicarum*: ob id, quod ope fœderis ſyſtematici, reſpectu conſeruationis, reſpublicæ inter ſe nexæ et iugatæ ſunt. Vbi autem nexus, ibi ſyſtema; hinc vocabulum ſyſtematis Rerumpublicarum. Ex quo ſequitur *primo loco*, vt in ſyſtemate Rerumpublicarum *quodlibet membrum Reſpublica ſeparata* ſit, adeoque *ſummam*

mam poteſtatem ciuilem, et ita *iura populi retineat* (§. 23. et 37.), ac ab reliquis in exercitio ſummæ poteſtatis *independens* ſit (§. 24.), *nec ſyſtemati ſubiectum* (§. 94.). Et ita comparata eſt ratio prouinciarum Belgicarum ſecundum HVBERVM *L. 1. S. 3. c. 3* vbi cenſet, quod Respubl. Belgicarum prouinciarum vnita fœdere Traiectiuo arctiſſime quidem ſit coniuncta, verum ſalua ſingularum prouinciarum ſumma poteſtate, vt etiam cenſet GROTIVS de *antiqu. Reipubl. Batav.* Excepta ſolum ea ſunt, quæ ex fœdere ad vniuerſitatem ſociorum, ſiue ordines generales, delata ſunt. Quoniam *ſecundo loco* communis conſeruationis gratia Respublicæ, quæ in ſyſtemate Rerumpublicarum continentur, in vnam perſonam moralem coaluerunt: conſequens, vt *ſi quid contra conſeruationem vnius membri ſuſcipiatur*, eo ipſo *ſyſtema omne lædatur*, et ob id *ſyſtematis membra opem ferre teneantur*, tam contra hoſtes, quam contra rebelles aliosque Reipublicæ confœderatæ labantis morbos. Ac cum præterea perſonæ morales obligare fidem aliorum, obligarique ipſi queant (§. 71.): facile patet, quod *ſyſtema Rerumpublicarum*, et *ſe* et *alios obligatos habere queat*. *Tandem* cum in perpetuum fœdus ſyſtematicum ſanciatur: huius fœderis vin-

vincula impediunt vnumquodque membrum, quo minus diſcedere ex nexu ſyſtematico, quando collibitum eſt, queat. Dumque fœdera producunt perfectam obligationem atque coactionem (§. 136.): *Reſpublicæ, quæ ſunt in fœdere ſyſtematico, cogi a reliquis ad permanendum in ſyſtemate iuſte queunt.* Ac cum HELVETIAM tale ſyſtema Rerumpublicarum eſſe ex applicatione definitionis noſtræ pateat: quæ, iura hoc ſvſtema ditionesque particulares inter ſe vnitæ habeant, colligere ex iis, quæ in *hoc* §. deduximus, licet, quæ accommodare ad hoc ſyſtema Rerumpublicarum pluraque alia concludere facile factu erit. Hæc fœdera ſyſtematica ſolebant olim *fœdera ſalis*, *Saltzbünde* compellari, obſeruante BODINO *Libr.* 5. de *Republ. cap.* 6. *p. m.* 615.

§. 140.

Fœdera et pacta fœderi ſyſtematico legibusque fundamentalibus contraria facere non licet.

Reſpublicæ, poſtquam in fœdus ſyſtematicum ſeſe contulerunt, *non poſſunt noua fœdera, quæ fœderi ſyſtematico inimica* atque infeſta ſunt, *facere* (§. 137. et 139.). Ex ſimili ratione quoque, *quando* is ſtatus rerum in Republica quadam eſt, vt leges publicæ æque ac fundamentales

tales

tales pactione fiant (§. 52. et 61.), *ordinesque Reipublicæ*, veluti in imperio, *ius fœderum conſecuti ſunt*: tunc *non poſſunt vllum fœdus* aut *pactum contra Rempublicam* eiusque *leges fundamentales* et *publicas icere* (§. 137.). Hanc meam ſententiam auctoritate *Inſtrumenti Pacis artic. 8. §. gaudeant etc.* roborare licet, in quo loco euidentibus verbis dicitur: *Ius faciendi inter ſe et cum exteris fœdera, pro ſua cuiusque conſeruatione ac ſecuritate, ſingulis ſtatibus perpetuo liberum eſt: ita tamen, ne eiusmodi fœdera ſint contra imperatorem et imperium, pacemque eius publicam vel banc inprimis transactionem, fiatque ſaluo per omnia iuramento, quo quisque Imperatori et imperio obſtrictus eſt.*

§. 141.

Obſeruantia eſt Lex publica habenda.

Quoniam ordines, qui ius fœderum habent, fœdera et pacta contra leges publicas, quæ conuentione conficiuntur, facere nequeunt (§. 140.): operæ pretium eſſe exiſtimo hoc mihi ζήτημα nunc ponere, *vtrum contra obſeruantiam fœdera icere, nec ne, liceat.* De indole obſeruantiæ nonnulla ante dicere, quam hoc ζήτημα perſoluam, iuuat. Hinc quidem *obſeruantia* definitur per ius, ortum

in *hoc* et §. *praced.* continentur, contendere velimus: facile patet, quod ſit hoc *diſcrimen inter obſeruantiam* et *conſuetudinem*, quod *hac* ad *ſtatum priuatum* ciuitatis, *illa* ad *publicum* ſpectet. Ac quoniam ius, quod dirigit ſtatum priuatum in legem priuatam cadit (§. 39.): hæc differentia eſt obſeruantiæ et conſuetudinis, quod *illa* ſit *lex publica* (§. 141.), *hac* vero *priuata*, eaque tacita ob eandem, quam §. proximo protuli cauſam.

§. 143.

Ex obſeruantia et conſuetudine, iura, et obligationes: ex vſurpatione non æque: requiſita obſeruantia.

Tam *in obſeruantia*, quam in *conſuetudine* probanda, *probanda* venit *actuum crebritas* et *tacitus imperantium conſenſus* (§. 141. et 142.). Si duo itaque, quod interdum vſu venire ſolet, prouocant ad obſeruantiam aut conſuetudinem, dum altera contra alteram pugnat ita, vt ſimul conſiſtere nequeant: ad duo illa, quæ modo dixi, probationis capita tota res redit. Ac quoniam imperantes, quorum conſenſus tacitus ad obſeruantiam ac conſuetudinem neceſſarius eſt (§§. citt.), ſibi ipſi optimi ſunt teſtes, in quod tacite conſenſerint: *ipſi* etiam *imperantes optime, quis obſeruantiam aut conſuetudinem*

pro

pro ſe iuſte adducat, decidere queunt; quæ *deciſio* adeo *in* illis *Rebuspublicis*, *in quibus ſumma* reipublicæ *in comitiis gubernatur*, *ad comitia pertinet*. Quando vero crebritas quidem actuum eorundem adeſt in Republica, deſtituta autem eſt imperantis conſenſu tacito, et aliquis ob eam cauſam quidquam ſibi iuris tribuit, illud *vſurpatio* audit. Quæ vſurpatio cum itaque requiſita obſeruantiæ aut conſuetudinis non habeat (§. 141.); atque ita deficiant requiſita legis aut publicæ aut priuatæ (§. 14. et 142.): *nemo* quoque *ex vſurpatione ius acquirere poteſt* (§. 43.), *neque* adeo *obligatum alium tenere.*

§. 144.

Contra obſeruantiam nihil conari licet.

Contra leges publicas non licet ordinibus Reipublicæ, qui iure fœderum gaudent, fœdera ſancire (§. 140.). Quare iidem *ordines non poſſunt contra obſeruantiam fœdera aut pactiones facere* (§. 141.) aut *quoddam aliud negotium gerere.*

§. 145.

Qui ius legum ferendarum in Rep. habent,

Antiquioris legis mutatio atque etiam abolitio per lationem nouioris fieri ab imperante poteſt (§. 44.

(§. 44. et 45.). Iam cum obſeruantia habenda ſit lex publica (§. 141.): ſequitur, vt *nouior lex publica* aut *expreſſa* aut *tacita obſeruantiam mutare* atque etiam *tollere queat.* Et ex conſequenti *penes quos in Republica eſt ius leges publicas nouas ferendi, penes eosdem* etiam *ius* eſt *obſeruantiam mutandi, tollendique.* *penes eosdem ius obſeruantiam mutandi aut tollendi.*

§. 146.

Porro ob eandem rationem, quia obſeruantia lex publica eſt (§. 141.), *in quantum lex publica obligat parentes, tantum etiam obſeruantia habet efficacitatis* (§. 47.). *In quantum Parentes obligati ad legem publicam, in tantum ad obſeruantiam.*

§. 147.

Soluere aliquem obſeruantia, aut potius generatim, *legibus diſpenſare* ICti illud (§. 145.) vocare ſolent. Si quis enim *legibus ſolutus*, tunc is id, quod in lege aut præceptum aut prohibitum, ſeruare non tenetur. Quando vero præceptum intuitu cuiusdam hominis aut certi generis hominum non eſt præceptum, aut quod prohibitum reſpectu ejusdem non eſt prohibitum, mutata ſiue *ſublata* reſpectu eiusmodi ho- *Imperanti ſoli eſt ius diſpenſandi.*

minis aut generis hominum *lex eſt.* Mutare tollereque legem *imperans* poteſt (§. 44. et 45.): proinde nihil impedit, quo minus etiam *queat diſpenſare.*

§. 148.

Magiſtratus non poſſunt proprio iure diſpenſare, leges mutare aut tollere.

Firmamentum ac robur totius iuris diſpenſandi ius mutandi leges eſt (§. 147.), easdemque adeo ferendi (§. 44.). *Si quis imperans* ergo *conſenſum ordinum in ferendis legibus adhibere tenetur:* tunc etiam *ſolus,* vti *non mutare legem,* ita *nec diſpenſare poteſt; multo minus* illi diſpenſare poſſunt, qui *adminiſtri* imperantis et *Magiſtratus* ſunt. Adminiſtri et Magiſtratus enim nomine imperantis iura, ad poteſtatem ciuilem ſpectantia, exercent; imperans vero nomine proprio (§. 23.): quare Magiſtratus non ſunt imperantes. Qui imperantes cum ſoli ius diſpenſandi habeant (§. 147.): *nec vllus Miniſter Magiſtratusue mutare leges et diſpenſare iure proprio poteſt.* Diſpenſandi poteſtas ſi itaque cuidam Magiſtratui, vti Conſiſtoriis hodie, concedi ſolet, data eſt, illam *adminiſtratorio,* non proprio, exercet *iure,* atque in caſibus diſpenſari ſolitis.

§. 149.

§. 149.

Statuta ab imperante condenda, non a Magiſtratu: a Magiſtratu condita confirmatione egent.

Statuta ſunt leges, quibus certa duntaxat ciuitas ſeu vrbs tenetur. Quoniam vero imperantis, non Magiſtratus, eſt ferre leges (§. 44.): etiam *imperans, non Magiſtratus, ſtatuta condere poteſt.* Si qua itaque ſtatuta a ciuitate ipſa aut eius Magiſtratu confecta ſunt: illa ante vim legis accipere nequeunt, quam *imperantis confirmatio accedat.* Quæ quidem in hoc caſu eſt neceſſitatis, quia ſtatutis conciliat valorem, quæ ſine confirmatione ſubſiſtere nequeunt: alia eſt confirmatio liberæ voluntatis, quæ nouum robur actui non conciliat, vt diſtinguit ill. BOEHMERVS in *Obſeru. lit.* (h) ad CORVINI *Ius Canonicum Libr. 3. Tit. 41.* Quales actus ſunt actus ſecundum ius Nat. et Gent. per ſe validi, et in ſtatu ciuitatis non infirmi declarati aut interdicti: vt ſunt actus, qui conſenſu partium ſubſiſtunt, *v. g.* pacta familiæ de ordine ſuccedendi, et alia huius generis negotia.

§. 150.

Imperans eſt ſummus in Rep. Iudex.

Eam ob cauſam ſtatutis et cuiuscunque generis aliis legibus respublica aut peculiaris aliqua ciui-

tas munitur, vt parentes pro eo, ac debent, rationes ſuas ad eas accommodent (§. 39.), ſique nolint, vt iure ſuo adigendi parentes ad ſeruandam legem vtatur imperans (§. eod.). Verum illud ius imperantis irritum caderet, quando penes ipſum non eſſet ius iudicandi de parentium actionibus, vtrum ſint congruentes et conuenientes legibus, nec ne. Sed hoc imperantis ius cogendi parentes ad obediendum legibus ex iure gubernandi Rempublicam (§. 39.), adeoque ex poteſtate ciuili (§. 25.), quæ ab imperante ſeparari nequit (§. 23.), neceſſario cogitur. Quare etiam neceſſarium eſt imperantis ius iudicandi de parentium actionibus, vtrum conſentientes, an repugnantes ſint legibus. Ille qui tale ius poſſidet, appellatur *iudex*, proinde *imperans* eſt *in Republica iudex*, isque *ſummus* (§. 24. et 91.).

§. 151.

Imperans ſumma in Rep. gaudet iurisdictione in Parentes.

Iuris dicendi facultas in cauſis aliorum, nomen *iurisdictionis* ſubit. Quorumcunque itaque actiones et negotia quisquam iudicat et diſceptat, in eos habet iurisdictionem. Ac cum imperanti tale ius in parentes competat (§. 150.): *iurisdictionem in parentes habet imperans.* Cumque

que præterea imperans ſummus in Republica iudex (*§. prac.*), etiam *iurisdictio imperantis ſumma* ſit oportet. Vnde ſi quæ *aliæ* ſunt *in republica iurisdictiones*, illæ *inferiores* ac *ſubordinata*; *inferiores* ac *ſubordinatas nuncupo* eas iurisdictiones, à quibus cauſa eiusque cognitio deuolui per prouocationem ad ſuperiorem poteſt. Exinde quis ſit ſummus iudex, et quænam *ſuprema iudicia*, quodque *ab iis non dentur appellationes*, iudicare licet. Ob eamque cauſam, quia *iudicium aulicum* et *camera imperialis* ſunt *ſuprema in imperio Tribunalia, non dantur ab iisdem appellationes*, ſed *remedia ſupplicationis* ac *reuiſionis actorum* inuenta ſunt.

§. 152.

In Parentium controuerſiis habet Imperans ius cognoſcendi, ſententiam ferendi et exequendi.

Quoniam fieri non poteſt, vt iudicium de cauſa aliqua rectum ferre aliquis poſſit, niſi cauſam cognoſcat: iudicio de re controuerſa *cauſæ cognitio* antecedat oportet. Imperanti autem poteſtas iudicandi de cauſis parentium data eſt (§. 150.): ergo ipſi quoque cauſæ cognitio danda. Quam cauſæ cognitionem quod ſequitur iudicium, à iudice latum, audit *ſententia iudicis*. Proinde ſecun-

dum cauſæ cognitionem ferre imperans poteſt ſententiam. Quæ certe plerumque ſine vllo effectu foret, niſi cogi parens poſſet ad obediendum ſententiæ. Ille actus, quo ſubigitur quis ad neceſſitatem dedendi res parendique ſententiæ, *executio* vocatur. Quapropter *imperantem habere oportet cauſæ cognitionem, ſententiæ lationem executionemque.* Quæ tria *iurisdictionis requiſita* quoniam ex poteſtate ciuili ſeu imperio proficiſcuntur (§. 150.): recte hæc poteſtas iudicis in iure Romano nomine *imperii* venit *L. 1.* §. *vlt. L. vlt.* §. *1. ff.* de *offic. eius, cui mand. iurisdict.* Confer. GVNDL. D. p. 130.

§. 153.

Duella iusque manuarium in ſtatu ciuitatis ſunt illicita.

Quandoquidem imperans facultatem habet iurisdicendi parentibus (§. 150.): *parentes ſibi ipſi ius dicere non poſſunt*, ob eamque cauſam in Rebuspublicis omnia *duella iusque manuarium*, quibus quis ſibi ipſe per duellum et violenta manu ius dicere intendit, *contra iura autoritatemque imperantis* ſunt, et ex conſequenti *illicita.*

§. 154.

Parentes habent ius

Quamuis igitur ad imperantem ſolum ius iudicandi ſpectet: tamen penes

penes litigantes eſt facultas ex pacto eligendi ſibi alium, qui iudex ordinarius in Republica non eſt, vt cauſam controuerſam ſecundum leges diſceptet, qualis *arbiter* audit. *Qualis* etiam *inter ſummos Principes conſtitui ſolet*, quando cauſam controuerſam iuri belli non committere volunt, vt vel vnicum oſtendit exemplum ſucceſſionis Caſtilianæ, quæ DIONYSII arbitrio, Regis Portugalliæ, ex compromiſſo decidenda, relinquebatur. Hæc vero facultas conſtituendi arbitros denegari parentibus quoque eam ob cauſam non poteſt, quia ex pacto iura acquirere, obligarique parentes queunt (§. 73.). Quod ſi vero in ſententiam arbitri compromittitur, obligatio omnis ex pacto exiſtit: proinde *arbitrum parentes ſibi conſtituere libera voluntate poſſunt.* At vero quoniam cogendi ius nemini in Republica, niſi principi, et imperantibus, iure proprio competit (§. 36.): arbitro non eſt ius cogendi compromittentes ad obediendum ſententiæ, i. e. *arbitrum deficit executio* (§. 152.). Iurisdictio autem ſine executione nullius effectus eſt atque conſiſtere nequit (§. eod.): inde *dici* etiam *non poteſt arbitrum in compromittentes iurisdictione gaudere.*

ſibi arbitros conſtituendi, qui v. in compromittentes iurisdictione carent. Quid auſtregæ.

re. *Auſtregæ in imperio* ſunt arbitri in cauſis controuerſis ſtatuum imperii aut lege aut conuentione conſtituti. Igitur de iure ſtatuum Auſtregas ſibi conſtituendi deque Auſtregarum iuribus iudicari ex hoc §. licet.

§. 155.

Compromittentes ſtare laudo tenentur, ſi legibus conforme

Dum itaque penes arbitrum non eſt executio (§. 154.): in quæſtione eſt, *quodnam cauſa* ſumamus, *quod compromittentes arbitri ſententia*, quam *laudum* vocare amant ICti, *ſtare teneantur?* Nulla alia eſt *cauſa*, quam *pactio*, qua arbiter conſtituitur (§. eod.), ſeruanda vero pacta ſunt (§. 136.), inde etiam compromittentes, dum ex pacto deciſionem cauſæ volunt (§. 154.), ſtare deciſione cauſæ controuerſæ ſiue laudo tenentur. Hinc illo maxime celebrato *laudo concordiæ* inter Imperatorem RVDOLPHVM et OTTOCARVM facto, quod habet LEIBNITZIVS *Tom. 2. Codicis Diplomatici iuris Gentium in Mantiſſa*, §. *9. pag. 100. ſeq.* firmum ius familiæ Habsburgicæ acquiſitum eſt: præcipue cum hoc laudum ita comparatum ſit, vt legibus conſentiat. Quod quidem requiritur in omnibus laudis, quæ obligare debent (§. eod.): ob eamque cauſam *compromittentes*

ſen-

ſententia arbitri, quæ legibus non conformis, ſtare non tenentur. *Officium* enim *arbitri* eſt, vt ſententiam legibus conformet (§. eod.). Ex quibus quoque *officia Auſtregarum* ſtatuum imperii colligere licet (§. 154.).

§. 156.

De officialium variis ſpeciebus et iuribus.

Si quis nomine imperantis iura quædam exercet, ille *officialis* ſiue *Miniſter imperantis* audit, qui pro diuerſitate iurium, ipſi commiſſorum, diuerſa quoque nomina ſortitur. Alii ſunt *Miniſtri ſtatus*, et quidem aut intuitu negotiorum ad adminiſtrationem Reipublicæ ſpectantium, aut ratione negotiorum cum exteris gentibus interuenientium, quorum deſcriptionem belle ſuppeditant *Charactères ou Mœurs de ce Siecle de la Bruyére*, cap. *du Souverain* et *de la Republique.* Alii *Magiſtratus* et *iudices* audiunt, ſub quo nomine veniunt illi, quibus datum ab imperante eſt ius iudicandi et diſceptandi lites ciuium. Inter quos ſpeciatim *commiſſarii* appellantur illi, quibus ſigillatim cauſam aliquam in Republica exquirendi diſceptandique ab imperante data poteſtas: nec non Commiſſarii vocantur ii, qui rem imperantis generatim procurant in Republica. Quo vl-

timo ſenſu *Commiſſarius principalis* et *Commiſſarius Imperatoris in comitiis* habendi ſunt. Ex vtraque definitione Commiſſariorum elucet, quod *Commiſſarii* non ad extraneas liberas Reſpublicas mittantur, verum *expediendorum eorum negotiorum gratia, quæ inter imperantem et parentes in Republica occurrunt.* Interdum etiam *inter æquales,* ſed eorum poteſtas tantum intra territorium Principis, a quo miſſi, valet, tales ſunt v. g. *Marcb-Graentz-Commiſſarii.* Omnes hi officiales ceterique præterea alio nomine venientes, qui nomine imperantis potiuntur rerum in Republica adminiſtrandarum, *munus publicum gerere* dicuntur.

§. 157.

Imperantis eius officiales ac miniſtros conſtituendi.

Obrui *imperans*, tanquam fluctibus, ſic multitudine negotiorum ſolet, vt ea onera in Republica ſuſtinere ſolus non queat. Cum vero gubernanda ab ipſo Reſpublica ſit (§. 28.): *nonnullas imperii ſui partes aliis, qui nomine eius adminiſtrationem Reipublicæ in ſe ſuſcipiant, mandandas habet.* Eius generis homines, officiales, miniſtri, magiſtratus, iudices, etc. compellantur, et munus publicum gerere dicuntur (§. 156.): quilibet

libet igitur *imperans habet facultatem cuiuscunque generis Officiales ac miniſtros*, et ex conſequenti *officia publica conſtituendi.* Iura ex officio publico manantia conſtituunt *dignitatem.* Hinc illud *imperantis ius conferendi varii generis dignitates*, qui adeo fons omnium dignitatum in Republica recte nuncupari poteſt.

§. 158.

Imperantes non ſunt magiſtratus, nec, qui iura imperii iure proprio exercent, officiales.

Ab imperantis voluntate cuiuscunque officialis, atque adeo Magiſtratus conſtitutio proficiſcitur (§. 157.). Quæ ratio ſufficit ad probandum, quod omnes *Officiales* et *Magiſtratus iure adminiſtratorio poteſtate ſua polleant* (§.24.). Ac quoniam imperans iure proprio ſuam habet poteſtatem ciuilem omnem (§. 23.): *imperans nec adminiſtrator, nec Magiſtratus* dici poteſt, quamuis vulgus Reges vocet Magiſtratus ſummos, quod quoque contra latinæ vocis vſum eſſe recte ait GROTIVS de *Iure S. P.* circa Sacra, c. I. *Nec* etiam aſſeri poteſt, *officium aut munus gerere.* Ex quo diiudicari poteſt quæſtio, *an* olim *Principes Imperii Officiales* fuerint, et *quomodo vox*, in legibus imperii reperiunda, *hohe Landes-Obrigkeit, und Amtswegen, interpretanda* ſit.

§. 159.

§. 159.

De iuribus et officiis Legatorum.

Multum ceteris miniſtris quod ad honorem antecellunt *legati*, qui deſcribi poſſunt, quod ſint Miniſtri ab imperante ad alium imperantem, Reipublicæ cauſa, miſſi. Legatum Gallice ſignificare Ambaſſadeur, Anglice Ambaſſadour noto notius eſt, quem acutiſſimi ingenii et iudicii Anglus HENRICVS VVOTTONVS ita finit: *An Ambaſſadour is an honeſt Man, ſent abroad to lie for the Good of his Countrey.* Quam quidem legati deſcriptionem multum incommodi ob verbum *lie* in malam partem explicatum, autori attuliſſe ISAACVS VVALTONVS *in the Life of Henry Wotton pag. 117.* refert. Certe BALSACVS vocabulum *lie* Gallice *mentir* interpretatus eſt, vti ex hac huius Anglicæ deſcriptionis Gallica verſione, in Principe ſuo reperiunda patet, quæ ita verſa: Vn Ambaſſadeur eſt une perſonne grave, envoyée au loin a fin de mentir pour le bien de la Republique. Varia nomina legatorum quid ſignent et quomodo differant eorum iura et officia oſtendunt VVICQVEFORT, le VATER, aliique.

§. 160.

Fundamentum inuio-

Legatorum iura iuri Gentium quam publico vniuerſali propiora

cum

cum HVGONE GROTIO de Iur. B. et *P. L. 2. cap. 18. §. 1.* cerno. Iuuat tamen etiam ex his noſtris principiis, quæ in rem ſunt, et in omnes partes valent, quædam proferre. *Inuiolabilitatis Legatorum eſt legatorum ſtatus libertatis.* Diximus iamdum quod *legati* perſonam *imperantis* referant, eiusque *iuribus, extra imperantis, a quo miſſi ſunt, Rempublicam, vtantur* (§. 37.). *Extra Rempublicam*, vero vti *imperantes*, ita *legati*, *maiora non habent iura, quam quilibet homo in ſtatu naturali viuens* (§. 38.). In quo quamquam nemo ius lædendi, puniendi, leges præſcribendi, tributa imperandi, nec reliqua iura ex poteſtate ciuili fluentia habeat; propterea quod hæcce poteſtatis ciuilis iura imperanti duntaxat competunt, quæ in ſtatu naturali locum non habent (§. 35.): facili tamen negotio exinde colligere licet *ius inuiolabilitatis* legatorum, quod ſub ſe comprehendit *omnem a legibus ciuitatis liberationem*, adeoque *ab omni iurisdictione, a pœnis, a tributis*, et generatim *ab omnibus iuribus, quæ ex poteſtate ciuili conſequuntur.* E contrario quam quis facultatem in ſtatu naturali in alium habet, illam etiam exercere contra legatum Princeps is poteſt, cuius in Republica legatus commoratur. Quibus ex principiis quæſtiones dubias contro-

uer-

uerſasque de iuribus et obligationibus legatorum occurrentes diſceptari poſſe ego quidem reor. Secundum quæ *legatus in aliena Republica degens ad damnum alteri datum reparandum*, et *ad id, in quod obligatus perfecte eſt, præſtandum, etc. cogi poteſt.* Equidem animaduerto, quæri poſſe, cum GVNDLINGIO in *Iur. N. et G. cap. 36. §. 19.* per quem legatus cogendus ſit? Reſponſio in promtu eſt: *per imperantem.* Namque legati et imperantes, ad quos miſſi, iure naturæ vtuntur et ſunt vt homines ſinguli priuati (§. 41. et 42.); ſecundum ius naturale vero alter alterum ad id, in quod obligatus eſt, præſtandum, adeoque etiam ad debita ſoluenda cogere poteſt (§. 38.): quare imperans adigere legatum alterius Principis *ad debita in Republica contracta ſoluenda* poteſt. Qui rationem huius ſententiæ, quod penes imperantem hæc facultas ſit, repoſcit: ille ſumat hoc rationis, quod imperans accipiat a parentibus, qui ſe poteſtati imperantis ciuili ſubiecerunt (§. 34.), iura libertatis (§. 112.). Ex iure libertatis vero conſequitur ius cogendi eum, qui mihi perfecte obligatus eſt. Vnde ſi parentes ius libertatis haberent, nulla cauſa eſſet, cur non contra legatum adhibere poſſent remedia coactiua; nec adeo quoque vlla cauſa eſt, quæ im-

impediat imperantem, quo minus legatos, ad ipſum miſſos, ad obligationes iure naturæ validas præſtandas adigere queat. Sed non proceſſu iudiciali, quia in ſtatu libertatis nullum iudicium locum habet, verum merita cauſæ tantum conſideranda veniunt, ad quam præſtandam legatus ipſe deuinctum ſeſe profitetur. Porro ſecundum ius naturæ iniuria nemini eſt inferenda: quare *legatus non habet libertatem ea loquendi, quæ cum iniuria illius principis, ad quem miſſus, coniuncta.* Ex quo fundamento exempla, quæ PRESBEVTA et KVLPISIVS, de *iure legationis ſtatuum imperii*, proferunt diiudicari poſſunt: quod recte ad libertatem loquendi a legatis prouocatum ſit, cum iniuriam non fecerunt vlli, mandata ſua exponendo.

§. 161.

Ad Imperantem quemuis ius legationis ſpectat.

Quandoquidem legati Miniſtri imperantis ſunt (§. 159.): illud eſt conſentaneum, quod *ad imperantem quemuis ius legationis ſpectet* (§. 157.); quodque adeo illi, qui non ſunt imperantes ſibi tribuere hocce ius nequeant, contra quam ſentit GROTIVS de *Iur. Bell. et Pac. Libr. 2. cap. 18.* §. *2.* Nec exemplum, quod in GROTII *epiſtolis Part. 1. Epiſt. 364.* adducitur, nobis obſtat; illud ſcilicet

licet Cancellarii OXENSTIRNII, qui, quamuis ſubditus, accepit a ſtatibus Suecíæ poſt mortem GVSTAPHI poteſtatem mittendi legatos in cauſis et belli et pacis: hanc enim poteſtatem accepit, vt exerceret non iure proprio, ſed alieno, ſcil. Regni Sueciæ. *Neque habet aliquid imperans, quod præcipuum ius legationis præ aliis principibus poſtulet*, ob id, quod imperantes, quos legati repræſentant, omnes ſunt æquales (§. 36.), atque æqualibus iuribus vtuntur (§. 37.), et ex conſequenti *omne ius legationis æquale* ſit neceſſe eſt. Ex quo *controuerſia inter Electores et Principes imperii de iure legationis* agitata diiudicari poteſt: modo ante, quibus fundamentis ius legationis nitatur, eruatur, et exinde quæſtio præiudicialis, an ſtatus imperii ius legationis habeant, decidatur; in qua cauſa libri paulo ante laudati conſulendi ſunt.

§. 162.

Ad quos ius conſtituendi commiſſarios et deputat. pertineat.

Quibus Miniſtris negotia imperantis data ſunt, vt ea curent præcipue apud parentes, illi nomen *Commiſſariorum* pro eo, ac iam dixi, ſubire ſolent: illi vero, qui a parentibus ad imperantem, aut etiam æquales mittuntur negotiorum expedien-

diendorum cauſa, audiunt *Deputati.* Ex quibus notionibus facile mente comprehendere licet, quid ſit cauſæ, cur Imperator ad comitia imperii miniſtros, qui nomen Commiſſariorum gerunt, amandet, et cur, qui nomine omnium ſtatuum ad Imperatorem Reipublicæ cauſa veniunt, illi deputati appellentur. *Commiſſarius* ergo *ſine imperante*, et *Deputatus ſine parentibus non intelligitur*, inde neceſſario conficitur imperantium ius Commiſſarios conſtituendi, et parentium facultas deputatos ad Principem ſuum mittendi.

§. 163.

De Imperantis iure circa munera publica.

Aſſignandum imperanti eſt ius poſtulandi a parentibus ea, quæ ad conſeruationem Reipublicæ et ſalutem quidquam conferunt (§. 28. 32. 85). Quod ſi quis igitur non mediocre auxilium afferre poſſet Reipublicæ, quando Reipublicæ ſtudium ſuum dicaret, officiumque publicum gereret: non poſſumus non *imperanti ius* tribuere *omnes vias perſequendi*, quibus putat ad id perueniri poſſe, *vt eiusmodi ciuis munus publicum accipiat, acceptum non miſſum faciat*, aut *ſi artificio alios ſuperet, vt operam ſuam Reipublicæ dicet.*

§. 164.

Item circa dignitates.

Quæ iura ex officio publico proficiſcuntur, dignitatem illi, qui officium gerit, conciliant. Ac quoniam *imperans* facultatem officia publica aliis mandandi habet (§. 157.): *ordinare* quoque *dignitates in Republica, aliisque dignitates conferre poteſt.* Vti vero officiorum publicorum genera ſunt varia: ita quoque dignitatum nomina diuerſa; quæ quidem in *ciuiles* et *militares* diſpeſci queunt. *Illæ* ex officio, quod in negotiis ad ſtatum ciuitatis aut publicum aut priuatum ſpectantibus verſatur, proficiſcuntur: *hæ* ex officio, quod in negoiis ad ſtatum belli pertinentibus, occupatur, naſcuntur.

§. 165.

Item tributa parentibus imperandi: an etiam extraordinaria ſine conſenſu ordinum.

Iurium quicquid eſt, quæ aliquid attingunt ad rerumpublicarum rectiones, tradidimus imperanti ſoli (§. 28.). In reipublicæ vero adminiſtrationem impendendi pecunias imperanti pacis et belli tempore neceſſitas impoſita eſt. Pacis tempore Miniſtratoribus, ob negotiorum publicorum multitudinem in imperantis locum ſubſtituendis (§. 157), danda ſtipendia ſunt, ac præterea ſumtus infiniti faciendi

ciendi belli tempore in apparatum militum, armorum et munimentorum. Quæ pecunia cum cogi, niſi imperando ſubditis tributa, non poſſit: *imperanti* eſt *ius ſine conſenſu parentium collectandi*, vti vocant, ſubditos, *inque bona eorum cenſum*, qui hodie nomine Steurarum, ſiue quo alio vocabulo gaudet, *imponendi*. Niſi Reipublicæ conſtitutio ſingularis ita ſit fundata, vt conſenſus ſubditorum adhibendus ſit. *Quando* itaque *caſus* quidam *interuenit*, *qui extraordinarios ſumtus requirit in Reipublicæ* conſeruationem et ſalutem faciendos: tunc *imperans ſolus* in ea Republica, vbi lex dilucide id non vetat, *iure pollet extraordinariis inſolitisque tributis parentes onerandi*, eaque onera pro eo, ac res poſtulat, augendi, quamuis grauiora, quam quæ ferri poſſint, eſſe videantur. Nimis itaque generalis eſt COMINEI ſententia dans *l' hiſtoire de* LOVIS XI. *Livr. 2 chap. 18.* quæ vult, *que nul Roy, nul Prince au monde n' a droit de lever de tels impots (c' eſt a dire extraordinaires nouveaux et paſſagers) ſur leurs ſuiets, ſans leur conſentement.*

§. 166.

De Dominio et Facultate eminenti.

Neque vero ſolum imperans exigere a ſubditis tributa poteſt,

 verum

verum etiam eorum ipſa bona ex dominio eminenti vſibus publicis applicare. Quod penes imperantem, neceſsitate ipſa cogente, hoc dominium et re et nomine eminens ſit, vi cuius in eius poteſtate omnium bona, fortunæque omnes ſunt, illa res tunc demum patebit, quando, quod ſalutem publicam priuatæ imperans præferre iure quodam ſuo poſsit, demonſtrauerimus. Hic liceat mihi tantum finire liquidius *dominium eminens*, quod poſitum exiſtimo in iure imperantis ad conſeruationem et ſalutem Reipublicæ bona ſubditorum, ſi ita res cogit, adhibendi. Præter hoc dominium eminens datur etiam cognoſcere *facultatem eminentem*, vti vocat GROTIVS de *Iur. Bell. et Pac. Libr. 1. cap. 1. §. 6. quæ competit* (imperanti ſiue generatim Reipublicæ ſcilicet) *in partes et res partium boni communis cauſa*. Quæ verba clarius BARBEYRACIVS Gallice ita vertit: *Le Droit eminent eſt celui, qu' a tout le Corps ſur ſes membres et ſur ce qui leur appartient, autant que le demande le bien commun.* Secundum quam definitionem *ſub facultate eminenti dominium eminens comprehenditur*, dum *hoc* ſolum *in bona ſubditorum*, *illa* vero *etiam in perſonas* ſubditorum eſt, adeoque in omnia ea, quæ perſonæ inhærent *iura* et *naturalia*,

et

et *quaſita*, itidemque *obligationes*. Sic hæc facultas eminens habet *ſub ſe* et *patriam* et *dominicam* poteſtatem, porro *poteſtatem a promiſſis* et *iuramentis ſubditos ſoluendi*, etc. rationes in medium profert GROTIVS *Libr. 2. cap. 11. §. 8. et cap. 13. §. 20.* nec *non cap. 5. §. 7. et 28.* Quibus ex definitionibus clara hæc exiſtunt axiomata, quod

(1) *imperans ſolus, non Magiſtratus, facultate adeoque dominio eminenti polleat:* quod

(2) *hoc ius competat in perſonas et bona ſubditorum, adeoque non ſit Vaſallorum* etc.

(3) *conſeruatione et ſalute Reipublicæ neceſſario exigente obtineat.*

§. 167.

De Imperantis iure præferendi ſalutem publicam priuatæ.

Si *quando ſalus priuata pugnat cum ſalute publica*, ita quidem, vt vtriusque ſimul ratio haberi nequeat: *negligenda potius eſt ſalus priuata, quam publica*, eam ob cauſam, quia ſine vlla exceptione omne, quicquid ad ſalutem publicam ſpectat, facere imperans iure ſuo poteſt (§. 85.). Vbi autem ex duabus rebus vna eligenda, illam, cuius rationem ducimus, ei, quam non obſeruamus, *præferre* dicimur: proinde imperans præferre ſalutem publicam priuatæ

poteſt. Hinc illa regula vetuſtate iam contrita: *ſalus publica praeferenda ſaluti priuatae*, concipitur. Illa lex, quae omnibus aliis in republica praefertur, adeoque ſemper obſervanda eſt, nominatur rite ſuprema: habes ergo, *ſalus publica ſuprema lex eſto* (§. 86.).

§. 168.

Imperantis Dominium eminens et Facultas eminens.

Tametſi facultas dominiumque eminens, quod ſpectat ad imperantem, ex definitione explicatum vides (§. 166.): attamen vt ea, quam eodem loco dixi, via incedam, licitum mihi erit; quo res haec eo expeditior fiat. Facultas et dominium eminens tribuit ius perſonas et bona priuatorum, in quibus ſalus priuata conſiſtit, ad conſervationem et ſalutem publicam adhibendi (§. cit.). Competit autem imperanti ius ſalutem publicam anteponendi priuatae (§. 167): quare etiam *imperanti eſt facultas et dominium eminens tribuendum.* Praeterea quoque ex ea ratione, quod facultas et dominium eminens ad conſeruationem Reipublicae tendat (§. 166.), imperantis facultas et dominium eminens euinci poteſt (§. 28.).

§. 169.

De iure imperantis in ἀδέσποτα.

Non tantum vero in bona, quæ ſunt in priuatorum dominio, *imperans ius* quoddam *eminens habet*, ſed *etiam in ἀδέσποτα*, ſeu *ea, quæ non in dominio priuatorum* reperiuntur. Cum enim imperans habeat facultatem bonis priuatorum in Reipublicæ conſeruationem vtendi (§. 166. 168.): multo magis ea bona ad vſus publicos accommodandi, quæ in terris Reipublicæ ſita ſunt et in nullius priuati hominis dominio, ſibi ius imperans vindicare poteſt. Sub hoc iure in ἀδέσποτα comprehendo cum ill. BOEHMERO in *introductione ad ius publicum vniuerſale Lib. 2. cap. 10. ius venationum*, ius *vindicandi loca deſerta*, et *inculta*, *montes*, *ſiluasque*, *iura ſubterranea* et *mineralia*, *fluuiatica*, etc. Hinc imperantis ius *fodinarum ærearum*, *in Theſauros*, *flumina*, etc. conſequitur; indeque *imperans leges circa ἀδέσποτα* hæc *ferre poteſt* (§. 43.) ad easque ſeruandas parentes tenentur (§. 26. 47.).

§. 170.

De imperantis iure puniendi.

Ad leges ſeruandas cuiuscunque generis parentes conſtricti ſunt (§. 47.); ob eamque cauſam imperantem habere facultatem, et oportet et

opus eſt, mediis, quibus parentes ad legum obſeruationem adigi poſſint, vtendi (§. 114.). Medium autem aliud nullum ſuppetit, ſi ſeruare legem parentes detrectant, quam malo transgreſſores legis afficere. Quocirca tribuendum eſt imperanti ius malo violatores legis caſtigandi: malum autem ab imperante transgreſſoribus conſtitutum pœnæ nomen ſubit, hinc *imperantis ius pœnam irrogandi.*

§. 171.

De imperantis iure vitæ et necis in ſubditos.

Quandoquidem igitur imperans aliquid pœna ſancire poteſt (§. 170.), quam parentes Reipublicæ aut præſenti morte, aut multa, vinculis, verberibusque, etc. dependere videmus: expedita eſt *diſtinctio pœnarum in capitales* et *ciuiles: illis* vita per vim adimitur ei, qui legem delictis ſuis neglexit; *his* violationes legum alia animaduerſione, quam capitali vindicantur. Nihilque refert, vtrum hæc peccata ciuilia expianda mercede, an corporis cruciatibus luenda ſint, an auctores infamia notandi. Equidem iamiam imperantis ius pœnam iis, qui non paruerint, conſtituendi euicimus (§. 170.): reſidere tamen apud quosdam hic quidem ſcrupulus poteſt, *an delicta hominum morte*

morte multari ab imperante iure queant? Quæ res cuius animum in hac cauſa dubium facit, ille has ſubducat rationes. Facultatem quæuis remedia ad coercendos parentes, niſi obtemperant, adhibendi imperans habet (§. 114.). Proinde ſi ad manus eſt remedium aliud nullum deterrendi atque avocandi parentes ab delictis, niſi delinquentes ad necem ducantur: hiſce poteſt iuſta nex inferri; quam quidem imperantis facultatem *ius gladii* appellant. *Leges*, quibus ſancita pœna mortis eſt, audiunt *criminales*; ac quoniam imperans poteſt leges cuiusuis generis ferre (§. 43.) atque iubere delinquentem ad necem duci: *ius imperantis leges criminales ferendi* nullam patitur dubitationem. Illud, quod contra leges, in quibus pœna ſancita eſt, admittitur, vocatur *crimen* ſeu *delictum*. Ergo imperans eos, qui aliquid committunt, quod in nefario crimine atque in fraude capitali eſt ponendum, capitali animaduerſione puniendi habet facultatem, quam *Ius vitæ et necis* ICti vocare ſolent.

§. 172.

Item aggratiandi et Aſyla conſti-

Quoniam diſpenſare, vel potius ſolvere quem legibus, in quibus pœna capitis inſtituta, vſu barba-

tuendi tollendiue. ro compellatur *aggratiatio : imperans* criminum gratiam facere, ſeu vti vulgo loqui amant, *aggratiare poteſt* (§. 147.). Ac quoniam *aſyla* ſunt ea loca, in quibus ſupplices contra omnem vim et pœnam proteguntur, adeoque a pœna voluntate Principis, qui aſylum conſtituit aut permittit, liberantur : facile intelligitur, quod *ius aſylorum ad iura imperantium ſpectet* (§. eod.). Et ex conſequenti cum eiusmodi iura a Principe arbitratu ſuo tolli queant (§. 45.) : *aſyla* quoque *tollere*, et *in ea confugientes vi extrahere Principi* cuiusuis Reipublicæ *licet*, et debitis eos pœnis afficere. Inde quæſtio iudicanda, *num iure Papa tollere ius aſyli poſſit domui Legatorum Gallicorum*, quæ quæſtio valde agitata fuit : nec non, *num Principes monaſteriis et templis denegare ius aſyli queant.*

§. 173.

Imperantes in eos, qui non ſunt Parentes, et Parentes in Imperantes nullum habent ius puniendi. Pœnam imperans conſtituit vel ciuilem vel capitalem, ſi quis parens quidquam facinus admittit, quod legibus aut ciuilibus aut criminalibus contratendit (§. 170. et 171.). Ex quo *vbi nec eſt imperans nec parens, ibi nec vlla pœ-*

na proprie ſic dicta locum habet: ob eamque cauſam *imperans imperantem*, aut *eos, qui non ſunt parentes, punire non poteſt*, vel capitali, vel ciuili animaduerſione. Atque ex his rationibus *bellum punitiuum*, de quo in iure gentium agendum, *nullo pacto imperanti inferre licet: multo minus parentibus licitum imperantem morte punire.* Aliud dicendum eſt de quæſtione, *an illos, qui ex familia imperantis ſunt, vt puta coniugem, liberos aut cognatos, punire imperans queat?* Nam cum illi, qui ex familia ſunt imperantis, non habeant poteſtatem ciuilem, non ſunt imperantes (§. 23.), cumque in ſtatu ciuitatis ſeu Reipublicæ vivant, eos oportet eſſe parentes (§. 2.); parentes vero legum iudiciorumque pœnis et ciuilibus et capitalibus obligantur (§. 170. et 171.): ergo *imperans in eos, qui ſunt ex familia ſua, vindicare poteſt*, ſed nullo alio pacto, quam *ſi commiſſum aliquid contra leges poteſtatemque ciuilem* ſit, *cuius pœna conſtituta.* Proinde ſi crimina CAROLO, filio PHILIPPI II. Regis Hiſpaniarum, obiecta interque ea ſeditionis, vt referunt *les Oeuvres melées de Monſieur l' Abbé de* S. REAL, in parte ea, quæ inſcripta: *Don Carlos*, vera forent, tam ſeuere, vt factum eſt, vindicari potuiſſent.

§. 174.

§. 174.

Imperans in alterius Imperantis territorio nulla poteſtate ciuili pollet.

Territorium eſt terra, intra quam imperans poteſtatem ciuilem exercendam habet. Quæ quidem definitio indicat, quod *imperans extra territorium ſuum in alterius imperantis territorio nulla poteſtate ciuili, nec in minima re polleat.* Qui ſe hac conſequentia conuictum eſſe non ſentit, is in id conſiderationem intendat, quod ciuilis poteſtas et Maieſtas tantum vna ſit in Republica (§. III.); quod ſi vero peregrinus imperans in alterius imperantis territorio etiam poteſtatem ciuilem haberet, duæ eſſent poteſtates ciuiles, id quod abſurdum: ergo imperans in alterius territorio nullam habet poteſtatem ciuilem, et ex conſequenti extra territorium ſuum nulla iura, quæ ex poteſtate ciuili proficiſcuntur, *adeoque nullum ius puniendi eos, qui in comitatu Principis ſunt, ſi per alterius territorium iter facit.* Quibus ex rationibus cum *Regina Sueciæ* CHRISTINA iter per Galliam faceret, et cuidam ex ſua comitante caterua pœnam irrogare tentaret: Rex Galliæ recte hocce ius huic Reginæ negauit, atque ad ſe pertinere declarauit. Quæ ſi etiam adhuc dum regens Regina Sueciæ fuiſſet; tamen puniendi ius ſibi tribuere non potu-

potuiſſet ob id, quod Princeps in alterius territorio nulla iura, ex poteſtate ciuili fluentia, habet, pro eo ac modo oſtendi, ideoque nec imperans haberi poteſt (§. 23.), ſubditique adeo obligatio extra territorium ſuſpenſas habet rationes (§. 26.).

§. 175.

Qui eſt in territorio, etiam præſumendus de territorio.

Formula, *de territorio eſſe*, nec quidquam aliud denotatur, quam illius ſubiectum imperio eſſe, cuius in ditione commoramur. Qui autem degit ætatem ſuam in territorio, ille in terra viuit, in qua imperans cum imperio ſeu poteſtate ciuili eſt (§. 174.), i. e. in qua illi, qui poteſtati ciuili ſubiecti, reperiuntur (§. 26.): quapropter *qui ingreditur territorium, illum oportet eius poteſtati, qui in eo dominatur, ſubiicere ſeſe.* Cuius generis homines cum dicantur de territorio eſſe; conſequens eſt, vt illi *qui in territorio, cenſendi* ſint *de territorio eſſe.* Talis regio, in qua homines Principis poteſtati ciuili ſubiecti, i. e. ſubditi ſunt, vocatur in iure publico Imperii, *territorium clauſum:* quare *omne territorium clauſum præſumendum.* Quæ cum ita ſint: plane perſpicua nec dubia etiam ſecundum ius publicum vniuerſale, *regula,*

apud

apud AVSTRIACOS, SAXONES et HASSOS recepta, *quod ipſorum territorium ſit clauſum, quodque illi, qui ſunt in territorio, etiam de territorio habendi.*

§. 176.

Qui in alieno territorio, illi eiusdem territorii ſubditi legibusque et pœnis obnoxii.

Qui de territorio ſunt, illi poteſtati ciuili eius, qui dominus territorii, ſubiecti (§. 175.), i. e. ſubditi (§. 27.). Iam cum ſubditi legibus ſe tenere debeant (§. 39), atque ſi leges perfringant, pœna teneantur (§. 170.): conſequitur vt *illi, qui in alieno territorio vitam agunt, habendi ſubditi* (§. 175.), *deuinctique legibus territorii* ſint, atque *in actibus moralibus* et *ciuilibus omnibus*, v. g. in contractibus et in ſolemnitatibus teſtamentariis, etc. ſeſe accommodare ad leges illius territorii, in quo commorantur, non illius, in quo domicilium habent, debeant; quid? quod prauorum actuum pœnam habere ex legibus territorii, in quo commorantur, omnino cogantur.

§. 177.

De iure imperantis in Parentium ſocietates.

Actiones morales appellamus eas, quæ a voluntate proficiſcuntur. Sic autem ſocietates hominum comparatæ ſunt, vt duorum

vel

vel plurium conſenſu de eodem propoſito aſſequendo inſtituantur; qui conſenſus cum poſitus ſit in voluntatis duorum pluriumue copulatione: hinc efficio, quod volo, ſcil. quod *ſocietas omnis parentium ex eorundem voluntate*, ſeu, quod idem, ex eorundem *actione morali progignatur.* Quod genus actionum poteſtati imperantis fecimus obnoxium (§. 47.): et hæc eſt *ratio, cur imperans ius habeat in parentium ſocietates.*

§. 178.

Item ſocietates in Rep. inſtituendi, interdicendi et moderandi, iisdem iura et priuilegia concedendi.

Quæ ſocietates ad reipublicæ ſalutem conferunt quidquam, eas inſtituere atque etiam parentes ad illas ineundas obligare imperanti licitum eſt (§. 85. et 32.). Quod ſi e contrario ſocietates reipublicæ ſaluti aduerſæ inueniuntur: imperans parentibus interdicere, ne eas ineant, poteſt. Præterea cum ad imperantis arbitrium iudiciumque ſumma omnium rerum in reipublicæ gubernatione redeat (§. 28.): *ſumma* quoque *rerum praeſſe in ſocietatum rectione imperans poteſt.* Hinc ſocietas Belgica ad Indos orientales mercaturam exercens (*Oſt-Indiſche Compagnie in Holland*) ſub ſummo Reipublicæ moderadera-

deramine eſt: et quæ præterea iura belli et pacis fœderumque in India orientali exercenda habet, ex conceſſione Reipublicæ eſt, anno 1602. d. 20. Martii data: ex qua conceſſione Belgice quoque *eine octroyrte Compagnie* vocatur. Eius generis ſocietates, earumque iura indigere conceſſionis Reipublicæ, vti omnes reliquæ, hoc cauſæ ſumo, quod imperantis ſit inſtituere aut interdicere ſocietates (h. §.). Quando itaque nulla permiſſio ab imperante fit: hoc ius inſtituendi ſocietates penes parentes eſſe nequit, nec adeo iura ſocietatis a voluntate parentium, ſed imperantis proficiſci queunt. Quæ enim ſunt iura imperantis, ea non poſſunt ſibi parentes tribuere, adeoque *ſi quædam iura aut ſinguli parentes, aut ſocietates habent, ex conceſſione ſunt imperantis.*

§. 179.

Item rebus ſocietatis conſulendi, exteros arcendi et ſubditos præferendi.

Quæ maxime Reipublicæ rationibus, i. e. cum ſibi tum etiam ſubditis (§. 2.), imperans putet conducere, ea agere optimo iure poteſt (§. 85.). Ex quo fundamento *ius* fasque *eſt a ſocietatibus proficuis excludere peregrinos*, quo per eas imperans potius ſubditis ſuis conſulat. Porro

ro *ſi ex ſocietate aliquid in rem ſuam convertit imperans, ratione ſtatus ita poſtulante iſtud* quoque *nihil habet iniquitatis.* Vides igitur quid ſit cauſæ, cur rex Hiſpaniæ merces, quæ ex India apportantur, non ſtatim diſtribuere ſoleat, et ſi illis opus habeat, necesſitatibus ſuis conſulat. Iuſte etiam poſſet exteros mercatores ab hac maxime proficua ſocietate, quæ ad Indos Occidentales mercaturam ſub eius moderamine exercet, arcere, et ſibi ſubiectos, qui quidquam pecuniæ in hanc ſocietatem conferre poſſent, in eam ineundam obligare (§. 178.). Quæ de ſocietatibus mercatoriis dixi quoniam quotidiana intelligentia et communi peruulgatoque etiam in aliis Rebuspublicis uſu comprehendimus: non neceſſe eſſe exiſtimo, vt plura exempla et nomina ſocietatum mercatoriarum tam maiorum quam minorum, ad ſumma imperantium iura pertinentium, coaceruem. Præcipue cum de ſocietatibus mercatoriis, deque iure imperantium in eas materiam ſcientisſime complexus ſit illuſtris et ſtudiis et natalibus IOANNES FRIDERICVS L. B. BACHOFF ab ECHT *in Diſſertatione de eo, quod iuſtum eſt circa commercia inter gentes, ac præcipue de origine et iuſtitia ſocietatum iſtarum mercatoriarum maiorum, quæ Octroyrte*

Compagnien appellari ſolent. Certe cum cuiuis imperanti liceat inſtituere ſocietates (§. 178), ſub illis etiam mercatoriæ comprehenduntur: quapropter iure potuit CAESAREA MAIESTAS ſocietatem mercatoriam oſtendæ 1718. inſtituére, et eidem anno 1723. conceſſionem gratioſam (Octroy) dare.

§. 180.

Diuerſa tamen ratio iurium Imperantis, qua imperantis et qua membri ſocietatis.

Quandoquidem ſocietates ob id, quod conſenſu inſtituantur, voluntariæ ſunt (§. 177.): res loquitur ipſa, quod *is, qui animum ſuum oſtendere poteſt, ſiue ſit imperans ſiue parens, poſſit membrum fieri ſocietatis in Republica. Plura* tamen *iura, quam quiuis alius, imperans, ex ea parte, quatenus,* vt *membrum ſocietatis* conſideratur, *poſtulare nequit.* Quæ propoſitio vſui eſt in ſocietate Eccleſiaſtica, noſcendisque iuribus imperantis, quando vt membrum Eccleſiæ conſiderandus eſt. Longe alia ratio eſt iurium, quando imperans, vt imperans, reſpiciendus: tunc enim, quando videt, ad Reipublicæ ſalutem multum conferre, ſi ſocietas inſtituatur, hiſce legibus aut conditionibus ordinetur aut diſſoluatur, ad leges ſocietatis et ad voluntatem imperantis,

tam

tam in coeundo cum aliis in ſocietatem, quam in diſſoluenda ea, ſpectandum (§. 85. et 178.).

§. 181.

De imperantis iure in vniuerſitates.

De *ſocietatibus aequalibus* et *inaequalibus* ſuperius diximus (§. 31.), ad *has* quidem Rempublicam retulimus (§. 33.), inter *illas* vero connumerari *collegia* ſeu *vniuerſitates* queunt: ob id, quod vniuerſitas hic nihil ſignat aliud, quam ſocietatem aequalem, in Republica. Ac quoniam imperans eſt omnium moderator ſocietatum (§. 178.): *non denegari poteſt imperanti in omnes vniuerſitates ſummum regimen*, quod in adminiſtratione omnium ad vniuerſitatem pertinentium, nomine imperantis gerenda conſiſtit, conſtituit tamen hanc *differentiam inter ſocietatem et vniuerſitatem* vel collegium *auctor ſpeciminis demonſtratiorum politicarum et cet.* quod in ſocietate ſors collata ſingulorum eſt, in vniuerſitate totius.

§. 182.

Idem eſt, quod in ſocietates.

Ex eo, quod vniuerſitates ſpecies ſocietatum ſint (§. 181.), conſequitur, quod, quae iura imperanti in ſocietates generatim tribuenda, illa etiam in vniuerſitatibus locum inueniant. Qua

ex cauſa *vniuerſitates omnes in Republica* non ſolum *ſummæ imperantis rectioni ſubſunt*, verum etiam *imperans eas inſtituere*, inſtitutas, ſi e Republica eſſe videtur, *tollere*, aut *illis leges ſcribere poteſt*, ſecundum quas adminiſtrationis iuſta ratio ducenda (§. 180. et 181.).

§. 183.

De iure imperantis circa ſacra. *Inter ſocietates æquales* referenda quoque eſt *eccleſia*: quippe quæ, in nulla alia re, quam in ſocietate æquali, inter docentes ac diſcentes cultus diuini gratia eſt inita. Secundum quam definitionem cum eccleſia ſit ſocietas: non poteſt non euinci *imperantis ius in eccleſiam*, quod *circa ſacra* vocari amat (§. 177.).

§. 184.

Secernenda eccleſia interna ab externa. Equidem animaduerto, quod *ſecernenda Eccleſia interna ab externa* ſit ex eo, quod cultus diuinus alius internus, alius externus cognoſcere detur. Vtrum ad vtramque Eccleſiam, aut ad externam duntaxat ius imperantis pertineat, iſtud mihi iam perueſtigandum ſumo.

§. 185.

De religione interna et externa.

Qui illa, quæ ad cultum Dei aut internum aut externum pertinent, diligenter obſeruat, in eo *religionis* aut internæ aut externæ *ſanctitas* exiſtit. *Cultum internum* pono in animi erga Deum deuotione: *externum* in actibus corporis, quibus animi deuotio denotatur. Vnde *Eccleſia* interna et externa nomen accipit: *interna* conſtat ex hominum complexione, qui ex animo Deum colunt; in *externa* continentur illi, qui eidem exercitio ſacrorum externorum dant animum. Ex hac cultus varietate etiam *differentiam religionis internæ* et *externæ* ortam eſſe ex ipſa, quam in *hoc* §. formauimus, religionis definitione pateſcit.

§. 186.

Imperantis nulla poteſtas in eccleſiam et religionem internam: inde religionum tolerantia.

Devotionis vera atque propria *ſignificatio* eſt, quod *ex piis cogitationibus* dignoſcatur. *Hominum* autem *cogitationes habere cognitas non poſſumus*, et ex conſequenti de iis, vtrum pravæ an bonæ ſint, iudicium ferri ab imperante nequit. Ac quoniam Eccleſia et Religio interna cultu interno (§. 185.), hoc eſt, devotione (§. eod.), ſiue, quod idem, piis cogitationibus (§. hoc)

 niti-

nititur: *conſequens* eſt, *vt Eccleſia et Religio interna iudicio et poteſtati imperantis non ſubſit; ne ſubeſſe quidem per rerum naturam poſſit*, ob id, quod in ipſius cogitantis poteſtate non ſit, vt, ſi veritatem rei diſpiciat, eam a veritate auerſam ad Principis libidinem iudicet. Quare *nemo ſubditus imperanti ſe ſubiicere poteſt, quod ad Religionem internam*. Quoniam itaque imperantis nec eſt, nec eſſe poteſt ius in alterius religionem internam: ſequitur, vt *ſubditorum Religionem internam permittere*, i. e. *tolerare debeat*. Inde *iuſtitia tolerantiæ hominum diuerſæ Religionis in Republica*. De qua re ſi latiorem tractationem legere cupis, videſis LOCKIVM *de tolerantia*. In cauſa tolerantiæ generatim hæc formula conſtituenda eſt, quod *illa religio, quæ non eſt contra conſeruationem et ſalutem Reipublicæ, ab imperante externe tolerari in Republica queat* (§. 85.).

§. 187.

Imperantis iura circa ſacra afficiunt modo eccleſiam et religionem externam.

Imperantis ius in eccleſiam (§. 183.) aſſeruimus, eiusdemque ius in Eccleſiam et Religionem internam (§. *præced.*) negauimus. Ac cum præter internam eccleſiam etiam externa reperiatur (§. 184.): ex

ex eo effici cogique poſſe puto, *ius imperantis tantum locum habere in Eccleſiam Religionemque externam*. Quod cum *nomen iuris circa ſacra habeat* (§. 183.) : *ſacra hic* nihil aliud *ſignare* queunt, quam *cultum Dei* externum, i. e. *talem, qui ſignis corporis explicatur*.

§. 188.

Imperanti nullum ius eſt in conſcientias Parentium.

Quoniam conſcientia eſt poſita in cogitatione de bonitate aut prauitate actionum noſtrarum moralium : hæc concluſio ex (§. 186.) conficitur, quod *penes imperantem non poſſit eſſe imperium in conſcientias parentium*. Non poteſt non male ratiocinari HOVTVINVS in *Politica contracta generali*, qui ius in conſcientias imperanti tribuit ex abſoluta populi ſubiectione, cum tamen in eo ſubiicere ſeſe populus imperanti non poſſit (§. 186.). Quod argumentum quoque allatum inuenio in libro a BARBETRACIO e latino ſermone in Gallicum verſo, qui inſcriptus eſt : *Du Pouvoir des Souverains et de la liberté de conſcience, pag. 335. et ſeq.* in editione illuſtrisſimis S. R. I. Comitibus de Hohenlohe Langenburg, LVDOVICO et CHRISTIANO dicata. Confer. *Biblioth. vniuerſ. Tom. 19. pag. 384. et ſeq.*

§. 189

Eccleſia non eſt Reſpub. ſeu ſtatus, ſed poteſtati ciuili ſubiecta ac in Rep. eſt.

Cum coeuntes in ſocietatem æqualem habeantur æquales, ob æqualia iura (§. 31.): conſequens eſt, vt *in ſocietatibus æqualibus nemo vt imperans, nemo vt parens habendus.* Parens enim ab imperante intuitu iurium plane diuerſus eſt, adeoque inæqualis: quippe *hic* ſummam habet ciuilem poteſtatem (§. 23.); *ille* obligationibus poteſtati ciuili mutuo reſpondentibus tenetur (§. 27.). Ob eamque cauſam, quod Eccleſia eſt ſocietas æqualis (§. 183.), etiam *in Eccleſia nemo poteſt* ex ea parte, *quatenus* eſt *membrum Eccleſiæ, vt imperans conſiderari*, et ex conſequenti *Eccleſia* quoque *vt Reſpublica peculiaris concipi nequit* (§. 2. 26.). Quare vehementer errant, qui Eccleſiam eſſe peculiarem et præcipuam Rempublicam autumant, eamque a rationibus Reipublicæ ſeparant, atque Monarchiam Eccleſiaſticam ſibi fingunt. Potius ex iis, quas ſuppeditaui, rationibus comprehendi poteſt, quod *Eccleſiam externam*, quando ex complexione parentium conſtat, æque ac ſingulos parentes, qui ſine ſtatu Reipublicæ non intelliguntur (§. 26.), in Republica, i. e. *imperantis poteſtati ciuili ſubiectam eſſe oporteat*

(§. 177.

(§. 177. 187. 175.). Atque ita *poteſtas ſecularis*, vt aiunt, *ſub poteſtate Eccleſiaſtica non eſt* (§. 94.).

§. 190.

Nullum ius Imperii a poteſtate ciuili priuatiue ſeparari poteſt ideoque nec ius circa ſacra.

Vindicauimus imperanti ea, quæ vocant, iura circa ſacra (§. 183. 187.), quæ adeo ex numero eorum iurium ſunt, ex quibus imperantis poteſtas ciuilis conſtat (§. 25.). Sine qua poteſtate ciuili, i. e. complexione omnium iurium (§. eod.), cum imperans non intelligatur (§. 23.): non poteſt etiam quidquam iurium, ſi quis imperans et eſſe et vocari velit, a poteſtate ciuili ſeparari. Quibus rebus adductus hoc fieri nego poſſe, vt alii concedantur priuatiue quædam imperii iura: adeoque et *ius circa ſacra aliis largiendi poteſtas imperanti non eſt, multo minus ius hoc ſua natura a poteſtate ciuili eſt ſeparatum*; ſiquidem id ex poteſtate fluere atque imperanti competere liquidius demonſtrauimus (§. 183.). Ex eodem fundamento VVENDELERVS in Themate Politico *de ſumma poteſtate circa religionem*, n. 7. defendit, quod ſi iure, quod circa Religionem eſt, deſtituatur Princeps, amittat Maieſtatem ſeu ſummam poteſtatem, quippe quæ ex eius ſententia, *eſt totum aliquod aggrega-*

gregatum, pluribus ſui iuribus, tanquam eſſentialibus partibus conſtans, quorum vno ablato non amplius totum quid, imo ne Maieſtas quidem ſit.

§. 191.

An alienationes iurium Imperii, quouis modo factæ, ſint invalidæ?

Si huius iuris natura non fert, vt iſtud alii, quam qui poteſtatem ciuilem in Republica habet, concedatur: *ius circa ſacra alienari non poteſt? Alienatio* enim eſt conceſſio ſiue translatio noſtri iuris in alium. Quocirca huius generis alienationes infirmo, quid? quod nullo, nituntur fundamento. Secundum quam ſententiam HENRICVS V. Imperator, dum de inueſtitura per annulum et baculum ceſſit, et Papæ in Wormatienſi conuentu 1122. conceſſit, *non potuit* eam *ab imperio alienare*, et *Papæ valide concedere*: quia ſub ea inueſtitura regalia ſeu iura circa ſacra comprehenduntur, vti ex tabula huius ceſſionis, quam BARONIVS *Tom. 12. Annal. ad dictum annum* §. *12. et 14. pag. 149. et 150.* ex Autographo Vaticani Codicis inſeruit, pateſcit. Quæ iura circa ſacra inſeparabilia eſſe et a Principe nemini pacto vllo tradi poſſe, §. *ſuperiori* euicimus. Ac quoniam itidem *per Concordata*, vti vocant, *Nationis Germanicæ iura quædam ſacrorum*

in

in Papam ſunt translata, prout hæc translatio apud GOLDASTVM *in Conſt. Imper. Tom. 1. pag. 207.* reperiunda oſtendit: *inualida* æque *hac translatio* iurium, ac ceſſio inueſtituræ per annulum et baculum, eſt pronuncianda. Sunt et alia argumenta, quæ has tranſactiones infirmas reddunt, quæ habet inter alios SCHILTERVS de *libertate Eccleſiarum Germaniæ, cap. 5. §. 11. etc. pag. 365. etc.*

§. 192.

Sub poteſtate ciuili continetur ius ordinationes et ius Eccleſiaſticum conſtituendi.

Ordinationes Eccleſiaſticæ (Kirchen-Ordnungen) congruunt cum ſignificatu legum, quæ ſtarum Eccleſiæ reſpiciunt. Eccleſia in ſtatu ciuitatis eſt in Republica (§. 189.), in qua penes imperantem ius legum ferendarum (§. 43.): quare in aperto eſt ad cognoſcendum *imperantis ius ordinationes Eccleſiaſticas praſcribendi.* Quæ collectæ cum conſtituant ius Eccleſiaſticum: non poteſt non ad Principem facultas pertinere *ius Eccleſiaſticum conſtituendi.*

§. 193.

Ad Imperantem iurisdictio Ec-

Ob ius legum ferendarum imperans ius parentibus dicit (§. 151.). Qui cum iuſte et legitime dicere

legem

cleſiaſtica pertinet.

legem Eccleſiæ poſſit (§. 192.): *imperanti iuriſdictio eccleſiaſtica competit.*

§. 194.

Item facultas reformandi ſacra. Nam adiaphora in cultu externo ab arbitrio Principis pendeant.

Reformare, vera atque propria ſignificatione, eſt aliquid immutare de inſtitutis priorum, et eam partem, quæ corrupta eſt, corrigere. *Reformare* itaque *ſacra* eſt cultum Dei externum in melius mutare (§. 187.). Si quis verbum ſacrorum, quod, quando de Reformatione loquimur, dubiæ eſt ſignificationis, in eam partem interpretari velit, vt ſignet etiam cultum Dei internum: hoc quoque illi permittere poſſum. Ac ſi quis tunc mihi hanc quæſtionem ponat: num imperans facultatem habeat reformandi ſacra, in vtroque ſignificatu ſumta? annuo ac quidem probo primum, quod ad cultum externum. Reformatio generatim eſt, vt finiuimus hic, mutatio in melius; imperans Rempublicam, et ex conſequenti Eccleſiam, quæ in Republica eſt, externam (§. 189.) in meliorem vertere ſtatum poteſt (§. 85.): ergo *imperanti licitum* eſſe dico *in ea, quam gubernat, Republica, Eccleſiam externam*, ſiue cultum exter-

ternum (§. 184.), id eſt enim ſacra ſtrictius ſumta (§. 187.), *reformare*. Quæ mea ſententia non pugnat contra illam GVNDLINGII in *I. N. et G. cap. 36.* §. *46.*, qui negat adiaphora in cultu externo ab arbitrio Principis in ciuitate pendere. Potius hæc GVNDLINGII ſententia ex meis principiis ita confirmari poteſt. Imperans, vt imperans, nihil niſi quod ad conſeruationem et ſalutem Reipublicæ ſpectat, agere poteſt (§. 25. et 38.). Quapropter cum natura adiaphororum ita ſit comparata, vt eorum mutatio nec quidquam faciat ad conſeruationem Reipublicæ et ſalutem: *adiaphora mutare imperans, vt imperans, non poteſt.*

§. 195.

An Imperans habeat ius reformandi ſacra, etiam quod ad dogmata ſi ſaluti publicæ aduerſa?

Quod ſecundo loco *penes imperantem* quoque *ius* ſit *ſacra etiam* ex ea parte, *quatenus cultum Dei internum ſpectant, reformandi*, huic ſententiæ firmandæ has rationes ſuggero easque conceſſas. Imperantis poteſtati actus parentium, a voluntate profecti, ſubſunt (§. 47.). *Voluntas* eſt propenſio ad bonum, nata ex eius notione animo impreſſa. *Quales* itaque *notiones* antecedentes in animis quaſi conſignantur, *tales actiones voluntatis* conſe-

ſequuntur. Quod *ſi* ergo corrigenda, i. e. *reformanda* (§. 194.), *voluntas ob Reipublicæ ſalutem*, corrigenda ſeu *reformandæ* etiam ſunt in animis *notiones*. Iam cum imperans iuſte dirigere (§. 47.), idque in melius, i. e. reformare, queat (§. 194.) actiones a voluntate profectas: poteſt etiam legitime notiones reformare. *Notiones* vero *earum rerum, quæ ad cultum diuinum reſpiciunt*, *dogmata Religionis* ſeu ſacra interna ſpectant (§. 194.). Quare imperans habet facultatem reformandi dogmata Religionis ac ſacra ex ea parte, quatenus etiam ad Religionem internam pertinent. Caue putes hunc §. cum §. 186. pugnare: nam ibidem nego, quod Religio interna ab arbitrio Principis pendeat, ita, vt quamlibet Religionem introducat; ibidemque aſſero, eum prohibere non poſſe illam Religionem, quæ non pugnat contra ſalutem publicam, ſiquidem nihil niſi tale quid prohibere imperans poteſt. Longe aliter ſe habet *ius reformandi* dogmata, quod *Principi in tantum concedendum, in quantum dogmata ſaluti publicæ aduerſantur* (§. 87.), melioraque ſurrogantur (§. 194. Ob quas quidem rationes iure potuit *Reformatio Religionis in imperio* et aliis finitimis, non quod ad ritus ſolum, verum etiam quod ad dogmata Religio-

gionis, inſtitui. Ob easdem cauſas ius faſque fuit Regibus *Galliæ* prohibere illam doctrinam, quod Princeps, ſi contraſentiat in Religione, impune occidi queat. Cuius doctrinæ funeſta exempla Gallia in duobus regibus vidit. Inde recte quoque hodie regnans Rex Galliæ ſibi reſeruauit cognitionem controuerſiarum, quæ exortæ ſunt occaſione eius, quinam ſint limites auctoritatis Eccleſiaſticæ et poteſtatis ſecularis, *Vid. l' Arrêt du 10. Mars 1731.* Quo in argumento in eandem, quam foueo, ſententiam dicit HOBBESIVS *de Homine cap. 13. §. 8.* et in *præfatione de Ciue*, vt et in *Leviathan pluribus capitibus.*

§. 196.

Quanquam imperantis ſit reformare ſacra in vtraque, quam habent, ſignificatione (§. 194. 195.): tamen accidit ſæpius, vt imperans, quo conuerſio ſtatus Eccleſiaſtici tutior ſit, eos, qui rerum Eccleſiaſticarum gnari ſunt, in conſilium adhibeat congregetque. Si quis eius generis viros congregat et ſtatus Eccleſiæ corrigendi gratia aut ordinandi conuocat, ille hominum cœtus audit *concilium* et

Quicquid iuris circa Synodos occurrit ab Imperantis ſumma ciuili poteſtate pendet. Imperantis ius circa Synodos, quo eas conuocat, indicit, imperat, permittit, ne-

gat, praeſidet etc. et *Synodus.* Quales ſynodos principem iure ſuo conuocare poſſe easque dirigere, exinde manifeſtum eſt, quod in eas adhibentur plures eo conſilio, quo Eccleſiæ ſtatus corrigatur (vi def.). Quem cum imperanti licitum ſit hoc pacto mutare (§ 194. et 195.), et præterea ſumma directio omnium rerum in Republica ad eum pertineat (§. 28.): *ſynodos* ſeu *concilia conuocare, easque dirigere iure ſuo poteſt imperans.* Quod generatim quicquid iuris circa ſynodos occurrat, Principi tribuendum ſit, his argumentis HOVTVYN in *Polit. contr. general. pag. m. 205. et 206.* vtitur ad probandum, quod effectus efficaces ſynodo tribui non poſſint ſine cogendi poteſtate, quæ quoniam nulla, niſi penes ſummam poteſtatem eſt (§. 31): ipſa ſynodus a ſumma poteſtate pendet, atque ita imperans quoque prohibere ſynodos poteſt. Inde porro argumentatur HOVTVYN: prohibere qui Synodos poteſt, eidem et *iure ſuo conuocare, indicare, imperare, permittere, negare*, et quod ſimile ius eſt, vt puta, *præſidere.* Hinc temporibus antiquioribus præcipue Carolingicis hæc iura pluraque præterea principes intuitu Cleri et Synodorum, imprimis CAROLVS MAGNVS iuſte exercuerunt. De quo MONACHVS SANGALLENSIS *de rebus Caroli Lib. 1.*

cap.

cap. 4. et 5. mentionem facit. Etiam SIGISMVNDVS Imperator ius ſynodos conuocandi dirigendique ſibi vindicauit, vti patet ex edicto imperatorio, quo inuitatio ad Concilium Conſtantienſe continetur, quod HARDTIVS *in Act. Concil. Conſtant. Tom. 6. P. 1. pag. 5.* in medium protulit.

§. 197.

Imperans eſt ſummus in Republica Epiſcopus.

Si *nomine ſummi Epiſcopi* eſt ille, ad quem iure proprio iura ſacrorum pertinent: non poteſt non *imperans* quilibet *in Republica ſummus Epiſcopus* nuncupari. Iura ſacrorum enim exercenda habet (§. 183. 194. et 195.). Quæ autem imperans ob poteſtatem ciuilem tenet iura, illa penes ipſum iure proprio (§. 23. et 92.): atque ita quoque imperans iura ſacrorum, quæ ex poteſtate ciuili conſequuntur (§. 190.), vti poteſt item ciuilem ipſam (§. 23.), iure proprio habeat neceſſe eſt, i. e. imperantem oportet ſummum in Republica epiſcopum eſſe.

§. 198.

Imperantis facultas in cauſis Eccleſiaſticis diſpenſandi ac pœnam Ec-

Ex natura iuris legum ferendarum naſcitur ius ſoluendi quendam legibus, ſeu diſpenſandi (§ 147.), nec non ius pœnam edicendi, ſi quid commiſſum eſt legibus con-

eleſiaſticam irrogandi. trarium (§. 170.). Quocirca nihil impedit, quo minus *imperans facultatem habeat in cauſis eccleſiaſticis diſpenſandi*, atque etiam *pœnam irrogandi*, ſi in leges eccleſiaſticas parentes defecerint (§. 192.).

§. 199.

Num Imperanti ſoli ius Lyturgicum ſanciendi ſit? Quæ Dei cultu pio externo continentur, illa per ceremonias religionesque in Deum euoluuntur. Iam cum imperantis ius in cultum Dei externum ſatis exploratum ſit et cognitum (§ 187.): ſine vlla dubitatione defendere quoque *ius imperantis in ceremonias* licet. Quod quidem ius in ceremonias, ſiue ritus, *ius lyturgicum* compellari amant: quapropter adiudicandum eſt ius lyturgicum imperanti, quod adeo in iure diſponendi ritus conſiſtit. Ob hoc ius ordinandi ritus, *mutare* quoque *Lyturgiam, aliamque introducere Principi ius* fasque eſt.

§. 200.

Imperans, qua imperans, non poteſt alienare poteſtatem ciui- Ex eo, quod imperans, qua imperans, nihil habeat, niſi poteſtatem ciuilem (§. 23.), quæ iura gubernandi Rempublicam complectitur (§. 25.): nec etiam quidquam

quam aliud ſibi imperans, quam iura gubernandi Rempublicam vindicare poteſt. Proinde, *quæ non incurrunt in Reipublicæ rectionem, ea inter imperantis iura non ſunt* quoque *referenda.* At vero ſi imperans ciuilem poteſtatem ſuam in peregrinum transferre, ſiue, quod idem, alienare cogitat: hæcce actio ita eſt comparata, vt facultas Rempublicam gubernandi, ipſi tradita, intereat, atque ita nullo pacto ad Reipublicæ adminiſtrationem ſpectet. Quare *imperans poteſtatem ciuilem*, adeoqne *iura hinc fluentia nec vllo pacto in alium transferre poteſt*, et ex conſequenti *nec permutare, nec vendere, nec donare, nec peregrino renunciare, nec adoptione aut teſtatione aliquem conſtituere ſucceſſorem*, adeoque *nec exhæredare poteſt:* eiusmodi enim actus ſunt facta poteſtatem ciuilem transferentia. Generatim autem *ſucceſſio imperii non eſt ſub iure imperii*, vt exprimit GROTIVS de *I. B. et P. L. 2. cap. 7. §. 27.* Hæc quæ dixi, belle illuſtrat exemplum, quod de Regno Neapolitano affert MARIANO *Hiſtor. Libr. 19. cap. 20.*

lem in gratiam peregrini, nec renunciare, nec alio modo in alium transferre.

§. 201.

Velut quodam nexu indiſſolubili iura imperantis parentiumque

Niſi eam iure belli occu-

panit, aut L. F. hoc permittat, aut omnes, quorum intereſt, conſentiant. An alienatio aut ſubiectio Regis imputari poſſit ad iuris Regii commiſſionem?

officia ſunt iuncta (§. 26.): quare alienando iura imperantis, pariter vnaque alienentur parentium obligationes oportet. Iam vero illud fieri poſſe ab imperante negavimus (§. 200.): ergo *nec imperanti alienare parentium obligationes neque eos ipſos* (§. 27.) *licitum*, eſt. Ac cum illa compago, quæ iuribus imperantis et parentium obligationibus continetur, conſtituat Rempublicam (§. 2.): *imperans Rempublicam alii conferre nequit*, adeoque *nec vendere*, aut *quouis alio modo*, qua alias iura in alium transferuntur, *Rempublicam a ſe, in gratiam alterius, qui nullum ius ſuccedendi habet, dimittere, aut ſeſe ſubiicere poteſt.* Sed *ſi Princeps conatum alienandi habeat, aut ſi ſe alii ſubmittat, quæritur an imperio ſpoliari queat?* Supra aſſeruimus, quod eo in caſu, quando Princeps aliquid agit, quod illi lege imperii non conceſſum, actus nullum effectum habeat (§. 63.). Quare etiam eiusmodi *alienatio et ſubiectio Principis pro nulla tantum eſt habenda.* Hinc imputari non poteſt ad iuris regii commiſſionem, vt vult BARCLAIVS *L. 4. c. 16. contr. Monarchom.:* quamvis imputatum in commiſſio-

miſſionem fuerit IOHANNI SCOTICO, et CAROLO LOTHARINGO, vt refert BVCHANANVS *Hiſt. Scot. Lib. 8. cap. 95.* et MEZERAT *Hiſt. Gall. Regn. Hug. cap.* *Si quis iure belli occupauit Rempublicam*, eo caſu, vt res occupata, conſideranda Reſpublica eſt. Qualem rem cum liceat modis, ad transferenda iura ex iure naturæ habilibus, transferre in alium ſeu alienare: etiam tunc *eius generis Rempublicam, vti collibitum eſt, alienare, permutare*, etc. *Princeps poteſt.* Inde *iuſtitia ceſſionis Siciliæ* domui Sabaudicæ per Tractatus Traiectenſes, nec non *permutationis Siciliæ pro Sardinia* fœdere quadruplici 1718. factæ, et pace Viennenſi 1725. confirmatæ. Eius generis *alienationes fieri* quoque *poſſunt*, *ſi* aut *lex hanc facultatem Principi tradit*, aut *conſenſus eorum accedit, quorum intereſt*; quales ſunt illi, qui ius ſuccedendi habent, nec non ordines. Quoniam enim, præter eos, nemo quidquam, poſtulare iuris in Republica poteſt: nemo quoque ius impediendi habet, quo minus tunc alienatio fiat, ſi illi, quorum intereſt, conſentiunt.

§. 202.

Maieſtas eſt incommunicabilis.

Maieſtatem vnum et idem diximus eſſe atque poteſtatem ciuilem (§. 88.). Quam cum alii im-

pertire communicareque cum alio non vllus imperans queat (§. 200.): *nec* etiam *vllus Princeps Maieſtatem ſuam ad alium transferre poteſt, aut cum illo participare.* Hinc quamuis dentur *legati*, qui repræſentent imperantem: tamen *non habent Maieſtatem. Nec obeſt* huic ſententiæ, quod duo in Republica poſſint habere Maieſtatem. Inter alia exempla illud eſt par fratrum IOAN ALEXIEVVITZ et PETRVS ALEXIEVVITZ, qui Moſcoviæ imperium communiter poſſederunt, adeoque et Maieſtatem (§. 88.). Non enim a quoquam impetratum habere volo, vt ſtatuat, quod duo aut plures non poſſint communiter habere Maieſtatem, quæ *Dyarchia* vocatur: ſed tantum quod quis non poſſit ita partiipcare cum alio Maieſtatem, vt horum vterque per ſe Maieſtate, pro poteſtate ciuili ſumta, polleat. Inde colligendum, quod *in* condominatu aut *Dyarchia* illi, *qui communem habent poteſtatem ciuilem, non faciant collegium, nec vnam habeant omnes poteſtatem, ſed quod ſinguli poteſtatis partem pro indiuiſo poſſideant, ideoque* in Dyarchia *vtriusque conſenſus adeſſe debeat*, et in condominatu, *vbi plures ſunt, maior pars non prævaleat.* Inde decidi poſſunt quæſtiones egregiæ, quas habet SPEIDELIVS, voce: *Gemeine geſamte Herrſchafft,* pag.

pag. 461. *Non nego, quando vocabulum Maieſtatis valet imperantis dignitatem.*

§. 203.

Quando particulæ iurium et terrarum Reip. iure alienentur: cedatur regnum.

Quæ de illicita Reipublicæ alienatione dicta ſunt (§. 201.), illa *de tota* duntaxat *Republica intelligenda* veniunt, *non de modo terra*, ſiue *certa Reipublicæ terrarum portione.* Quod ex his quidem rationibus facere imperantem poſſe affirmo, ſi res poſtulat. Quod confert ad Reipublicæ conſeruationem quidquam, illud ſemper integrum Principi eſt (§. 28.). Quapropter quando Reſpublica in eum ſtatum deducta eſt, vt ſumma rerum in periculum veniat omnium fortunarum, omniaque ad perniciem profligata ſint, ni v. g. hoſti, qui ad diſperditionem Reipublicæ venit, certa portio terræ Reipublicæ, aut certa iura concedantur: omnino hancce facultatem transferendi in alium partem, ne totum pereat, aut maior pars Reipublicæ, imperans habet; tam ſecundum principia hæc noſtra, iuris publici in vniuerſum, quam ſecundum fundamenta iuris naturæ et gentium hic accommodanda, quod præferendum iubet minus malum malo maiori. Quæ cum ita ſint, *alienationes,*

quæ in pacificationibus pactisque publicis ſummorum imperantium metu mali maioris factæ ſunt de particulis iurium aut terrarum Reipublicæ, firmo nituntur fundamento, non quæ de integris Rebuspublicis. *Inter partes Reipublicæ referendum* cenſeo quoque *patrimonium populi* et *domanium Principis*, cuius fructus deſtinati ſunt ad ſuſtinenda Reipublicæ aut Regiæ dignitatis onera, adeoque imperii cauſa conſtituuntur. Secundum quæ illud argumentum non ſtringit, quod BODINVS *de Republica Libr. 5. pag. m. 931.* ſolidius iudicat, quam ex metu ſumtum, quod ſolui fœdus Madritianum inter CAROLVM V. et FRANCISCVM initum a FRANCISCO ex ea ratione iuſte potuerit, quod Burgundiam cum Belgii portione ab regno alienauerit ſine procerum conſenſu, quod Principi non liceat. Verum liceat mihi regerere, quod Burgundia et Belgii portio erant partes Regni Galliæ: de partibus autem Regni per ea, quæ diximus, diſponere Regi licet in caſu neceſſitatis aut vtilitatis publicæ, qui hic certe interueuit. Maiori robore niti videtur argumentum Brabantinorum, quod GROTIVS *Hiſtor. Libr. 7. pag. 324.* refert, cum negarent Belgii prouincias ſine ſuo conſenſu potuiſſe a PHILIPPO in ALBERTVM et CLARAM ISABELLAM EVGENIAM trans-

tranſferri: quippe Belgii prouinciæ corpus quoddam integrum, non partem Hiſpaniæ, conſtituerent, ac præterea caſus neceſſitatis non exiſteret. Quæ ratio firma foret, ſi probari poſſet, quod alienatio adſit, ſi in eos, qui iam a natiuitate ius quoddam habent ſuccedendi, quamuis remotius, ceſſio fiat, quodque adeo conſenſus ſtatuum adhiberi debeat: rationes cur vtrumque negandum ſit, colligere licet ex *meditatione ad* AVG. IMP. ROM. CAROLI VI. *ſanctionem pragmaticam*, *in prima edit. pag.* 29 *et* 61. Addo hoc argumentum, quod nulla alienatio in eiusmodi caſu adſit: ſcilicet, alienatio eſt translatio in peregrinum, atque vero, cum illi, qui ex familia regnatrice, aut qui ex communi ſtipite deſcendunt, non ſint peregrini habendi: non poſſunt etiam ceſſiones, in eos factæ, alienationes vocari, ob eamque cauſam ceſſio prouinciarum Belgicarum in ALBERTVM et CLARAM ISABELLAM EVGENIAM legitime fieri ſine conſenſu ſtatuum potuit. Tandem denique notandum, quod ob id, quod iura imperantis nullius voluntariæ diſpoſitioni ſubſunt (§. 24.), *non poſſit quidquam iuris abalienari a parentibus, niſi Principis conſenſus accedat.* Reperire exemplum huiusmodi alienationis licet apud HARÆVM *Annal. Ducum Brabant. et*

vtriusque Belgii Tom. 2. ad annum 1526. Hinc recte Luſitaniæ Rex alienationem nonnullorum iurium in Africa, quam legati, qui reſpectu imperantis, a quo miſſi, parentes ſunt, iniuſſu fecerant, irritam declarauit. Vid. MARIANA de *rebus Hiſpanicis Libr. 21. cap. 12.*

§. 204.

Item quadam iura aut terræ Reip. poſſint oppignorari ab Imperante.

Cum alienare *Principi* licitum ſit aliquid de Republica (§. 203.): multo magis ei *fas eſt*, ſi pecunias ſumit Reipublicæ gratia mutuas, *iura quadam aut partem quandam terrarum Reipublicæ pignori in ſecuritatem creditoris opponere.* Ex quo *creditores* ius accipiunt, ſi imperans nomen non diſſoluit, *in poſſeſſionem* quaſi vacuam *rerum oppignoratarum pedem ponere*, ac tamdiu in poſſeſſione conſiſtere, *donec imperans ſatisfecit.* Et *ſi ſolidum praſtare non poteſt*, a creditore *bona aut iura oppignorata venire poſſunt*: ob id, quia poſſunt alienari partes Reipublicæ facto imperantis (§. 203.), qui reapſe conſentit ab initio in hoc caſu, ſi non ſoluat, in alienationem. Alias enim creditor per pignus non ſecurus redderetur de pecunia ſua, in cuius ſecuritatem tamen pignus datum eſt. Illa quæſtio, *an integra*

Res-

Respublica oppignorari poſſit eſt otioſa ob id primum, quia caſus, quoad eius memini, nondum vſu venit, nec vnquam veniet: deinde quoque negari præciſe poteſt, quod imperans pignus ponere de omni Republica queat; propterea quod *Respublica eſt inalienabilis* (§. 201.). Si autem pignus in caſu neceſſitatis alienari nequit, talis res creditorem ſecurum non reddit: quare *poſita pignori Respublica tota, ſine effectu eſt.*

§. 105.

Differentia Regni uſufructuarii et patrimonialis: patrimoniale conſenſu populi poteſt fieri.

Res patrimoniales eæ a nobis nuncupantur, quarum quis liberam diſpoſitionem intuitu alienationis habet. Iam cum Rerumpublicarum ratio ita ſit comparata, vt ſua natura non poſſint alienari ab imperante (§. 201.): facile eſt ad intelligendum, quod *Respublica et regna non ſint per ſe patrimonialia. Regna* itaque *non patrimonialia*, ſiue vti vocari amant, *vſufructuaria*, ego illa voco, quarum alienatio principi conceſſa non eſt. Huiusmodi conditionis quoniam Respublicæ in dubio, prout iam hoc ſo oſtendi, ſunt omnino omnes: exiſtere hoc loco quæſtio poteſt, *annon conſenſu populi Respublica patrimonialis*

lis conſtitui queat. Quod cenſeo *affirmandum* ex ea ratione, quia fieri poteſt, vt populus, præter poteſtatem ciuilem, etiam ius alienandi principi largiatur. Namque populus facultatem habet tradendi iura Reipublicæ cuicunque velit (§. 34.). Quare ſi voluntatem ſuam intuitu huius traditionis iurium Reipublicæ in alium, hoc eſt dicere, alienationis conferat in voluntatem principis: principis voluntas tunc intuitu eiusmodi translationis imperii in alium voluntas populi eſt. Quod ſi vero populus vult: ex voluntate ſua transferre in quemuis imperium ſeu alienare poteſt (§. 34.). Ergo conſenſu populi Respublica ita inſtitui poteſt, vt ſingulatim principi facultas detur tradendi Rempublicam cuicunque velit maxime, i. e. ius alienandi: ob eamque cauſam conſtitui Respublicæ patrimoniales queunt, populo conſentiente.

§. 206.

ItemqueRegnum mere patrimoniale.

Diſtinguere licet ***rationem regni patrimonialis***, §o antecedente explicati, ***et mere patrimonialis:*** ſiquidem ſub hoc intelligi tale regnum ſolet, in quo præter iura gubernandi et alienandi Rempublicam, etiam omnia bona priuatorum imperanti propria ſunt. ***Proprium*** voco

voco *complexum omnium iurium*, quæ quis ratione rei certæ habere poteſt, ſub quo complexu comprehendo omnem liberam diſpoſitionem de re omnemque uſum, et etc. et vt paucis nos expediamus, omnia dominii effecta attributaque ita, vt talis Princeps non dici ſolum poſſit imperans, verum etiam dominus et herus regni: vnde *berile* quoque tale *regnum* appellatur interdum. Eſt inter ſcriptores *de eo, deturne, darine poſſit*, huius generis *regnum mere patrimoniale controverſia*. GROTIVS *de I. B. et P. Libr. 1. cap. 3. §. 8. n. 3.* et PVFFENDORFFIVS *de I. N. et G. Libr. 8. Cap. 5. §. 1.* omne nobis aſſeueratione *affirmant*, et dari et conſtitui tale imperium iure poſſe. *In alia omnia diſceſſit* HENRICVS COCCEIVS *in noua ſententia de origine terrarum mediatarum et immediatarum in Imperio Romano-Germanico*. Cuius Libri *Caput duodecimum integrum* de monſtro regni mere patrimonialis tractat. Vbi demonſtrare nititur illuſtris Auctor, regnum mere patrimoniale nec unquam fuiſſe in rerum natura, nec concipi quidem poſſe. Si oſtendere licet, qui ſit *meus de hoc ſenſus*, mea eo ſententia decurrit, vt ad GROTII PVFFENDORFFIIque ſententiam deſcendam, niſi quod fidem auctorum, quos in hanc rem adductos in margine editionis

tionis Puffendorffii Barbeyracianæ inuenio, in medio relinquam. Propterea quod nec quisquam hiſtoriæ ſcriptor extat, quo ſatis certo autore ſtetur: præcipue ſi ab eo auctoritatem repetimus, qui formam nobis earum Rerumpublicarum exponit, quæ interuallo locorum et temporum disiunctæ et in extrema India poſitæ. Liceat mihi præter exempla eius generis Rerumpublicarum, quæ etiam HERTIVS *in elementis prudentiæ ciuilis P. 1. pag. 213.* adduxit, exemplum de Republica notiori adſcribere propiorique, ſcilicet de Moſcouia, de qua IOHANNES BOTERVS in ſuis *relationibus de præcipuis Rebuspublicis pag. m. 38. Magnus Dux Moſcorum*, inquit, *regit ſuos populos magis deſpotice, quam vllus alius Princeps, quem nouimus. Diſponit abſolute de perſonis ſubditorum, vt ipſorum rebus: ideo dicebat Mahumetes Viſirus, quod Moſcus et Turca ſoli inter principes eſſent domini ſuorum dominiorum.* Equidem ad veritatem regni mere patrimonialis non multum video intereſſe, an perſuaſum ſit mihi de fide auctorum, qui referunt tales Reſpublicas in rerum natura et eſſe et fuiſſe: modo nobis ſtet illud, non aduerſus naturam ſocietatis ciuilis talem Reipublicæ conſtitutionem niti, tunc noſtro ſatisfacimus officio.

Nec

Nec vero quenquam eſſe exiſtimo, qui in dubium vocabit, quod *fieri poſſit, vt plures vni dominium rerum ſuarum concedere queant, et ſibi poſſeſſionem earum corporalem reſeruare tamdiu, quamdiu ei complacitum ſit.* Nec minus iam oſtendimus ſupra (§. 34.), quod *transferre plures poteſtatem ciuilem in quemcumque poſſint.* Si autem imperium et dominium rerum priuatarum penes principem Reipublicæ eſt, exiſtit regnum mere patrimoniale. *Ergo regnum mere patrimoniale poteſt concipi bene conſenſuque populi conſtitui.*

§. 207.

Regna patrimonialia æque ac mere patrimonialia ſunt alienabilia.

Ex iis, quæ deducta ſunt, colligere licet, quod omnia, ex quibus regnum mere patrimoniale conſtat, abalienari queant. Namque in eius generis regno Princeps primo loco habet facultatem alienandi poteſtatem ciuilem (§. 206.), ſecundo loco habet rerum priuatarum proprietatem, quæ ius alienandi ſub ſe continet (eod.); ex his vero duobus conſtat regnum mere patrimoniale (eod.): quare mere *patrimouiale regnum et quicquid rerum ſingularum in eo eſt, abalienari a Principe poteſt.*

§. 208.

An Deſpota ex ullo iuris fundamento ſibi tribuere poſſit ius ſibi ſubiectos ad lubitum interficiendi?

Regnum berile ſeu *deſpoticum diſtinguunt* nonnulli in eo *ab regno mere patrimoniali,* quod *ſubditi in regno deſpotico ſimul obligationibus ſeruorum teneantur* ita, vt quæcunque in vtilitatem ſuam priuatam imperans præcipit, ea agere ſubditus teneatur. Seruum vero alteri ſe addicere quilibet poteſt, qui ſui iuris eſt: quapropter etiam *regnum deſpoticum legitime inſtitui poſſe* ſtatuendum. *Deſpota* itaque *plura iura in ſubditum, præter poteſtatem ciuilem,* exercere iure nequit, *niſi* ea, *quæ Dominus in ſeruum habet.* Ex principiis vero iuris naturalis probari nequit, quod dominus in ſeruum ius vitæ et necis habeat; quippe qui nulla alia remedia, quam quibus ſeruus ad operas præſtandas adigitur, adhibere poteſt, mortui autem operæ plane ceſſant: *quare* etiam *deſpota pro arbitrio necare ſubditos nequit*, quod tamen a plurimis ſtatui ſolet. Neque etiam hæc poteſtas imperanti a parentibus concedi poteſt: propterea, quod parens ipſe ſe ad libitum interficiendi ius non habet, nec alter alterum occidere niſi in caſu neceſſitatis poteſt, ſecundum iuris naturalis fundamenta. Quod ſi vero ad arbitrium

trium ſine cauſa alter alterum necat, ille caſus non neceſſarius eſt: *ergo parentes ius vitæ et necis arbitrariæ Principi tradere nequeunt*, nec deſpota ad arbitrium occidere ſubditum iuſte poteſt.

§. 209.

Imperans teſtamento ſibi ſucceſſorem conſtituere nequit: vnde hinc nullum ius ſuccedendi.

Vt perueniat regnum ad eum, ad quem ex lege ſucceſſionis non pertinet, teſtamento principis fieri non poteſt. *Principis* enim *teſtamentum de regno* eſt expoſitio ſententiæ principis in quem poſt mortem ſuam regnum translatum velit. At quoniam Princeps regnum ad alium transferre, quem ordo ſucceſſionis non tangit, aut qui plane peregrinus eſt, ſine illorum, quorum intereſt, conſenſu in illo caſu, in hoc ſine populi expreſſa conceſſione, ope ciuilis poteſtatis nullo modo poteſt (§. 201.): *Principi ſucceſſorem regni teſtamento conſtituere non eſt licitum*, et ex conſequenti *nullus Princeps*, quem ordo ſucceſſionis non tangit, *ex teſtamento ius ſuccedendi validum nanciſci poteſt.* Ob eamque cauſam VVILHELMVS *Dux Normandiæ*, vulgo CONQVESTOR vocatus, regnum Angliæ anno 1066. ex nulla cauſa belli iuſtifica armis ſubegit, atque in ditionem ſuam rede-

git, nixus Regis EDVARDI CONFESSORIS teſtamento. Eodem infirmo fundamento niteretur *Hiſpaniarum Regis* PHILIPPI, hodie regnantis, poſſeſſio regni Hiſpaniarum, ſi teſtamentum, non pax ſubſecuta, fundamentum eſſet, vt latius deduxit BVDDAEVS in Diſſert. *de teſtamentis ſummorum imperantium et ſpeciatim* CAROLI SECVNDI *Hiſpaniarum Regis.*

§. 210.

Princeps non poteſt legitimos ſucceſſores Regni exheredes ſcribere.

Poſt imperantis regnantis mortem nati non in vllam ſortem regni exhæredari poſſunt. *Exheredare* enim quempiam eſt teſtamento declarare, quod is, quem ordo ſuccedendi tangit, ſuccedere non debeat. Vti vero imperans omnis de regno non poteſt teſtamentum facere (§. 209.): ita quoque *ex teſtamento exheres regni quisquam fieri non poteſt.* Vnde regnante EDVARDO TERTIO Parlamenti Anglicani membra anno 1369. recte decreuerunt: *qu'ils ne peuvent pas conſentir a aucune choſe, qui tende a l'exheredation du Roy, quoique le Roi même le ſouhaitât.* Vid. *Eſſai ſur le gouvernement civil, pag. 123. ſq.* Ratio, *cur exheredatio, ne conſenſu quidem ordinum, fieri poſſit,* eſt, quod contra voluntatem illius, qui

qui ius ſuccedendi quæſitum habet, ius ſuccedendi, natura fundamentali regni nixum, auferri nequit: dum generatim in nulla re ius alteri quæſitum euertere licet, vt habet GVNDLINGIVS in *Iur. Nat. et Gent. cap. 14. §. 16.* Ratio deſumi ex GROTIO de *I. B. et P. Libr. 2. cap. 14. §. 8.* poteſt, quæ in eo ſita, quod, qui ius alicui, legitimo modo partum, ſine cauſa aufert, faciat contra verum ius alterius, quod illicitum eſt (§. 64.). Sine cauſa ius alterius is aufert, qui ſine conſenſu alterius ius alienum reddere ſuum intendit, quod adeo quoque fieri non poteſt. Ac *ne in regnis quidem alienabilibus exhæredationem procedere cenſeo*, contra quam putat GROTIVS de *I. B. et P. Libr. 2. cap. 7. §. 25.* Hoc cauſæ ſumo, quod exhæredatio primum ponat teſtamentum pro eo, ac eam hic finiui. Summi Principes vero ſolo iure naturæ reguntur (§. 38.), quo nullum eſt teſtamentorum veſtigium: quod §. ſequenti probandum in me ſumo.

§. 211.

Teſtamenta non ſunt iuris N. et G. quare teſtamenta Principum niſi

Teſtamentum, in quo filius a patre, aut proximus agnatus exhæredatur, vt ne in regnum ſuccedat, ſignat declarationem voluntatis de eo, quod Princeps poſt mor-

conſenſu eorum, quorum intereſt, munita, non valent. tem ſuam velit regnum transferre ad eum, ad quem ordo aut ius ſuccedendi non pertinet, legitimumque ſucceſſorem a ſucceſſione regni excludere (§. 209. et 210.). Translatio vero omnis tunc iure naturali fit, quando quis declarat voluntatem ſuam, quod iſtud, quod ſuum eſt, alterius eſſe debeat: proinde translatio ponit perſonam transferentem, quæ ad voluntatem declarandam idonea. Sed homines morte iam deleti non poſſunt eſſe perſonæ transferentes, ob id, quod fieri non poteſt, vt mortuus declaret voluntatem: nulla itaque translatio rerum, ad mortuos dum viuerent ſpectantium, locum habet poſt mortem, adeoque *nullum ius teſtamentorum ex Iure N. et G. concipi poteſt* (§. 209.): atque ex conſequenti ſubſtantiam teſtamentorum non eſſe iuris naturalis, contra GROTII ſententiam eiusque rationes in *Iur. B. et P. Libr. 2. cap. 6. §. 14.* allatas ſtatuo. Quid argumentis ab HERTIO et LEIBNITIO in contrarium adductis reſpondendum, habet GVNDLINGIVS in Diſſert. de *Principe hærede ex teſtamento ciuium cap. 1. §. 2.* Vnde teſtamentis Principum, etiam eorum, qui ius inter viuos regnum alienandi habent, nequit vllus ſucceſſor conſtitui, aut vlla

vlla proles exhæres regni ſcribi (§. 38.). Adeoque *ſi* etiam *teſtandi facultas a populo Principi conceſſa*, vt olim in Sueciæ regno fuiſſe nemini obſcurum opinor: eius generis *teſtamentum non valere poteſt, vt teſtamentum, ſed vt ius ex voluntate populi conceſſum*. Ex eadem ratione *teſtamenta priuatorum in republica* valent ob id, quia Princeps hoc ius ſubditis conceſſit, non quia a iure naturæ proficiſcuntur, ſed quia *mere iuris ciuilis ſunt*. Quibus ex rationibus, quod teſtamenti non ſint iuris naturalis, colligere licet, quare glorioſiſſimæ memoriæ Imperator Ruſſorum PETRVS MAGNVS conſenſum conſpirantem principum imperii Ruſſici neceſſarium duxerit de agnoſcendo hæredem imperii et legitimum ſucceſſorem, qui foret teſtamento ſucceſſor denominatus. Ex hoc fundamento, quod teſtamenta Principis non valeant, vt teſtamenta, Parlamentum teſtamentum Regis Galliæ LVDOVICI XIII. ab ſe nonfirmatum, pro inani habuit, vt indicat præfatio Domini DE LA CHATRE *de la minorennité de Louis XIV*. Inde has cautiones *principes, qui de ordine ſuccedendi diſponunt, adhibere ſolent*, vt vel *populi conſenſum adhibeant*, vel *guarantiam* ordinis ſuccedendi *ſibi a potentioribus præſtari curent*. Cuius rei exempla plura in COCCEII differt.

 de

de *Teſtamentis Principum* reperiuntur, et *cap. 2. §. 16. et 17.* oſtenditur, *quod alienationes regnorum, præcipue poſt mortem, vel effectum non habuerint, vel conſenſu populi tacito vel expreſſo facta aut poſtea tacite ſaltim approbata fuerint, vel etiam vis præualuerit.* Nouiſſime AVG. IMPERATOR, HODIE REGNANS, qui viuat vsque ad extremam ætatem, non voluit, vt ſucceſſionis ordo, quem ſtabiliuit anno 1713. valeat, tanquam teſtamentum, ſed tanquam lex immutabilis, Guarantia potentiorum Europæ Principum, conſeruanda. Sic quoque olim in domo ALBRETANA fuit ſucceſſio ordinata per modum contractus, vt indicat contractus anno 1322. factus inter Dn. *Amonyon ſire de Albret*, et eius liberos, ex quo apparet conſuetudo vſitata domus DE ALBRET, ſucceſſionem et fauorem primogeniti attingens, contractus ille integer ex Cod. Diplomat MS. inſertus *der hiſtoriſchen Erklärung Genealogiſcher Tabellen*, Francofurti ad Mœnum, 1728.

§. 212.

In Imperio Patrimoniali et deſpotico remotior ſanguine anteferri iure

Quoniam Principes regnorum patrimonialium imperium, prout ipſis placitum eſt, transfundere queunt in quemuis, etiam qui ne ſanguine quidem coniunctus cum ipſis

ipſis eſt, idque, ſi poſt mortem de- mum translatio fieri debet, popu- lo ſuffragante (§. 205. et 211.): magna et digna tractatu quæſtio in diſquiſitionem venit, *num, ſi forte ita tulit caſus, vt nulla diſpoſitio ratione ſucceſſoris exiſtat, poſſit proximior ſanguine iure præteriri ab iis, ad quos imperium vacans ſpectat, et remotior anteferri proximiori.* Quid ſit, quamobrem id *poſſe fieri iuſte et legitime cenſeamus*, accipe. Sed primum poſitum ſit, eam Reipublicæ formam eſſe, vt in quemuis transferri regnum ab iis, a quorum arbitrio proficiſcitur, poſſit: qualem quidem formam habere *imperium deſpoticum atque patrimoniale* et debet et ſolet (§. 205. 206. 208.). Quoniam itaque eius generis regnorum imperium transferre ad quemuis ius fasque eſt: conſequitur, vt in cenſum non veniat is, qui imperanti proximo nexu ſanguinis cohæreat, illiusque partes in ſuccedendo non præcipuæ ſint; atque ob eam rem illi, penes quos ius transferendi imperium reſidet, decus imperii etiam in eum, qui nexu ſanguinis remotior, transmittendi habent facultatem, nulla diſpoſitione ſingulari intuitu ſucceſſionis exiſtente. Qua de cauſa cum de ſucceſſore PETRI II. Imperatoris Ruſſorum, non eſſet cautum ſigillatim,

poteſt proximiori in ſucceſſione.

tim, Senatus Imperii Rusſici, penes quem regimen totius imperii vacante eo, nomine populi eſt, anteferre iure potuit hodie regnantem glorioſisſime Rusſiæ Imperatricem Catharinæ, et hanc præ illa poſtputare in imperii ſuccesſione.

§. 213.

De iuribus Regni hæreditarii et electiui: itemque Electorum.

Succesſio imperii accidit, quando transfertur poteſtas ciuilis de vno imperante in alterum. Transferri autem vides poteſtatem ciuilem aut electione aut hæreditate. Vnde orta illa *diſtinctio regnorum electiuorum et hæreditariorum*: quorum *hæc* cognoſcuntur ex iure continuandi poteſtatem ciuilem propter ſanguinis nexum; qualia regna etiam *ſucceſſiua* κατ' ἐξοχὴν *vocari ſolent*, ſed *apte minus*, dum *terminus ſucceſſionis*, et vt nos eum hic concipimus, et vt GROTIVS de *I. B. et P. L. I. cap. 3. §. 10.* per veteris imperii continuationem finit, ad regna electiua accommodari poteſt. Hæreditarium regnum Angliam omni tempore fuiſſe probat ROBERT BRANDT *Compleat Hyſtory of England*: quale ius hæreditarium acta quoque parlamenti ſub CAROLO II. confirmant. In *electiuis regnis* cuidam imperium ſuffragio mandatur *Electorum*, qui ſunt illi, penes

penes quos facultas eſt alium ſubrogandi in locum deficientis imperantis. Imperium Germanicum huius generis regnum eſſe (§. 225.) oſtendimus.

§. 214.

De ratione ſucceſſionis gradualis et linealis in Regnis maſculinis et femininis. De iure primogenituræ. Num matrimonium iuſta cauſa marito acquirendi Regnum femininum?

Regnorum ſucceſſiones non eodem modo, ſed varie pro eo, ac ***variæ*** ſunt et quaſi multiformes Reſpublicæ, eſſe ſolent. ***Neque*** vero ***ſolum in monarchiis, verum etiam in Ariſtocratiis*** et ***Democratiis*** ſucceſſionis ordinem obſeruari notat HERTIVS in ***Elementis prudentiæ ciuilis Part. 1. Sect. 10. n. 9. Alia*** autem eſt ***ſucceſſio pure hæreditaria***, qua ſucceditur ſecundum gradus proximitatem, vti in rebus priuatorum, vnde et ***gradualis*** vocari amat: ***alia linealis***, vbi ſecundum lineæ proximitatem ſucceſſio locum habet. Atque hæc quidem ſucceſſio eſt vel agnatiua vel cognatiua. Succeſſio ***linealis agnatiua*** obtinet, quando maſculus ex maſculo ſecundum proximitatem lineæ ad ſuccedendum vocatur: ***cognatiua*** vero ſucceſſio locum habet, quando etiam maſculus ex femina, et femina ſecundum proximitatem lineæ in locum defuncti Principis ſuccedere poteſt. Hæc

Caſtiliana, illa *Salica*, ſeu *Francica*, ob rationes cuique notas vocatur: vtriusque generis modum ſuccedendi latius explicat PVFFENDORFFIVS de *I. N. et G. Libr. 7. §. 12. et 13.*; ac quidem quod ad ſucceſsionem ex iure primogenituræ generatim pertractauit BVDDEVS de *ſucceſsione primogenituræ*; ſpecialiora ſuppeditat *perilluſtris de* LVDOLPH de *introductione primogenituræ*. Proles maſculina ſi tantum valet in ſucceſsione regni, *regnum* audit *maſculinum*: ſi et feminina, inde *femininum* regnum adpellatur. Quale regnum ad maritos transferri poteſt et ſolet: ex quo *matrimonium modus acquirendi imperium* fit. Cuius rei plurima exempla in hiſtoria Auſtriaca, Anglicana et Hiſpanica occurrunt, quæ ſatis euincunt matrimonium iuſtam cauſam acquirendi imperii eſſe (*argum.* §. 233.).

§. 215.

Fundamentum primum diuerſorum ſucceſſionis modorum eſt pactio cum populo de ordine ſuccedendi. Succeſſio hæ-

Sed quæret aliquis, quo fundamento ſucceſsio hæreditaria eiusve diuerſi ſuccedendi modi nitantur: *ſitne tale ius ſuccedendi ex nexu ſanguinis, titulus acquirendi et transferendi ciuilem poteſtatem legitimus?* Quoniam fundamentum translationis poteſtatis ciuilis

lis eſt pactio cum populo facta (§. 33. et 34.); ſucceſſione hæreditaria vero poteſtas ciuilis etiam transfertur ad ſanguinis nexu coniunctos (§. 213): pacta conuenta cum populo fundamenta iaciant hæreditariæ ſucceſſionis oportet. Nulla pactio fieri poteſt, niſi voluntate ſuffragante (§. 32.). Prout igitur voluntas diuerſimode declarari poteſt: ita etiam accidit, vt diuerſi modi ſuccedendi in regnis hæreditariis a diuerſa populi voluntate et pactione proficiſcantur. Inde poſſunt alii ſucceſſionum modi, quam quos (§. *ſuperiori*) indicaui, populi voluntate introduci, cuius rei exempla profert GROTIVS de *Iur. B. et* P. *Libr. 2. cap. 7. §. 24.*: non vero ſola voluntate Principis, vt putat GROTIVS eodem loco, quamuis regnum ita in patrimonio habeat, vt alienare poſſit, ob rationem (§. 211.) allatam. Actione legibus conuenienti, quæ inuoluit vnius partis voluntatem transferendi ſuum in alterum, quæque alterius animum oſtendit idem ſibi acquirendi, nititur titulus iuſtus acquirendi in I. N. et G. Iam cum pactio, qua transfertur poteſtas ciuilis et ſucceſſio hæreditaria ordinatur, ius perfectum largiatur (§. 32.); adeoque iuſta et legitima habenda ſit volun-

reditaria eſt titulus acquirendi poteſtatem ciuilem legitimus.

tatem

tatemque transferendi poteſtatem ciuilem ad ſanguine coniunctos contineat (§. 32. 34. 213.): facile eſt ad colligendum, quod *ſucceſſio in regnum ex iure ſanguinis, titulus transferendi et acquirendi poteſtatem ciuilem* ſit *legitimus*. Adeoque *quamdiu ſucceſſor, ſeu hæres regni, legitimus adeſt, tamdiu adeſt quis, qui ſibi tribuere imperium legitime poteſt, ſique ſibi tribuit, adeſt ſubiectum, in quo eſt imperium legitimum.*

§. 216.

Rex Regno ſe abdicare iuſte poteſt idque derelinquere: utroque modo amittitur Imperium

Inter titulos transferendi poteſtatem ciuilem legitimos referre quoque licet ceſſionem. Antea vero quam demonſtrare poſſum, quod alteri, præcipue ei, qui ius ſuo tempore ſuccedendi habet, cedere poſſit Princeps poteſtatem ſuam, oſtendendum mihi eſt, quod Rex regno ſe abdicare iuſte poſſit. *Regno ſe abdicare,* nihil ſignat aliud, quam eam poteſtatem ciuilem, quam quis princeps accepit, reddere. Quam quidem poteſtatem ciuilem, quod arbitratu ſuo Princeps reſtituere poſſit, ex eo patet, quod parentes in imperantem nullum ius habeant, atque in imperante adeo nulla obligatio reſpondeat (§. 33.): quapropter etiam *imperans* non eſt obligatus parentibus imperans permanere, i. e. *po-*

teſta-

teſtatem ſuam ciuilem retinere; atque ex conſequenti eandem reddere ſeu *reſignare iuſte poteſt*, ſiue quod idem, *abdicare* (*vi def. b.*). Hinc CAROLVS V. etiam ſine illis cauſis, quas FERDINANDVS I. in R. I. de *anno 1559. in proœmio* adducit, legitime abdicare ſe imperio potuit: præcipue *nullo periculo*, v. c. belli grauis, *ex quo Reſpublica detrimentum caperet, impendente*. Quem caſum impedire, quo minus quis Princeps reſignare poſſit legitime, vult VITRIARIVS in *Inſt. Iur. N et* G. *Libr. 2. cap. 7. num. 59.* *Abdicatio ipſo facto fit derelictione*, quæ eſt vel *voluntaria*, vel *neceſſaria*, vel vt LENTVLVS in *ſuo imperatore pag. m. 213.* exprimit, abdicatio eſt vel *ſpontanea*, vel *imperata*. Ac quidem *abdicatio fit* vel *a Principe* vel *a tota gente*: huius generis exemplum refert PROCOPIVS *Hiſt. Goth. Libr. 4.* vbi inter GOTHOS et NARSETEM ita conuenit, vt GOTHI Italia omni quamprimum excederent. *An Princeps* vero *omittat imperium abdicatione neceſſaria*, de eo fuerunt in vtramque partem diſputationes Parlamenti Angliæ ob derelictionem IACOBI II. quæ ſunt *dans le Supplement de la Criſe par M.* STEEL. Certe ex hoc fundamento, quod amittatur imperium eiusmodi derelictione, in Parlamento anno 1689. contra IACOBVM pronuntiatum eſt,

eſt, ſecundum GROTIVM: ac quidem iuſte, contra quam putat OTTIERI in *Iſtoria delle guerre avenute in Europa etc. pag. 35.* Ratio inde petenda, quod, qui dereliquit regnum, imperium ſuum vacans reddit. Qua ratione quoque nixa fuit ſententia Parlamenti, vt legi *dans l' Abregé de l' hiſtoire d' Angleterre de Monſieur de* RAPIN THOIRAS *Tom. 3. p. 482.* qui refert, quod membra vtriusque Parlamenti declararint: *Que le Roi Iaques avoit abdiqué le Gouvernement, et que par là le Throne étoit devenu vacant.* Sed ſi dubites, an in eius generis regno ſucceſſivo regnum vacet derelictione, cum hæredes adſint: hoc dubium ſolui poſſe hac argumentatione reor. Qui reliquit regnum reipſa ſe abdicat tacite imperio, ob eamque cauſam ab ipſo ſedes regni vacans eſt, nullumque adeo ius in id amplius habet. Si intuitu ſucceſſorum regnum vacans nominare nolis: nihil ad rem ſufficit, quod ipſo facto regnum transeat in proximum hæredem, qui ſi ſuccedit, ſpes recuperandi regni proiecta (*argumento* §. 219.). Amiſſum vero id cenſetur a GROTIO de I. B. *et* P. *Libr. 2. cap.* 4. *et 5.*, cuius recuperandi ſpes proiicitur. Quapropter *derelictione quauis, ideoque et neceſſaria, ſi quis alius ſuccedit, amittitur imperium.*

§. 217.

§. 217.

Pro eo, ac (§. *proximo*) diximus, abdicare ſe imperio Princeps poteſt. Quæ abdicatio, ſi illius gratia fit, qui proxima cognatione coniunctus eſt cum abdicante, idem eſt ac *cedere cognato proximo Rempublicam.* Ac quidem facile diiudicandum, quod *Princeps reſignare* ſeu *cedere illi, qui ſanguine ipſum contingit proxime, regnum hæreditarium queat.* Proximus cognatus enim habet ius acceptandi ciuilem poteſtatem reſignantis ob id, quod in regno hæreditario proximus hæres is eſt, qui iure ſuccedendi gaudet, id eſt, continuandi poteſtatem ciuilem, priori Principe, qui aut imperium exercuit, aut ſpem ſuccedendi habet, deficiente. Atque cum prior abdicare poſſit (§. 216.): poteſt etiam per id efficere, vt imperans non ſit, adeoque deficiat (§. eod. et 23.). Quod ſi vero imperans anteceſſor proximus non eſt, aut eſſe deſiit: iure ſuo proximus hæres ſuccedere in regnum, adeoque imperium acceptare poteſt. Quapropter, cum abdicatio ſimul fiat, ſi propiores cognati cedunt iura imperii proxime ſubſequenti cognato, is ex eiusmodi

Cedere Princeps poteſt Regnum hæreditarium proximo cognato, non remotiori, neque extraneo ſine conſenſu ordinum et eorum, quorum intereſt.

modi reſignatione et ceſſione iure ſuo ſuccedere, adeoque regnum accipere poteſtatemque ciuilem, iuraque imperii continuare poteſt. Hinc firmamentum ac robur ceſſionis Monarchiæ Hiſpanicæ a LEOPOLDO IMP. et IOSEPHO REGE ROM. factæ CAROLO III. de anno 1703. *Neque vero licitum eſt cedere regnum remotiori cognato ſine proximioris conſenſu:* propterea quod remotior ius ſuccedendi accipiendique imperium non habet, exiſtente eo, qui ius ſuccedendi potius habet quæſitum, quod ipſi vllo pacto ſine conſenſu ſuo auferri nequit (§. 210.) Proinde id DIVVS LEOPOLDVS magna ratione fecit, quod in ceſſione Monarchiæ Hiſpanicæ CAROLO III. factæ, conſenſum divi IOSEPHI adhiberet, vt videre eſt ex Diplomate ceſſionis. CAROLVS enim remotior hæres regni erat et IOSEPHVS proxime et ſecundum LEOPOLDVM proximus hæres regni ex iure primogenituræ in regno Hiſpaniæ vigente. *Multo minus cedere licet regnum extraneo:* propterea quod eius generis ceſſio alienatio regni eſt, quæ Principi non permiſſa, adeoque nec ceſſio in extraneum, *niſi lex fundamentalis hanc ipſi facultatem tradat, aut conſenſus omnium, quorum intereſt,* id eſt cognatorum ordinumque, *accedat, aut ſi quis iure belli Rempublicam acqui-*

quiſiuerit (§. 200. *et* 201.). *Poſſum etiam alio*, eoque *faciliori modo*, *ob oculos ponere, quod cedere in fauorem cognati remotioris, aut plane extranei imperans non queas, niſi ſub iis, quas modo adduxi, conditionibus:* ſcilicet, ceſſione facta, imperans eſſe deſiit imperans in regno hæreditario (*vi def.*), adeoque proximus hæres ius ſuccedendi habet (*vi def. b.*): ergo non alius, atque ex conſequenti nec cognatus remotior, multo minus, qui plane extra familiam eſt, accipere ſucceſſionem ex iure ceſſionis poteſt in hæreditario regno ſine conſenſu eorum, quorum intereſt.

§. 218.

Princeps Regnum electiuum alteri reſignare ſeu cedere nequit ſine Electorum conſenſu.

In regnis electiuis Princeps ſolus poteſtatem ciuilem ſuam non poteſt cedere alteri, ſiue ſit proximus cognatus, ſiue alius quispiam, nihil intereſt, ob id, quod in regnis electiuis nec vllus cognatus ius ſuccedendi habet, alias eſſet regnum hæreditarium (§. 213.), quod hypotheſin euertit: ſed imperio vacante ius imperii transferendi penes electores eſt (§. eod.), *imperium* autem *vacat*, ſi legitimus ſucceſſor deficit, quando alius eſſe deſiit imperans. Qui autem cedit regnum electivum,

imperans eſſe deſiit (§. 217.), et legitimus ſucceſſor non eſt, niſi in quem electores imperium transtulerunt (§. 213.). Quapropter *non poteſt ſine Electorum electione quispiam ex iure ceſſionis ſuccedere in regnis electiuis.* *Si* quis itaque *proximus cognatus ſuccedit in regnum electiuum, reſignatione anteceſſoris facta*, quale exemplum habemus in CAROLO V. Imperatore, cui frater FERDINANDVS I. poſt reſignationem et ceſſionem factam in imperium ſucceſſit: *non ſuccedit ex iure reſignationis et ceſſionis, ſed* ex iure *electionis*; hoc adeo ceſſante, ceſſat etiam ius ſuccedendi. Quæ res pateſcit exemplo IO. CASIMIRI, Regis Poloniæ, apud PVFFENDORFFIVM *rerum Brandenburg. Libr. 9. ſeq.*

§. 219.

Ceſſionario non ſuccedit cedens, caſu eueniente, ſed proximus hæres ceſſionarii: de effectibus reſignationis ſub pacto independentia.

Quis illi, qui iura imperii ceſſione accepit, ſuccedat, vtrum cedens, an proximus hæres illius, cui ceſſa ſunt, inueſtigare refert.? Ac quoniam ceſſio primum ponit abdicationem (§. 217.), atque hæc in ſe continet translationem imperii (§. 216.): conſequens eſt, vt is, qui ex iure ceſſionis in imperantis locum ſubſtitutus eſt, in ſe trans-

ferat

ferat poteſtatem ciuilem omnem, atque adeo *nec quidquam poteſtatis penes eum, qui ceſſit iura imperii, reſideat*, qui ob eam cauſam *ſtatum libertatis amittit* (§. 37.), et *in ſtatum ciuitatis incidit*, in quo *ſubiectum eum eſſe poteſtati alterius ciuili oportet*, et *perſonam priuatam agere* (§. 34.), *niſi cedens ſub pacto independentiæ reſignauit*. Quam quidem cautionem Regina CHRISTINA adhibuit, quale pactum hoc efficit, vt reſignans poſt ceſſam poteſtatem ciuilem ſtatum libertatis retineat; intuitu eius ſolum, a quo independentiam pactus eſt, non extra fines imperii, in quo eiusmodi pactum interceſſit. Rationes habet HVBERVS de *Iure Ciuitatis Libr. 1. Sect. 9. cap. 6. n. 19. et 20.* conf. THOMASIVS *ad eundem auctorem Libr. 1. Sect. 9. cap. 6. n. 19. lit. p.* Quando itaque *cedens ius ſuum regendi Rempublicam reſignatione amittit: non poteſt id pœnitentia ductus, ab eo, cui ceſſit reuocare, nec etiam cedens ius habet eidem, cui ceſſit, ſuccedendi.* Ceſſione enim facta, idem eſt, ac ſi cedens non amplius eſſet in numero eorum, qui ſuperſtites in familia regnatrice ſunt, quamdiu tales, quos ordo ſuccedendi et lex vocat, poſt eum, cui ceſſum imperium, exiſtunt, quos vocare mihi liceat proximos hæredes. Quoniam itaque proxi-

mos hæredes illius, cui ceſſum imperium, lex vocat ad ſucceſſionem, non poteſt idem ius ſuccedendi cedens habere, *niſi qualitas proximi heredis in perſona cedentis poſt mortem ceſſionarii concurrat.* Quod vſu venit Regi Hiſpaniarum hodierno PHILIPPO V. qui filio ſuo, cui ceſſerat regnum, ſucceſſit, ex iure proximitatis, non reuolutionis, vt ita loquar. Patrem enim ordo ſuccedendi tangit ante fratrem defuncti Principis, more gentico ex voluntatis coniectura in ſucceſſione ab inteſtato, ſiue, vt aptius rem exprimamus, vbi nulla lex ſucceſſoria adeſt expreſſa contraria, GROTIVS de *I. B. et P. Libr. 2. cap. 7. §. 9. 10. 11.* Quod ſi vltimo defunctus Rex Hiſpaniarum liberos procreaſſet, illi patri ſuo ſuccedere potuiſſent, etiam inuito auo, ob id, quod vbi deſunt liberi, patri naturaliter demum deferatur ſucceſſio, GROTIVS *libro* et *capite citato §. 9.,* qui itaque liberis extantibus proximus hæres non eſt (§. h.). *Alia* eſt *ratio*, *ſi quis Princeps ſibi ius ſucedendi reſeruauit*, *ſi quando accideret, vt ceſſionarius ante eum moreretur.* Tunc enim fingere licet, ac ſi cedens ſemper retinuiſſet poteſtatem ſuam; quod ſi autem eam retinuiſſet, non poſſet alius quis tamdiu poſtulare ſucceſſionem, quamdiu is, qui retinet imperium, in vivis

eſt:

eſt: quapropter etiam *in ceſſione, ſub pacto reſeruatiuo facta, cedens ſuccedit ceſſionario, proximioremque ceſſionario cognatum excludit.*

§. 220.

Renunciationes obligant renunciantes horumque liberos naſcituros et natos: ſed pro diſtinctione Regnorum, illorum et populi conſenſus neceſſarius eſt aut non eſt.

Ab ceſſione imperii poteſt ſecerni renunciatio in ſucceſſionem regni, quæ conſiſtit in declaratione voluntatis de iuribus ſuccesſionis in regnum, quæ alicui competunt, in alium, qui itidem aliquod ſuccedendi ius posſidet, transfundendis. Hinc *renunciatio extorta ab hoſte aut populo, in fauorem extranei, non eſt renunciatio vocanda, ſed* potius *depoſitio* ſeu *detbroniſatio*, quæ non obligat (§. 29.). Atque vero cum in eum, qui ius ſuccedendi ſibi quæſitum iam habet, transferre poteſtatem ciuilem liceat (§. 217.): multo magis *licebit* ſpem accipiendi poteſtatem ciuilem, i. e. *ius ſucceſſionis transferre in eius generis perſonas, quibus quæſitum ius eſt, ſi quando eos ordo tangit.* Hoc autem idem ſibi vult, quod renunciare *(vi def.), quare pro firmato ſtant renunciationes.* Quæ Theſis potisſimum contra Gallos, qui validitatem renunciationum negant, notatu digna eſt. Si

 quis

quis velit ancipites vias rationesque et pro renunciationibus et contra easdem diſputandi percipere, is legat varios de renunciationibus autores, quos IOHANNES SCHILTERVS *2. Tomis edidit Argentorati 1701. et 1702. 4.* Eſt inter ſcriptores de eo maxime controuerſia, vtrum etiam pro liberis et reliquis deſcendentibus renunciare valide Princeps queat. Cuius generis renunciationis illuſtre exemplum eſt in LVDOVICO IX. Francorum Rege, pro ſe liberisque ſuis renunciante iuri, quod per BLANCAM in Caſtellæ regnum habere poterat apud MARIANVM *Libr. 13. cap. 18. conf. L'Hiſtoire de France du Pere* DANIEL, *Tom. 3. pag. m. 149.* Vt in ſententiam GROTII de *I. B. et P. Libr. 2. cap. 7.* §. *26.* deſcendam, in hac cauſa controuerſioſa, me haud pœnitet, vbi *in hereditariis* (ſcil. regnis), inquit, *qui ius a ſe abdicat, in liberos nihil poteſt transferre. At in lineali ſucceſſione patris factum nocere non poteſt liberis natis, quia ſimul atque exiſtere cœperunt, ius proprium eis quaeſitum eſt ex lege: ſed nec naſcituris, quia impedire non poteſt, quin ad illos quoque ſuo tempore iuspertineat ex populi dono. Eſt enim ea transmiſſio neceſſaria non voluntaria, ad parentes quod attinet. Illud intereſt inter natos et naſcituros, quod naſcituris nondum*

quae-

quæſitum ſit ius, atque ideo auferri iis poſſit populi voluntate, ſi etiam parentes, quorum intereſt ius ad filios tranſire, ius illud remiſerint : quo pertinent ea, quæ de derelictione ſupra diximus. Quod in regnis hereditariis ſeu *patrimonialibus is, qui renunciauit iuribus ſucceſsionis* aut imperii, *nihil poſſit transferre in liberos*, iſtud manifeſtum eſt ex ea, quam de regno patrimoniali formauimus, notione (§. 205.). E contrario autem, quod *in regnis, vbi linealis ſucceſsio viget, patris factum non poſſit nocere liberis nec natis nec naſcituris*, iſtud intelligere datur ex pacto regni fundamentali, quo ſucceſsio ordinatur, quod a iuris publici doctoribus lex ſucceſſoria ſeu ſuccesonſiis compellari ſolet. Quæ lex ſucceſsionis quoniam pacto populi cum Principe nititur, et pars legis fundamentalis eſt (§. 61. 66. et h.) : facile colligitur, quod æque minus hæc lex ſucceſſoria facto Principis ſolo mutari poſſit, adeoque nec renunciatione liberis aut iam natis aut naſcituris ſucceſſio adimi, vti nec pacta in genere et ſigillatim leges fundamentales (§. 66.). Potius cum leges fundamentales mutuo imperantis parentiumque conſenſu mutandæ (§. eod.) : etiam lex ſucceſsionis, populi et imperantis voluntate, mutanda, atque adeo iis liberis no-

 ciua

ciua renunciatio poteſt eſſe, qui nondum nati, quibusque adeo nec quæſitum ius ſuccedendi eſt, non vero iam natis, vt volunt *les Entretiens, dans lesquels on traite des Entrepriſes de l' Eſpagne;* propterea, quod in iis regnis, vbi ſucceſſio linealis obtinet, liberis natis, ſimulatque exiſtere cœperunt, quæſitum ius ſuccedendi eſt, quod nullo pacto ipſis, adeoque nec parentis renunciatione, nec populi voluntate auferri poteſt (§. 210.). Ea, *quæ hic de renunciationibus diximus, accommodari poſſunt ad introductionem iuris primogenituræ:* ſcil. in regnis patrimonialibus introducere arbitratu ſuo Princeps primogenituram poteſt, in reliquis regnis non patrimonialibus conſenſu populi opus eſt, atque ſi liberi exiſtunt, etiam eorum conſenſus opus eſt, ob easdem, quas de renunciationibus dedimus rationes. Sciendum autem, quod *etiam tacitus populi et liberorum natorum conſenſus ſufficiat ad validitatem et renunciationis et introductionis iuris primogenituræ,* (*arg.* §. 32.).

§. 221.

Electio eſt modus transferendi et acquiren-

Pro variis Rerumpublicarum formis et ſpeciebus variant quoque maxime tituli transferendi ciuilem poteſtatem. De modis transferen-

ferendi regna hæreditaria egimus: progrediamur ad eas cauſas, quæ in regnis electiuis imperantem efficiunt. Ex definitione vero horum regnorum, (§. 213.) data, elucet, quod in eiusmodi regnis imperans iura imperii ex electione deriuare debeat: ſiquidem ea in translatione imperii in aliquem, a ſuffragantibus electoribus facta, conſiſtit. Ac quoniam penes electores ius reſidet in locum deficientis imperantis alium conſtituendi, i. e. eligendi (§. 213.): penes eosdem etiam ſit ius transferendi poteſtatem ciuilem neceſſe eſt (§. 23.). Quare *qui Princeps in regno electiuo non eſt electus, aut non iuſto modo, ille exercet poteſtatem ciuilem nullo iure, adeoque imperans haberi nequit, verum vſurpator* (§. eod.). E contrario *ſtatim a tempore electionis electus legitimus imperans ſit*: dum electione in eum transfertur poteſtas ciuilis (§. h. et 23.). Porro ex dictis colligo, quod, ſi electione transferri imperium debeat, ſedes imperii vacans ſit oporteat. Namque ſecundum ea, quæ diximus, penes electores facultas reſidet in locum deficientis imperantis alium conſtituendi (§. 213.): tunc autem ſedes imperii vacans dicitur, quando imperans

di Regnum electiuum legitimus: ſtatim a tempore electionis electus legitimus imperans eſt.

perans eſſe deſiit, et in nullum adhuc poteſtas ciuilis, vt eam iure proprio exerceat, translata. *Quandocunque* itaque *ſedes imperii non vacat: tunc translatio imperii electione fieri in alium nullo pacto poteſt.* Proinde cum eo tempore, quando deſignatur ſucceſſor, imperans non deficit: *non* quoque *ea electione, qua futurus ſucceſſor deſignatur, poteſtas ciuilis transfertur*: ſed hæc *deſignatio duntaxat largitur deſtinato ſucceſſori ius quaſitum ſuccedendi*, imperante deficiente, *niſi* præterea iura imperii *ex imperantis concesſione* exercenda accipiat, *aut leges fundamentales illi certa dant imperii iura* Maieſtatemque. Ex quibus facili negotio iura Regis illius Romanorum, qui nondum vacante imperio eligi ſolet, diiudicari queunt.

§. 222.

An Electores ſoli Leges fundamentales conſtiendi habeant facultatem?

Quoniam Electores facultatem ſurrogandi in locum deficientis imperantis, nec quidquam aliud, ex iure publico vniuerſali habent (§. 213.): facili negotio colligi poterit, quod *ad Electores, qua Electores, nec quidquam aliud iuris prater ius electionis pertineat* (§. 221.); *niſi* ſingulari lege aliquid ipſis datur, vt Electoribus imperii nonnulla præcipua iura in A. B. imprimis

cap.

cap. 20. conceſſa. *Hinc* generatim electores, qua electores, *ſoli leges fundamentales conficiendi non habent facultatem : niſi* penes ipſos poteſtas ciuilis, durante interregno, quod eſt, quando regnum vacat, reſideat. Atque vero cum in imperio in comitiis, i. e. ab omnibus ſtatibus, ſumma poteſtas ciuilis, durante interregno, vt cuique notum, exerceatur: facile concipitur, quod *Electorum imperii non* ſit *ius priuatiue* legem fundamentalem, quam *capitulationem* vocamus, *conficiendi*, niſi hanc ipſis facultatem conceſſam lege eſſe oſtendatur, aut obſeruantia probetur (§. 141. et 143.). Quibus ex principiis, *num iure quodam ſuo ſtatus poſtulare potuerint*, *vt in comitiis perpetua capitulatio conficiatur*, diſceptare licet. De qua capitulatione perpetua ſcite perquam atque enucleate diſputauit illuſtribus diſciplinis pereruditus, Regis Magnæ Britanniæ a conſiliis intimis, Dominus GERLACHVS ADOLPHVS DE MVNCHHAVSEN, quem iam quidem ſine ſumma reuerentia cogitare non poſſum.

§. 223.

An liceat mutare leges fundamentales et naturam

Penes quos eſt legislatio, penes eosdem etiam eiusdem mutatio (§. 44.). Proinde ſi lex fundamentalis mutanda venit, illa mu-

Regni fundamentalem et quibus licitum? tatio ad eos, qui eam conſtituerunt, pertinet. Ex quo deſumi rationes queunt, *vtrum ſtatus imperii ius adcapitulandi recte poſtulent, nec ne?* Porro, quoniam lege fundamentali ſtructura et forma Reipublicæ nititur (§. 62.), conſequitur, vt et *ſtructuram Reipublicæ, ſeu* quod idem, *naturam fundamentalem regni mutare iis liceat, et* ex conſequenti *ex regno electiuo ſucceſsiuum, atque ex ſucceſsiuo electiuum facere, quibus ius eſt mutare leges fundamentales.* Exinde quoque potuerunt Germani, poteſtatem ciuilem, vacante imperio, habentes, poſt extinctionem lineæ Carolingicæ aliam quandam formam imperii introducere, et ex arbitrio Germanum ſibi Regem ARNVLPHVM præ Franco deligere (§. 213.).

§. 224.

Ille tantum poteſt ad ſucceſſionem Regni vocari aut eligi, cui conueniunt requiſita, quæ leges fundamentales poſtulant: ali- Quandoquidem electores ius transferendi poteſtatem ciuilem poſſident (§. 221.): conſequitur vt *is, qui ius poteſtatem ciuilem acceptandi habeat, eligi queat.* Illi vero ius accipiendi imperium eſt, *cui ea ſunt dotes, quas leges fundamentales et rectio Reipublicæ requirunt.* Idem *accommodari ad regna*

regna ſucceſſiua poteſt: ſcil. quod *as excludi-*
is tantum legitimus imperans ſit, *tur.*
ſeu quod idem *ſuccedendi ius habeat iure hereditario, in quo concurrunt requiſita, quæ leges fundamentales poſtulant.* Quem itaque deficiunt ea, ille iure excludi a ſucceſſione poteſt ab iis, qui poſt talem Principem ius ſuccedendi habent proximum. Inde, cum lex in Anglia lata, quod Reges eſſe debeant addicti religioni proteſtanti, ut probat *Acte du Parlement paſſé 18. Mart. 1702.*, domus Hanouerana ex hoc fundamento præ aliis in regnum Magnæ Britanniæ et Irlandiæ ſucceſſit iure ſuo, dum hic præ aliis huius legis fundamentalis requiſitum aderat. Ex quo etiam quæſtio decidenda: *an ii, qui ſecundum patria leges non ſunt nati, v. g. naturales, nothi, ſpurii, ſuccedendi ius habeant?* Quod *recte negat* GROTIVS *Libr. 2. cap. 7. §. 16. in ſucceſſione naturali: aliter* vero *eſt in mere hereditaria,* ſeu mere patrimoniali, etiam ex ſententia GROTII *dict. cap. §. 12.* Namque eiusmodi regna abalienari (§. 207.), i. e. transferri poſſunt in quosuis (§. 205.), ideoque et in nothos: qualis ſucceſſio quod acciderit in regno Neapolitano ex hiſtoria notum. Addas ſucceſſionem ANTONII in Luſitaniæ regnum. Quod ad ſucceſſionem Re-

gum

gum Francorum Merouingicæ familiæ *conf.* TITIVM *Libr. 2. T. de filiis Regum.* Quid in candidato imperii, leges imperii requirant, et ſigillatim, an Germanus eſſe debeat, de eo habemus *ein Bedencken über die Frage, ob jemand anders als ein gebohrner Deutſcher, zum Römiſchen Kayſer dürffe und ſolle erwehlet werden*, quod eſt inter LVNIGII *Script. illuſtr. p. 39.* Secundum ea, quæ diximus (§. 221.), et etiam ſecundum principia hic poſita, *electus legitime ſtatim a tempore electionis legitimus imperans habendus* (§. 213.). Recte itaque ſub LVDOVICO BAVARO, Imperatore, decretum eſt *Renſæ* factum, quo cautum, vt electus in Germania ſtatim pro legitimo Imperatore haberi debeat: quod *decretum Renſenſe* videre eſt in GOLDASTI *Conſtit. Imper. Tom. 3. pag. 409. et in* AVENTINO *Libr. 7. cap. 18.*

§. 225.

Nouus imperans per nouam ſemper electionem ſuccedens ponit regnum electiuum: quid pactum de ſuffragio

Imperans omnis *in regno electiuo* ſuffragio electorum conſtituitur (§. 213.). *Non* igitur in eo *fieri imperans nouus poteſt, niſi eligatur*: ob eamque cauſam *continuare* electus imperans *nequit imperium iure hæreditario ad prolem* ſuam; quod proprium regni hære-

hæreditarii eſt (§. 213.). Ac ſic quidem videre licet, quid ſit cauſæ, cur in regno electiuo *poteſtas ciuilis* ad finem vſque vitæ duntaxat duret, et adeo *perſonalis* ſit: in hæreditario vero ea quoque ad hæredes transeat, ſine vlla ordinum optione. Inde quoque ratio petenda, cur hoc fieri in regnis electiuis et oporteat, et opus ſit, vt *ſi regnum permanere electiuum debeat, noua electio toties facienda ſit, quoties nouus imperans ſuccedit, quamuis ratio ſtatus poſtulet, vt imperium continens hæredes habeant.* Quanquam itaque ab ALBERTO II., Imperatore, vsque ad hodie glorioſiſſime regnantem IMPERATOREM CAROLVM VI. imperialis dignitas et poteſtas ad hæredes Imperatorum ſine vlla interruptione aliorum tranſiit: tamen quoniam ſemper electio præceſſit, *imperium germanicum genuinum regnum electiuum* quo minus haberi poſſit, nihil impedit, atque haud ſcio, an dubitari queat de hac regni germanici natura fundamentali. Nec eiusmodi naturam regni fundamentalem tale pactum, quale Domus Auſtriaca cum electorali Hanouerana confecit de ſuffragio hæredi Auſtriaco ſemper dando, mutat, etiamſi iſtud inter omnes Electores conueniſſet: propterea quod, quamuis eiusmodi pactum adſit, tamen

hæredibus dando faciat.

men regnum ſuffragio mandandum Principi, de quo conuenit; quod nota certa et propria regni electiui eſt (§. 210. et h.).

§. 226.

De effectibus iuris deſignandi ſucceſſorem eligendum.

Quoniam imperans perceptas penitus et pertractatas regni res habere ſolet: hoc quoque fieri fere ſolet, vt ſcientior etiam aliis ſit, qui præ aliis probe affectus ad imperantis munus fungendum. Quibus rebus adducti *electores interdum imperanti ius deſignandi ſucceſſorem conceſſerunt*, quod *in eo nititur*, vt imperans aliquem, qui ipſi dignus videtur, electoribus ad eligendum tradat: quorum partes tum ſunt, vt eum deligant, ſi nullam idoneam cauſam recuſandi inueniant. *Num hocce ius inter iura imperatorum Germanicorum referendum*, iſtud ex hiſtoria iuris publici Germanici declarandum et planum faciendum eſt. Certe ſi iſtud ius probaretur: noſtri MAGNI IMPERATORIS valde intereſſet, hocce quidem tempore, vt deſignaret ſucceſſorem imperii eum, quem iamiam Europa omnis ſuſpicit.

§. 227.

An dentur Regna ele-

Sunt, qui ſtatuunt dari regna partim ex electione, partim ex ſucceſſio-

ceſſione hereditaria mixta, *inter-que ea referunt Rempublicam Germanicam tempore Carolingicorum præcipue.* Quam quidem Reipublicæ ſpeciem ita deſcribunt, vt hæres defuncti imperantis non præteriri queat in electione, ſi ad regnandum aptus: qualis *ſucceſſio ex comi obſeruantia* vocatur apud AIMONVM *Libr 4. cap. 1.* eandemque appellat *olitanam conſuetudinem* CAROLVS CALVVS in *Capitul. tit. 30. cap. 1.* apud BALVZIVM *Tom. 2. pag. 133.* verba ſunt: *ex olitona* (i. e. priſca) *conſuetudine in Francorum regno*, *Reges ex genere prodeunt.* Ex quo ratio quodammodo reddi poteſt, cur ſingulares periodi Imperatorum Carolingicorum, Saxonicorum, Franconicorum, Sueuicorum, et tandem vsque ad nos Auſtriacorum extiterint: quarum familiarum quilibet Imperator velut hæreditate regnum Germanicum a ſe ad proximum hæredem, ſi quis extitit, dignus, opitulante electione, transtulit. Viciſſim vero Germani, regnatrice familia extincta, imperium alii tradiderunt arbitratu ſuo, idque iure. Deficiente enim familia regnatrice populus ſui iuris fit, id eſt, poteſtatem ciuilem recipit (§. 23.): eamque adeo in quamuis perſonam ſingularem aut famili-

ctiua ſucceſſione hereditaria mixta? quando imperium redeat ad populum?

am aliam transferre poteſt (§. 71.). In qua ſententia conſentientem habeo GROTIVM de *I. B. et P. Libr. 2. cap. 7. §. 15.* qui præterea hanc rationem profert, *quod familia ob nobilitatem electa cenſeatur, eaque finita regnum redire ad populum debeat*, ſcil. hæreditarium aut etiam electione mixtum: regnum vero pure electiuum, perſona extincta, redit ad populum, ob regni electiui naturam (§. 213. et 225.). Idem, *quod ad regna hæreditaria, comprobat conſtitutio regni Hungariæ* de anno 1687., nec non decretum Poſonienſe de anno 1723., in quibus diſpoſitum, quod familia Auſtriaca finita vtriusque ſexus, tunc auita et vetus approbata conſuetudo in electione Regum ſuum locum habeat. Quid hoc ſibi vult aliud, quam vt tunc regnum redeat ad populum, qui poteſtatem ciuilem in eum, quem eligere placet, transferre queat. *Quæ* ſi *accommodamus ad imperium germanicum:* populi Germaniæ, extincta anno 911. Carolidarum familiæ regnatricis ſtirpe, ſui iuris facti ſunt, etiamſi Germania regnum hæreditate mixtum tunc temporis fuiſſet. Extincta enim domo regnatrice imperium ad quemcumque populum ſeorſim revertitur, GROT. *Libr. 1. cap. 3.* §. *2.* et ita optare ſibi populus arbitratu ſuo alium poteſt, adeoque

et

et Germani iure ſecundum CONRADVM ad Saxonicos, Franconicos, Sueuicos, Habsburgicos, Luzelburgicos et Auſtriacos Principes imperium transferre potuerunt. Atque *hæc videnda* eſſe quoque cenſeo *in demonſtratione legitimæ translationis imperii Germanici a Francis*, quam Galli in dubium vocare ſolent.

§. 228.

Deceſſorum in Rep. facta publica præſtanda: quando priuata etiam.

Quod deceſſoris factum omnes præſtare tuerique debeant ſucceſſores regni non electiui minus, quam hæreditarii, argumentis vtor hic ad probandum magis *ſpecialibus*, quam quæ iam ſupra (§. 31.) in medium protuli generatim. *Quod ad hæreditarii regni Principem de illo in aperto eſt*, quod repræſentet populum ſiue Rempublicam ſuam, proque vna perſona Princeps et populus habeatur, factisque adeo ſuis obliget populum ſiue Rempublicam (§. 31.). Proinde in quod obligatus eſt imperans, qua imperans, in iſtud etiam Reſpublica: quamdiu igitur durat Reſpublica, tamdiu durant Reipublicæ obligationes. Reſpublica autem quælibet tamdiu permanet, quamdiu ſocietas conſeruatur imperantium et parentium (§. 2.). In regno hæreditario non fingi poteſt momentum, quo imperans et parentes

non exiſtant: ex conſequenti non interit aut moritur regnum hæreditarium morte regis (§. eod.), ſed ſucceſſio fit ſine ulla interruptione. Hinc, cum anno 1560. FRANCISCVS nondum finitis comitiis moreretur, ordines eadem continuarunt: addita cauſa, quod lege regni (*Gallicani*) viuus mortuum excipiat, et continuata poſſeſſione regnum ſine interruptione transmitti videatur, teſte THVANO ad *dict. annum p. 27.* LIMN. ad *Capitul.* RVDOLPHI *II. art. 31.* Ob eandem rationem curiæ et ceteri Magiſtratus mortuo rege continuant munera ſua, nec lugubri veſte vtuntur, quantumuis confirmatio accedere ſoleat, teſte BODINO de *Republ. Libr. 4. Cap. 3.* Quod aliter eſt *in regnis electiuis*, vbi iurisdictio tamdiu ſuſpenſa manet, donec nouus Rex electus, vti conſilium aulicum imperii tamdiu iurisdictionem ſuam non exercet, donec imperator electus. Ob eamque cauſam *nec regnorum obligationes morte regis perimi queunt:* quas ergo ſucceſſor regni ob vnitatem perſonæ cum regno præſtanda habet (§. 31.). Ac quamuis in regnis electiuis aliquid interualli detur, quo ſucceſſor non exiſtere ſolet, interregni tempore: attamen cum deceſſor factis Reipublicæ nomine ſuſceptis Rempublicam obligatione tenuerit (§. 31.),

et

et interregni tempore vicarii eſſe ſoleant, qui munia imperantis in ſe ſuſcipiunt, atque ita Reipublicæ ſtatum continuant: intelligere datur, quod quoque interregni tempore regnum electiuum ſiue Reſpublica permaneat (§. 2.), quamuis Princeps ad exitum vitæ vocetur. Permanente vero Republica, permanent etiam eiusdem obligationes: quare ſucceſſor, qui electione Rempublicam adipiſcitur eo ipſo perdurantes reipublicæ obligationes et ex conſequenti ſi hae obligationes ex facto deceſſoris profectæ ſunt, deceſſoris facta etiam in regno electivo ſunt a ſucceſſore præſtanda (§. 31.). Ab iſto capite fluere neceſſe eſt, quod *æs alienum, ab deceſſore Reipublicæ cauſa contractum, a ſucceſſore ſoluendum, omniaque pacta et iuramenta deceſſoris publica ſeruanda ſint*, niſi ſint perſonalia, aut aliud quid inter ſucceſſorem et eos, quibus deceſſor fidem ſuam obligauit, convenit. *In quibus caſibus, an promiſſis et contractibus perſonalibus deceſſorum etiam ſucceſſores teneantur, ex eo pendet, num ſucceſſores omnium ſimul bonorum ſint heredes, an in ius regni tantum ſuccedant*, GROTIVS de *I. B. et P. Libr. 2. Cap. 14. §. 10.* In illo caſu vicem defuncti in omnibus obligationibus, priuatis quoque et perſonalibus, ex ea parte, quatenus bona defun-

ĉti ſufficiunt, ſuſtinere ſucceſſor tenetur, quippe hæredem cuiuspiam eſſe nihil ſibi aliud vult, quam intrare in iura et obligationes defunĉti. Regni duntaxat ſucceſſores non obligati in promiſſa perſonalia aut priuata anteceſſoris ſunt, quia ἐμμέσως, id eſt, per interpoſitam ciuitatem, tales ſucceſſores obligantur, vt etiam habet GROTIVS de *I. B. et P. cit. Libr. et cap.* §. *11.* et ego (*hoc §o*) iamiam demonſtratum dedi; ciuitatem vero aĉtibus tantum publicis principis non priuatis adeo obligatum teneri (§. 31.) oſtendi: inde direĉte, hoc eſt, ἀμέσως, ſucceſſores regni, qua tales, nón obligari vllo deceſſoris faĉto aut reali aut perſonali, aut publico aut priuato, ſatis eſt manifeſtum; faĉtis vero priuatis aut perſonalibus ne ἐμμέσως quidem. Quibus fundamentis iaĉtis, iudicari facili negotio poteſt, *in quibus caſibus priorum Principum nomina ſucceſſor exſoluere teneatur aut minus.* Exempla, vbi id ſucceſſores recuſarunt, in medium profert BODINVS de *Republica Libr. 1. Cap. 8.* §. *neque enim:* quæ diſceptare exinde poteris. Hinc diiudicari quoque ea poſſunt, quæ habet GVILIELMVS CAMDENVS *in Annalibus rerum Anglicarum et Hibernicarum* regnante ELISABETHA *Part. IV, ad annum 1595.* Quandoquidem ergo a ſuc-

ſucceſſore regni, tam electiui quam hæreditarii, facta, quæ ad Rempublicam pertinent, omnia præſtanda ſunt ſine diſtinctione; reliqua certis diſtinctionibus adhibitis: multo magis *Reſpublica Ariſtocratica et Democratica factis Principum ciuitatis* ſeu *primorum obſtricta ſemper tenebitur*, adeoque et ſucceſſores eorum, ob eandem cauſam, quam, cur ſucceſſores regni hæreditarii facta anteceſſorum præſtare teneantur, in (*hoc* §.) attulimus. Ex iisdem rationibus ex ſententia GROTII de *I. B. et P. Libr. 2. Cap. 9.* §. *8. non deſinit debere pecuniam populus, rege ſibi impoſito, quam liber debebat:* non vero ex ratione, quam eodem loco adducit, quod idem populus ſit, et dominium retineat eorum, quæ populi, imo et imperium in ſe retineat; quippe huius ſuppoſiti falſitatem ſupra deteximus (§. 80.).

§. 229.

Iura a Principe defuncto, Reip. acquiſita, Succeſſor, continuare legitime poteſt.

Vt onera obligationum, quibus deuincti deceſſores fuerunt, premunt ſucceſſores (§ 228.): ita ſimillime *vtilitates et emolumenta adipiſcuntur hæredes regni ex iuribus ab deceſſoribus acquiſitis*. Etenim, quoniam imperans cum republica vna perſona habetur (§. 31.); perſona vero ex

ſtatu, ſtatus ex iuribus diiudicatur, vt indicant et perſonæ et ſtatus definitiones (§. 35.): comprehendere animo facile licet, quod in quantum quis cum altero vna perſona habeatur, in tantum iura eadem ſint oportet. Atque ita videmus, quomodo hoc ſit conſequens illi, quod *ea iura, quæ imperans acquiſiuit, Reipublicæ, quam regit, acquiſita cenſenda ſint* (§. 31.). Inde diſſoluenda quæſtio, *vtrum* OTTO I. *iura imperii Romani acquiſita, regno Germaniæ acquiſiuerit, an familiæ ſuæ?* Quoniam ergo Reipublicæ iura acquiruntur a Principe: non poteſt non ſucceſſor illius Principis, qui iura Reipublicæ importauit, iura, Reipublicæ quæſita, conſequi, eſt enim ſucceſſor regni is Princeps, qui poſt alium intrat in iura Reipublicæ, et actiua et paſſiua, vt loqui ICti amant. Exinde colligas rationem, cur in omnibus Rebuspublicis ſuceſſor ſemper iura ab anteceſſoribus acquiſita aut exercita continuare queat, vti quoque videmus in noſtro imperio iura imperii ab vno imperatore ad alium continuata.

§. 230.

De iure prætenſionum: prætenſiones tranſeunt Inter iura ad ſucceſſores tranſeuntia referendæ quoque prætenſiones ſunt; nam quoniam *præten-*

tenſiones ſunt iura in res ab aliis poſſeſſas, et iura deceſſoris, qua imperantis, generatim acquirit ſucceſſor (§. 229.): *prætenſiones* quoque *ſucceſſor a ſuo deceſſore in ſe deriuare poteſt*, *ac quidem* prætenſiones *cuiusuis generis*, *quando ſucceſſor* non in ius regni ſolum ſuccedit, ſed *heres etiam omnium ſimul bonorum* eſt (§. 228. et 229.). Hoc ſtudium prætenſionum, quia nec vlla fere gens eſt, quæ non iura in rebus ab aliis poſſeſſis contendat habere, maxime, vt meretur, commendat Autor *Diſcurſus de ſtudio iuris publici vniuerſalis, et prætenſionibus illuſtribus* Sub iure publico vniuerſali autem intelligit hic Autor iſtud, quod ſuo ambitu prætenſiones Principum ac Rerumpublicarum complectitur, vt circa finem huius Diſcurſus videre licet. *Quamdiu* itaque voluntas Principis aut Reipublicæ adeſt, iura in res ab aliis poſſeſſas ſibi conſeruandi: tamdiu quoque *durant prætenſiones* (§. 210.). Quæ *voluntas ſibi reſeruandi prætenſiones*, *declarari ſolet* aut *per proteſtationes*, *ore pronunciatas*, quod nouiſſime accidit a nuncio Apoſtolico contra occupationem Parmæ, nomine Infantis Hiſpanici factam, aut *per ſcripta*, quæ iuſſu illius, qui aliquod ius prætenſum habet,

ad Regni tam electiui, quam hereditarii ſucceſſores.

de eo iure perficiuntur. Quale exemplum THVANVS *Libr. 74. Hiſtor. ad annum 1581.* de LVDOVICO GONZAGA NIVERNO refert, qui ſcriptum de iure uxoris prætenſo in Brabantiæ, Limburgi, Antvverpiæ Principatus, edi curauit, ne ſibi per ſilentium præiudicium faceret. In more poſitum eſt quoque *prætenſiones per aſſumtiones titulorum indicare*, vt alios modos taceam notiores. Qua de re eximias obſeruationes habet THOMASIVS in *Specimine iurisprudentiæ iudicialis ex iure naturæ et Gentium exhibitas in exemplis de variis Gentium negotiis et controuerſiis cap. 7. de prætenſionibus.*

§. 231.

Proteſtationes et tacitæ et expreſſæ conſeruant prætenſiones. Quod proteſtationes conſeruent ius proteſtantis, et ex conſequenti eiusdem prætenſiones (§. 230.), ex *proteſtantis definitione* erui poteſt: quippe quæ interponi dicitur, quando ſignificatio diſſenſus ſignis externis, i. e. verbis aut factis fiat, ſi ius aliquod, ad nos ſpectans, alter ſibi tribuere intendit. Atque vero cum ibi, vbi diſſenſus, conſenſus non deprehendatur: facile colligitur, quod is, qui proteſtatione vel tacita, v. g aſſ mtione tituli, vel expreſſa, vt puta contradictione, vtitur aduerſus alterum, illius conſenſus non adſit, quod ius ſuum

in

in alterum translatum habere velit, ſine conſenſu vero, ſiue ſit expreſſus ſiue tacitus, ius nullum in alium transfertur, i. e. noſtrum non fit alienum (§. 210.); vel vt GROTIVS *Libr. 2. Cap. 6.* §. *1.* exprimit: *acquiſitione deriuatiua noſtrum fit aliquid facto hominis* (i. e. actu voluntatis ſeu conſenſu) addit, *aut legis*, cui ciues voluntatem ſuam et conſenſum ſubdere tenentur; adeoque voluntas legis voluntas et conſenſus ciuium haberi poteſt, et ex conſequenti vno verbo dici poteſt, ſine voluntate noſtra, ſeu conſenſu, noſtrum non fit alienum. Quocirca *illud ius, quod alter exercet, et contra quod proteſtamur, permanet noſtrum;* permanſio autem alicuius rei, eiusdem rei eſt conſeruatio: hinc *proteſtatione*, v. g. ſumtione titulorum, aut contradictione, iuſſu Principis aut ore aut ſcriptis interpoſita, *conſeruantur quoque iura Principum et Rerumpublicarum ea, quæ alii re habent*, i. e. prætenſiones, et *ſucceſſoribus proficua ſunt* (§. 230.). *Exemplum* ſolennis proteſtationis, *a legato Burgundico* contra *artic. 13. pacis Weſtphalicæ* interpoſitæ, reperitur in LONDORPII *Tom. VI. Act. publ. Libr. 4. Cap. 8. p. 425. et Cap. 11. p. 431. ſeq.* Exemplum quoque legitimæ proteſtationis ſolennis, quæ conſeruatiua iurium *Domus Lotharingicæ* eſt, proteſtatio eſt RENA-

TI II., Ducis Lotharingiæ, contra vnionem prouinciæ cum regno Galliæ anno 1486. quia *ius vnionis* ex ſententia GROTII *Append. Ep.* 738. eſt ius *a Gallis fictum*, cui aliarum Gentium nullæ aſſentiuntur, nec aſſentiri poſſunt. Si vera eſt *deſcriptio Grotiana*, quod vnione excludantur ii, ad quos alioquin venire debeat hæreditas. Hac enim vnione ius alteri quæſitum ſuccedendi ſine ipſius conſenſu aufertur, quod iure nullo fieri poteſt (§. 210.).

§. 232.

Ope et nomine Regni acquiſita a Rege, Regno acquiſita ſunt non familiæ Regis.

Hic locus videtur eſſe pertractandi quæſtionem tractatu ob id dignam, quod in iurepublico imperii agitatur, ſcil. *vtrum imperans, ſi quid opibus Reipublicæ, quam gubernat, acquiſiuit, iſtud cenſendum ſit Reipublicæ acquiſiuiſſe, an familiæ ſuæ?* Sumenda reſponſio ad hanc quæſtionem eſt ex eo, quod imperanti ius tantum ſit omnia, adeoque et fundatas Reipublicæ opes, ad Reipublicæ conſeruationem ſalutemque adhibendi (§. 28. et 85.). Quare ſi Princeps opibus Reipublicæ vſus eſt, illas adhibere debuit ad Reipublicæ emolumentum, non ad alium finem, atque ita *ſi iuribus aut terris Princeps ope Reipublicæ potitus eſt*, de iure *non ſibi familiæque ſuæ*, ſi rationes a Republica ſe-

pa-

paratas habet, *ſed Reipublicæ quæſita atque collecta ſunt.* Quibus ex rationibus perſolutum ζήτημα eſt, *vtrum* OTTO I. *Imperator familiæ potius, an Reipublicæ Germanicæ iura imperii Romani quæſiuerit.* Ac quidem ex HERMANNO CONTRACTO, LAMBERTO SCAFFNEBVRGENSI, SIGEBERTO GEMBLACENSI *ad annum 961. 962. et 963.* hæc res non coniectura, ſed oculis tenetur, quod OTTO profectus ſit ad bellum in Italiam cum valido exercitu, opibus Germanorum comparato, atque iura imperii Romani obtinuerit. Quin etiam pactionis formula cum Papa facta, quam exhibet, vt antiquiores taceam, THEODORICVS de NIEM *de Inueſtitura Epiſcoporum Regum Teutonicorum, pag. 249.* ſignificantius conſignantiusque dicit: *quod æterno iure cum Germanorum regis dignitate imperatorium nomen coniunctum eſſe debeat, omniaque bona imperio ſubeſſe Regum Germaniæ.* Quis igitur dubitabit, quod iura imperii Romani Reipublicæ Germaniæ non quæſita ſint? Quod principium, quod a rege acquiſita regno acquiſita ſint, *potiſſimum in Gallia obtinet;* certe hæc eſt ratio, cur, ſi etiam nouæ terræ acquiſitæ bello aut alio modo a Rege fuerunt, earum titulus non inſeratur titulo Regis, vti moris eſt apud reliquos Eu-

ropæ

ropæ reges et Principes, ſed ſub vocabulo regni Galliæ comprehendatur. Sit hic mihi licitum quærere, *num, ſi Princeps ex bonis familiæ Reipublicæ gratia aliquid impendit illud Reſpublica debeat Principis familiæ?* Debere Rempublicam cenſendum eſt ob rationes in (§. 216.) contentas. Scilicet ſi impenſas alterius gratia facio, et illæ mihi non reſtituuntur, minus habeo meo et adeo damnum patior (eod.). Hinc impenſæ Reipublicæ gratia a Rege factæ ex poſſeſſionibus hæreditariis Regi eiusque familiæ et ſucceſſoribus reſtituendæ, niſi ex circumſtantiis aliud euinci poſſit. Ex quo quæſtio explicari poſſet, ſi quis eam poneret: *an regnum Poloniæ debeat Electori Saxoniæ, hodie prudentiſſime regnanti, iſtud quod impenſarum defunctus Rex Poloniarum Auguſtus Regni Poloniæ gratia faciendas habuit ex Reditibus terrarum Saxonicarum hæreditariis.*

§. 233.

Quid ſub præſcriptione gentium intelligatur: ea imperanti contra parentes et v. v. competit:

Num ius præſcriptionis ſit iuris Gentium et publici vniuerſalis, numque adeo in acquirendis transferendisque iuribus imperii gentibus inter ſe, aut Principibus contra ſubiectos, ſubiectisque contra Principem vindicandum ſit, de eo agi-

agitatur inter ſcriptores iuris gentium et publici controuerſia. Ac quoniam verbi præſcriptionis eſt obſcuritas quædam ancepsque et multiplex poteſtas: ante omnia oſtendendum mihi eſt, quam habeat præſcriptio gentium veram ſignificationem. Sciendum autem eſt, quod iuris gentium et publici autores *ſub præſcriptione gentium* non ſolum præſcriptiones inter gentes diverſas *intelligant*, verum etiam inter ordines eiusdem gentis, ſcilicet inter imperantes atque ſubiectos, HVBERVS de *I. C. L. 1. S. 3. c. 9. n. 3.* His igitur rebus ſuppoſitis, nos *finimus* ita *præſcriptionem gentium*, quod vſu veniat, quando gentes, aut imperantes, aut parentes, ope poſſeſſionis, quidquam poteſtatis ciuilis, ad aliam gentem aut imperantem aut parentes pertinentis, ob eorum tacitum conſenſum ſibi vindicant. Conſenſu autem et expreſſo et tacito id, quod noſtrum eſt, omne, atque ita quoque iura imperii ad alium transferuntur (§. 231.). Sicut enim res aliæ, ita et imperia, adeoque et iura imperii ſingularia terræque, quibus talia iura inhærent alienari, id eſt, in alium transferri poſſunt, ab eo, cuius in dominio vere ſunt, vt ait GROTIVS de *I. B. et. P. L. 2. c. 6.* §. *3.* atque comprehendi

quando exempla iura publica Rerump. probent.

di ex (§. 34. 203. 205. 206. 207.) poteſt. Quapropter *cur non conſenſu tacito iura imperii transferri queant, adeoque præſcriptio inter gentes et Principes contra parentes, et inter parentes contra Principes locum habeat, nihil cauſa eſt*, inquam, cum GROTIO *L. 2. c. 4. §. 4.* Quoniam itaque præſcriptio, vti omnis, ita et gentium, cum translatione rei coniuncta, vbi autem eſt translatio iuris, ibi ab vna parte eſt acquiſitio, ab altera amiſſio iuris: ex TITIO in *ſuo iure priuato L. 2. C. 10.* licebit mihi accommodare diuiſionem præſcriptionis extinctiuæ, conſtitutiuæ et translatiuæ *Tacitus* alterius *conſenſus* ex eo *colligendus*, quando alius iura imperii in alienis poſſeſſionibus exercet, et alter, cuius inter eſt, non contradicit: cuius generis caſus euenire intuitu ſubiectorum poteſt, quando parent illius, quem non legitimum imperantem habent, poteſtati ciuili. Tunc enim ob neceſſariam obedientiæ et poteſtatis ciuilis relationem (§. 26.) re et ipſis factis non poſſunt non agnoſcere illius poteſtatem ciuilem, et ex conſequenti eum imperantem habere (§. 23.). De re tanta, tot controuerſiis implicata, multa verba facere iam non licet, ob id, quod fieri dictis compendium volo et præterea quæſtio de præſcriptioue inter gentes

tes ad ius gentium pertinet. Doctiſſimorum contentiones de hac re controuerſioſa iam extant: præ ceteris notæ ſunt VVERLHOFII *vindiciæ Grotiani dogmatis de præſcriptione inter gentes liberas,* maxime contrariæ diſſ. PIERRE DV PVT (PETRI PVTEANI), *que la preſcription n' a pas lieu entre les Princes Souverains.* Vt res ea de præſcriptione gentium, quæ in obſcuritate ac dubitatione fere omnium eſt, nobis ſatis ſpectata ſit, nobis hoc propoſitum eſt, aliquod tempus in cogitatione illius tam illuſtris materiæ ponere illamque in animo verſare, omnibusque veſtigiis indagatam ad eos, qui ad inueſtigandas huius generis res curioſiores ſunt, adferre. Iuſtus rerum æſtimator tunc iudicium cenſuramque facere poterit de ea quæſtione, quam ex induſtria modo nominatus PETRVS PVTEANVS in ſuo magno volumine, quod inſcripſit: *Le Traitè des Droits du Roy três-Chretien ſur pluſieurs Etats et Seigneuries poſſedées par divers Princes Voiſins, pag. 218.* ponit: num præſcriptioni locus inter ſummæ poteſtatis Principes ſit (*Si la preſcription a lieu entre les Princes Souverains.*). Exinde porro patebit, *num iura pratenſa Regis Galliæ in ditiones ab aliis Principibus longo tempore, ſine vlla contradictione, poſſeſſas, firmo nitantur fundamento.*

mento. Si quando doctrina iſta inter gentes liquide conſiſtit: tunc illæ *inanes de iure finium et pretenſionum lites, que non certe veritatis fundamento nixe*, velut in cinerem *euaneſcent.* Quanti videmus intereſſe omnium principum habere explicatam aut exploratam rationem præſcriptionis inter gentes: tam exploratæ vtilitatis eſt, perceptas penitus et pertractatas præſcriptiones inter ordines eiusdem gentis habere. Ac quoniam hæc propria iuri publico vniuerſali ſunt; intermittere non poſſum, quin iam ſingulatim perquiram: *num diuerſi ordines eiusdem ciuitatis ac precipue imperantes et ſubiecti contra ſe inuicem iura ſumme poteſtatis per preſcriptionem acquirere poſſint?* Quod ad ſubiectos attinet, num contra Principem præſcribere queant, nullam video rationem dubitandi, quod poſſint, ſi tacitus Principis conſenſus et ipſorum voluntas euidens ſit. Vbi enim præſcriptio locum habere debet, ibi interuenire oportet ex natura præſcriptionis tacitum conſenſum, id eſt dicere, pactum tacitum, atque voluntatem acquirendi (§. 32.). Atque vero cum populus, etiam pro complexione parentium ſumtus, velle poſſit (§. 70.), ſibique quæuis iura quauis pactione, adeoque et iura ſummæ poteſtatis, pactione tacita acqui-

quirere (§. 71. et h.): *ius* faſque *eſt* quoque *populo, contra Principem iura imperii ſibi præſcriptione adipiſci.* Quod ad Principem, quia ſupra (§. 32.) probare occupaui, quod conſenſu ſeu pacto tacito conſequi iura imperii aut omnia aut ſingularia queat, definitio præſcriptionis in (*hoc* §.) formata loquitur ipſa, quod *Principi contra populum iura imperii præſcribendi poteſtas* ſit. *Tacitus* in vniuerſum *conſenſus nititur ſufficienti ſignificatione voluntatis* ipſis *factis.* Sub factis autem moraliter veniunt, ait GROTIVS L. 2. cap. 4. §. 5. et *non facta*, conſiderata cum debitis circumſtantiis. Sic, *qui ſciens et præſens tacet, videtur conſentire,* ob id, quod tunc quando taceo, non diſſenſus adſit; non diſſentire vero idem eſt ac conſentire: ergo qui ſciens tacet, idem eſt ac ſi conſentit. Conſenſu publico iura publica conſtituuntur, et ex eodem probantur (§. 71.). Quapropter *facta publica*, i. e. exempla hiſtoriæ Rerumpublicarum, cum debitis circumſtantiis conſiderata, *firmiter iura publica Rerumpublicarum probant*, et ita, *ſi quis ſciens et præſens tacet imperans aut parens, cum alter exercet iura quædam, id ſatis probat voluiſſe imperantem aut parentem abdicare ius ſuum*, quod, vti cuiuis, ita et Principi licitum eſt populoque

(§. 216.). Sed, pergit GROTIVS, *vt ad dereli-ctionem præſumendam valeat ſilentium, duo requiruntur, vt ſilentium ſit ſcientis, et vt ſit libere volentis*: idque eam ob cauſam, quia ex ſilentio colligitur tacitus conſenſus, conſenſus vero proficiſcitur a voluntate libera, voluntas primum ponit ſcientiam rei, quam volo, dum voluntas oritur ex alicuius rei repræſentatione, ſiue quod idem, ſcientia. Proinde *ignorantes aut coacti derelinquere iura ſua, iura imperii præſcribere nequeunt.* E contrario autem, ſi ea requiſita et indicia voluntatis, quæ dixi, adſunt: ſatis iſtud mihi exquiſitum eſt, imperantes aduerſus parentes et parentes aduerſus imperantes iura imperii pxæſcribere legitime poſſe. Hinc illa fluit GROTII *dicto capite* §. *11.* concluſio: *Alicuius populi Rex verus amittere poterit regnum, et populo ſubiici, et qui reuera non Rex, ſed princeps* (ſub quo nomine venit hic is Princeps, quem (§. 23.) finiui) *erat, Rex ſummo cum imperio fieri, et ſummum imperium, quod penes populum aut penes Regem in ſolidum erat, inter eos diuidi.* His, quas de iure præſcribendi foueo, ſententiis *ſuffragatur experientia plurium in Europa regnorum et ditionum,* quas Principes occuparunt ſine vllo titulo, ab initio quidem. Vnde belle hac de re ait GODE-

FROT

FROT in *Obſeru. ad Libr. V. Tom. I. Memor.* COMINEI : *La pluspart des titres des poſſeſſions du monde ſont au Ciel, c'eſt a dire, ſans aucun Droit legitime.* Etiam *poſſeſſiones iurium regni Francici et Anglici praeſcriptione acquiſitae. Illud* tempore HVGONIS PARISIENSIS, vt monumenta hiſtorica teſtantur, regnum erat, in quo quidem certis terminis circumſcripta aut definita Regis poteſtas erat, quo minus ei liceret eadem illa facultate et copia vagari, qua vellet. Hoc vero Regnum in liberum abſolutumque eſt mutatum pedetentim et gradatim ſine expreſſa abſolutæ poteſtatis translatione in Reges. Sed attende quæſo, quæ ſint conſecuta in *Anglia*, vbi quoque commutata eſt ratio regni gubernandi, ſed longe aliter. Huius regni hiſtoriam legens deprehendit, quod ante GVILIELMVM, Conqueſtorem, Reges nutu ſuo omnia fere gubernarent et admodum nihil iuris penes ordines eſſet, ſucceſſores autem GVILIELMI ex conſilio indulſerunt plura iura ordinibus, et indulgentius cum iisdem agere vsque ad hodiernos Reges perſeuerarunt. Ex qua indulgentia et tacita Regum conſenſione plurima iura parlamenti originem trahunt. Atque ita Regni Gallici et Anglicani mutationes præcipue præſcriptionis fundamento nituntur. Idem

fundamentum præſcriptionis allegauit pro Gallia Dux NIVERNENSIS apud THVANVM *Lib. 59. Hiſtor. ad annum 1574.* quippe qui poſſeſſiones terrarum et iurium publicas multo tempore ita firmari ſtatuit, vt reuelli nequeant.

§. 234.

Num vſurpator præſcribere Imperium et legitimus Imperans fieri queat?

Si quærat aliquis, ***num vſurpator*** aut ***inuaſor***, quem vulgo Conqueſtorem (Conquerant) adpellare ſolent, ***præſcribere quoque iura imperii queat?*** ad hoc ζήτημα hoc reſponſum capiat. Quamuis vſurpator is eſt, qui Rempublicam alienam ſine titulo, nullo iure, inuaſit, animo ſibi eam acquirendi (§. 23.): attamen quoniam requiſita præſcriptionis adſunt, ſi, non dicam expreſſo, ſed duntaxat tacito conſenſu eorum, ad quos iura Reipublicæ pertinent, in poſſeſſione Reipublicæ conſiſtat vſurpator (§. 233.): iure quoque præſcriptionis in ſe vſurpatorem transferre poteſtatem ciuilem legitime poſſe manifeſtum eſt (eod.). Quod ***ſi*** itaque ***vſurpatori dicto audientes ſunt parentes in iis rebus, quæ ad Reipublicæ rectionem ſpectant***, atque ex eiusmodi obedientia agnitionem imperii eius, cui morem gerunt, colligimus (§. præc.): ***per eam obedientiam ex vſurpatore***

tore non poteſt non legitimus imperans fieri (§. 23.), et ex conſequenti *vſurpator præſcriptione fieri poteſt legitimus imperans.* Quas rationes ſi accommodare ad GVILIELMVM, Conqueſtorem, placet: eum eadem via præſcriptionis inceſſiſſe ad imperium patet. Quanquam enim, vt vſurpator, in regnum Angliæ inuaſerat, dum ipſius inuaſio teſtamento EDVARDI, confeſſoris, nitebatur (§. 209.), id eſt, nullo iure (§. 211.): tamen ſi attendamus, quæ ſint conſecuta, nempe enim Anglorum conſenſus conſpirans in eum, quem conſenſum coronatio indicat; ipſe GVILIELMVS eiusque ſucceſſores iure præſcriptionis legitimi imperantes euaſerunt (§. 233.) et h.). Eodem iure nixum fuit *ius ſtirpis Capetingicæ:* dum ſola poſſeſſione continua, præterito CAROLO, niti ipſe fatetur Galliæ Hiſtoricus SERRESIVS in *Regno Hugonis Capeti.*

§. 235.

Imperium acquiritur homagio et iuramento abiurationis contra prætendentes corroboratur: de

Vti omnis conſenſus populi cauſa iuſta transferendi imperium eſt (§. 32.): ita quoque conſenſu populi expreſſo acquiri imperium poſſe, haud ambigendum. Conſenſus vero expreſſus omnium ordinum Reipublicæ non ſolum

Regnis feudalibus: an Vaſallagio ſummum Imperium minuatur aut tollatur?

pacto declarari poteſt expreſſo (eod.): verum etiam homagio, quippe *homagium* eſt iusiurandum promiſſorium, vel promiſſio loco iurisiurandi, vbi verbis expreſſis aliquis ſe obligat, ad obediendum ei, cui iusiurandum præſtat, eumque legitimum imperantem agnoſcit; atque ita *is, cui iuratur, ciuilem poteſtatem adipiſcitur legitime homagio.* Quapropter *ſi quis* etiam *inuaſit rempublicam, ac paciſcitur cum populo de iuribus Reipublicæ in ſe transferendis, aut ſi ipſi homagium præſtant; per id ex iniuſto iuſtus fit imperans* (§. 234.): *multo magis legitimus imperans pacto aut homagio is efficitur*, cui ius quæſitum alia iam eſt ratione, v. g. hæreditate aut electione (§. 215. et 221.). Comprehendi ſolet ſub homagio et iuramentum fidelitatis et ſubiectionis; quoniam vero in vſu eſt vocabulum *Vaſallagii* quando de iuramento fidelitatis ſermo: ego *ſub homagio hic tantum iuramentum ſubiectionis intelligo;* ac hoc quidem acquiri ius imperii ex dictis patet, non vero illo, propterea quod Vaſallus eo duntaxat fidelitatem feudalem promittit, i.e. officia, quæ domino directo debentur. Domino directo ea debentur officia,

quæ

quæ ex nexu feudali proficiſcuntur; is nexus vero ita eſt comparatus, vt dominus directus ius imperii non habeat in Vaſallum (§. 27.), ſed tantum minus plenum dominium in feudum, quod longe differens a iure imperii eſt: quapropter *Vaſallagium non acquirit poteſtatem ciuilem.* Quid? quod *ſi regna feudalia ſint, et Vaſallus iurat alii fidelitatem: ea obligatio non tollit ſummum imperium*, vt GROTIVS de *I. B. et P. L. 1. cap. 3. §. 23.* argumentis confirmat firmioribus, et etiam ex iis, quæ modo diximus, oſtendi poteſt: et ob id quoque is, cui iuramentum fidelitatis præſtatur, eo ſibi non adipiſcitur imperium. *Talia regna feudalia olim regna Sardiniæ et Corſicæ* erant. Iuramentum fidelitatis extat in BONIFACII VIII., Pontificis, Bulla, in qua Sardiniæ et Corſicæ regna IACOBO II., Arragoniæ Regi, in feudum contulit anno 1297. Vbi notandum, quod homagium pro Vaſallagio ſumatur in hac Bulla, atque adeo hoc iuramentum, vti omnia homagia huius generis, ſubiectionem non inuoluat: ob eamque cauſam nec media acquirendi poteſtatem ciuilem conſtituat (§. 26.). Quod aliter eſt in homagio, in eo, quo ego ſumo, ſenſu, ſcilicet pro iuramento ſubiectionis, quod neceſſario poſt ſe trahit ex altera parte imperium (§. eod.).

eod.) : et adeo agnitionem legitimi imperantis (§. 23.). Vti quoque ex eiuſmodi præſtiti iuramenti formulis pateſcit, qualis extat *in der Curländiſchen Regiments-Formul de anno 1631.* et in *inſtrumento Pacis Hungariæ et Tranſylvaniæ anno 1711.* Si *ratio ſtatus poſtulat*, *eiusmodi iuramento ſubiectionis additur iuramentum abiurationis*. Cuius generis iuramenti formula eſt contra illum Principem, quem hodie debito et ſolito nomine Prætendentem Angliæ compellant in *Actis ſeu decretis (Acte) parlamenti Angliæ in prima ſeſſione, quæ incepit 25. Octobris 1705.* Sed quærat aliquis, *vtrum tale iuramentum abiurationis validum ſit, et annon ei, contra quem iuratur, prætenſiones permaneant?* ad hæc quæ interrogari poſſem, ita reſpondeo. Ille, *contra quem iuratum*, aut *plane nullum ius in regnum habet*, aut dubium : in illo caſu per ſe patet, quod iuramentum abiurationis ſit validum et iuſtum, dum ei, cui nulla iura in regnum ſunt, eiusmodi abiuratione, nulla iniuria fieri poteſt, quodque ita nullæ prætenſiones legitimæ reſidere queant in eiusmodi prætendente (§. 230.). In hoc caſu, quando *illius ius*, contra quem iuramentum abiurationis tendit, *eſt dubium*, itidem iuramentum abiurationis validum eſt pronunciandum,

nec

nec in eo, contra quem tale iuramentum præſtitum, reſidere vlla legitima prætenſio poteſt. Namque ſi de iuribus Regni contentio inter quosdam exoritur: nec populus, nec vllus alius in hac re iudex eſt (§. 64.). Hinc confici res nulla poteſt alia ratione, quam amicabili compoſitione aut controuerſia coniicienda in belli exitum. Qui itaque vincit, illi ſeſe ſubiicere legitime parentes queunt: atque ita eum legitimum imperantem agnoſcere, idque fieri iuramento ſubiectionis poteſt. Atque vero cum duo imperantes non poſſint in Republica eſſe (§. 111.), nec adeo quoque agnoſci: conſequens eſt, vt eo ipſo, quod victorem legitimum imperantem agnoſcere debeant, et ſeſe ſubiicere parentes, non poſſint non alteri officia ſubiectionis denegare; hoc vero ſi iurato accidit, audit iuramentum abiurationis. Quapropter iuramenta abiurationis omnia in his, quas poſui circumſtantiis contra alterum in æternum valent, nec quicquam iuris ei reliqui faciunt, omnesque proteſtationes illegitimas reddunt (§. 231.). Quæ circumſtantiæ cum occurrant in *prætendente Angliæ*, vt vocatur, contra eum iuramentum abiurationis ab ordinibus Angliæ 1702. præſtitum et 1705. reiteratum validum eſt, et agnitio ſucceſſorum Regni lineæ proteſtantis firma,

eod.) : et adeo agnitionem legitimi imperantis (§. 23.). Vti quoque ex eiusmodi præſtiti iuramenti formulis pateſcit, qualis extat *in der Curländiſchen Regiments-Formul de anno 1631.* et in *inſtrumento Pacis Hungariæ et Tranſylvaniæ anno 1711.* *Si ratio ſtatus poſtulat, eiusmodi iuramento ſubiectionis additur iuramentum abiurationis.* Cuius generis iuramenti formula eſt contra illum Principem, quem hodie debito et ſolito nomine Prætendentem Angliæ compellant in *Actis ſeu decretis (Acte) parlamenti Angliæ in prima ſeſſione, quæ incepit 25. Octobris 1705.* Sed quærat aliquis, *vtrum tale iuramentum abiurationis validum ſit, et annon ei, contra quem iuratur, prætenſiones permaneant ?* ad hæc quæ interrogari poſſem, ita reſpondeo. Ille, *contra quem iuratum*, aut *plane nullum ius in regnum habet*, aut dubium : in illo caſu per ſe patet, quod iuramentum abiurationis ſit validum et iuſtum, dum ei, cui nulla iura in regnum ſunt, eiusmodi abiuratione, nulla iniuria fieri poteſt, quodque ita nullæ prætenſiones legitimæ reſidere queant in eiusmodi prætendente (§. 230.). In hoc caſu, quando *illius ius*, contra quem iuramentum abiurationis tendit, *eſt dubium*, itidem iuramentum abiurationis validum eſt pronunciandum,

nec

nec in eo, contra quem tale iuramentum præſtitum, reſidere vlla legitima prætenſio poteſt. Namque ſi de iuribus Regni contentio inter quosdam exoritur: nec populus, nec vllus alius in hac re iudex eſt (§. 64.). Hinc confici res nulla poteſt alia ratione, quam amicabili compoſitione aut controuerſia coniicienda in belli exitum. Qui itaque vincit, illi ſeſe ſubiicere legitime parentes queunt: atque ita eum legitimum imperantem agnoſcere, idque fieri iuramento ſubiectionis poteſt. Atque vero cum duo imperantes non poſſint in Republica eſſe (§. 111.), nec adeo quoque agnoſci: conſequens eſt, vt eo ipſo, quod victorem legitimum imperantem agnoſcere debeant, et ſeſe ſubiicere parentes, non poſſint non alteri officia ſubiectionis denegare; hoc vero ſi iurato accidit, audit iuramentum abiurationis. Quapropter iuramenta abiurationis omnia in his, quas poſui circumſtantiis contra alterum in æternum valent, nec quicquam iuris ei reliqui faciunt, omnesque proteſtationes illegitimas reddunt (§. 231.). Quæ circumſtantiæ cum occurrant in *prætendente Anglia*, vt vocatur, contra eum iuramentum abiurationis ab ordinibus Angliæ 1702. præſtitum et 1705. reiteratum validum eſt, et agnitio ſucceſſorum lineæ proteſtantis

firma,

firma, adeoque prætenſiones prætendentis inanes, itidemque omnes proteſtationes contra ſucceſſionem Domus Hanoveranæ. Cuius Auguſtiſſimæ Domus imperium iuſtum vim ſuam atque æternitatem, contra poſtulationes conſeruet, et, dum erit Magna Britannia, maneat.

§. 236.

Inaugurationes ſiue Coronationes nihil noui iuris conferunt Regi electo aut iure hæreditario ſuccedenti.

Cum Homagio ad augendam Maieſtatem coniungi Imperatorum ac Regum *coronationes* ſeu *inaugurationes* ſolent. Quas quidem cum BECMANNO *in Syntagm. dign. illuſtr. diſſ. 5. c. 1.* §. *1.* eſſe ſtatuo publicationes regiæ dignitatis, quibus Reges non nouum ius acquirunt, ſed ipſi ſuſceptam a ſe dignitatem, ſubditi promiſſum eis obſequium ſuum, publice declarant. Quod coronatio non ſit modus acquirendi nouum ius Principi: facile erit exinde colligendum, quod tantum ſucceſſione (§. 215.), electione (§. 221.), præſcriptione (§. 223.) poteſtatem ciuilem aſſequi liceat, addo duos modos acquirendi extraordinarios, matrimonium (§. 214.) et ius belli (§. 32. et 237.) cum HVBERO de *Iure Ciuit. L. 1. Sect. 7. cap. 2. num. 23. ſeqq. et cap. 3. num. 26. ſeqq. et* GROTIO de *I. B. ac P.*

Libr.

Libr. 3. cap. 8. §. 1. Ac quamuis imperia in victos demum oriri ex promiſſione ſtatuam (§. citt.): tamen ius belli eſſe modum conſtituendi imperii cenſeo, ob id, quod conſenſum inuoluit neceſſario (§. 32.), et ita hic modus a conſenſu ſeparari nequit. Vnde formari quæſtio non poteſt: an ius belli ſit modus conſtituendi imperii a conſenſu ſeparatus, prouti fecit THOMASIVS in *adnotationibus ad* HVBERVM ad *n. 28. cap. 3. Sect. 7. Libr. 1. de Iure Ciuit.* Inde cum demum, vno aut altero enumeratorum modorum acquirendi præcedente, coronæ impoſitio fiat; et illis modis iam acquiſita poteſtas ciuilis ſit: *non poteſt poteſtas ciuilis produci coronatione.* Iam cum poteſtas ciuilis conſiſtat in complexione omnium iurium gubernandi Rempublicam (§. 25.): *nec vllum* quoque *ius, quod imperans iam antea non habuerit*, i. e. nouum aliquod ius, *coronatione efficitur. Nec* itaque *coronatione acquiritur dignitas, verum translatam* ſolum pro eo, ac definitio indicat, *declarat:* ob id, quod dignitas imperantis, ſiue Regis iamiam primum ponit Regem; Rex autem, vt generatim quiuis imperans ex poteſtate ciuili, quam habet, cognoſcitur (§. 23.), proinde dignitas Regis præſupponit poteſtatem ciuilem. Quam cum ſecundum ea,
quæ

quæ hic modo demonſtrauimus, non transferat coronatio: neque etiam conferre Regi dignitatem poteſt, ſed ſolummodo declarat eam et exhibet iuſtitiam ſucceſſionis conſenſumque publicum. Hisce ex rationibus iure optimo Imperatores et *Reges ante coronationem poteſtate ſua ciuili vtuntur, ac dignitate regia et titulo Maieſtatis venerantur.* Quocirca abſurdum eſt ſtatuere, quod a coronatione imperium et dignitas regalis pendeat, quæ ſententia olim altas radices egerat. Certe infirmo hoc fundamento, quod inaugurationis ſolennia faciant ad dignitatis ordinem, id eſt, ius præcedentiæ, nixus fuit ANTONIVS DE PRATO, Galliæ Cancellarius, in congreſſu Caletano, cum contenderet, non eſſe, cur Rex Galliæ cedat CAROLO V., qui tantum electus, non a Papa coronatus eſſet. Quam ſententiam, his rationibus conuellere facile poterimus. Ex his enim, quæ iam (*hoc* §) deduximus, elucet, quod iam ante coronationem imperans gaudeat poteſtate ciuili; hæc vero eſt independens, vti imperans ipſe (§. 91.): quapropter coronatio non poteſt imperantem, eiusque poteſtatem ciuilem, aut quidquam iuris imperii dependens facere. Quoniam præterea coronatio, ne minimum quidem, poteſtatis aut dignitatis, quam Rex

ante

ante iam non poſſederit, in imperantem, vt dixi, confert: facile iudicare poterimus, quod *coronatio ritus minus neceſſarius* ſit, *nec* adeo *de eſſentia Regis*, et ob id *non iure debito depoſcenda; quid? quod intermitti queat ſine dignitatis imminutione.* Hinc quoque orator FRIDERICI III. Imperat. in Oratione ad NICOLAVM V. pro impetranda coronatione habita male ratiocinatur apud FICHERVM *Tom. 2. Rer. Germ. pag. 23. non ſolum debitum, ſed neceſſarium eſſe videri, Maieſtatem imperatoriam a Romano Pontifice coronam expetere.* Rectius iudicauit MAXIMILIANVS I., coronationem non eſſe de eſſentia Imperatoris Romani, ob eamque cauſam coronationem romanam miſſam fecit titulumque electi Imperatoris Romanorum aſſumſit in ſignum, quod ex ſola electione Principum verus Imperator ſit (*argum.* §. 221. et 225.), quod dicit etiam ipſa *Gloſſa ad diſtinction. 93. cap. 24. legimus*; conf. LIMNÆVS ad *Capitul.* RVDOLPHI *2. art. 30* Ob eandem cauſam, quod coronatio non faciat Regem, i. e. poteſtatem regiam et dignitatem non efficiat, Rex hodie regnans Boruſſiæ, cuius potentia ad ſummum faſtigium euecta eſt, ſine coronatione Regem Boruſſiæ oſtentat: eiusque glorioſiſſimus deceſſor ſibi ipſi coronam impoſuit, vt indicaret corona-

tio-

tionem æque ac poteſtatem regiam ab ſe pendere.

§. 237.

Occupatio bellica eſt modus legitimus acquirendi et transferendi iura imperii ex iure Victoriæ, pace firmato: an ſine conſenſu ſubiugatorum victor in deuictos habeat legitimam poteſtatem?

Cum iamiam in eorum modorum enumeratione verſemur, quibus acquiritur atque transfertur ſumma ciuilis poteſtas: tempus idoneum nanciſcimur dicendi de occupatione bellica, quam (§. 81.) inter huius generis facta connumerauimus. Quod autem ius fasque ſit bellum gerere ac hoſtium poſſesſiones occupare, quodque occupans ſuæ poteſtati ciuili easdem ſubiicere iuſte queat, ex noſtra finitione tam belli, quam occupationis bellicæ, manifeſto tenetur. Finiuimus bellum (§. 124.) pro eo, ac inter gentes, ſtatu ciuitatis introducto, obtinet. Si vis, vt quoque ad homines ſingulos *in ſtatu libertatis* viuentes applicatio fieri queat: ſcito quod ille *bellum alteri faciat*, cum alteri reſiſtenti, in ſtatu naturali viuenti, vim infert. Quando virium ſpe et manu obtinendum eſt, quod intendimus: tunc *coactio* audit. Vbi autem perfecto iure alter alteri in ſtatu naturali quidquam debet, alter alterum cogendi legitimam habet facultatem

(§. 31.).

(§. 31.). Quare *ius belli gerendi illis*, *qui in ſtatu naturali viuunt*, atque ex conſequenti *gentibus* atque *imperantibus* ex principiis iuris gentium (§. 42.) *largiendum.* Illa itaque *cauſa belli iuſta* eſt habenda, quando alterum in aliquod mihi perfecte eſſe obligatum credo, quod mihi præſtare ſponte ſua non vult (*argum.* §. 31.). Ex his facile quiuis iudicare poterit, quis *inuaſor* aut *hoſtis illegitimus*, quis *legitimus*, quid ſit *latrocinium gentium*, quid occupatio bellica. Illa ſcilicet apprehenſio rerum ab altero poſſeſſarum nominari *occupatio bellica* meretur, qui perfectam mihi obligationem debet, cui obligationi perfectum ius a parte altera reſpondet neceſſario (§. eod.): ad quale ius conſequendum omnes vias perſequi licet, quibus putamus ad id, quod nobis debetur, peruenire poſſe ex ea nota regula morali, *qui dat finem, dat quoque media ad finem neceſſaria*, ſeu ea quæ ad finem perducunt, GROTIVS *Libr. 2. cap. 14.* §. *11.* quippe finis ſine mediis obtineri nequit. Vnde *licebit* etiam *res ab alio poſſeſſas, quas nobis deberi perſuaſi ſumus, vi adprehendere, i. e. occupare.* At vero quoniam hoſti idem ius competit, quippe qui eſt ille, qui cum altero vi certat de re controuerſa: apparet, quod *res* eiusmodi *controuerſa hoſtium intui-*

tu belligerantium, vt res nullius ſit contemplanda dum omnis res, *quam occupare licet*, res nullius nuncupetur *(vi def.)*. Quoniam igitur hoſtibus inter ſe, occupare tantum licet, et occupatio ſecundum principia iuris naturalis perfectum ius tribuit: conſequens eſt, ut *hoſtes occupatione bellica perfecta iura ab hoſte acquirant* reſpectu aliorum, qui hoſtes non ſunt, *inque ſe transferant*, adeoque *ius belli modus acquirendi quaeuis iura ſit legitimus.* Secundum ea, quae modo attulimus, ſi dicendum, quod res eſt, *de occupatione bellica, num ea ſit modus acquirendi iura etiam imperii*, diſtincte atque diſtribute dicendum. Nempe enim *reſpectu hoſtis, quamdiu hoſtis permanet, occupatio eſt quidem modus declarandi voluntatem rem ſibi acquirendi, ſed ratione hoſtis manet adhuc dum res nullius*, et non acquiſita: *intuitu vero eorum, qui hoſtes oſtentare ſe iuſte non queunt, affirmandum eſt, quod occupatio bellica modus acquirendi ſit.* Quod ad hoſtem, quamdiu alter hoſtis permanet, tamdiu, quamuis in poſſeſſione ſim, res nullius per ea, quae dixi, habenda, et ex conſequenti non res mea, nec adeo vt acquiſita. Itaque *occupatio bellica non eſt modus quidquam acquirendi reſpectu hoſtium: reſpectu vero aliorum, cum quibus res non venit*

nit in controuerſiam, quique nullum ius in ea poſtulare queunt, *res bello occupata eſt res acquiſita ;* namque alter, qui non eſt hoſtis, nullum ius habet rem occupandi. Vbi nulla occupatio locum habet, ibi ob definitionem modo datam non eſt res nullius : ergo quod res ſit mea reſpectu illius, ideoque acquiſita, ſi occupata, cenſendum eſt. Ex quo ſole ipſo illuſtrius et clarius elucet, quod occupatio bellica intuitu aliorum præter hoſtem, ſit modus acquirendi. Hinc cum de ſucceſſione Hiſpanica inter CAROLVM et PHILIPPVM decertaretur, Regnum Hiſpaniarum erat intuitu horum belligerantium res nullius, de qua, quod quisque belligerantium occupare poterat, occupare licuit : intuitu vero aliorum Statuum Europæ erat res a belligerantibus occupata, de qua quidquam decerpere non licuit, dum hoſtes legitimi ob deficientem titulum eſſe non poterant ; ceſſante vero hoſte, ceſſat impedimentum, quo minus, quæ bello occupata ſunt, acquirantur. Cum vero hoſtis is, qui cum altero pacem facit, deſinit eſſe : *non poteſt non illa occupatio bellica, ſi pace res occupatæ in poteſtate occupantis relinquantur, conſtituere modum acquirendi res quasuis iuraque.* Ob eamque cauſam *ſi quis totam Rempublicam occupauit :*

intuitu ſubditorum ſubiugatorum vt res acquiſita Reſpublica habenda eſt, adeoque legitimus imperans factus occupatione ſine pace etiam (*argum.* §. 2.); *intuitu vero eorum, cum quibus bellum geſſit, fit legitimus imperans Reipublicæ occupatæ, ſi pace quadam in manibus victoris Reſpublica relinquatur, qui victor ergo poteſtatem ciuilem pace acquirit.* Inde pro diuerſitate explicationis ſententiæ, quam habet IO. FRID. HORNIVS de *Ciuit. Libr. 2. cap. 9.* §. *2.*, HORNIVS recte ſentit et non recte ſentit. Statuit loco allegato, quod ſubiugatorum conſenſum expectare victor non neceſſe habeat, ſed ſtatim in deuictos obtineat legitimam poteſtatem. Si ſub ſubiugatis complexum parentium Reipublicæ intelligit, quam occupauit, recte dixit: ſin et Principem, cum quo bellum geſſit, minus recte, vt ex dictis (*huius* §.) apparet.

§. 238.

De iure ſubductionis: num iuſte vllo modo fiat ſine conſenſu Imperantis?

Sunt Reſpublicæ, quæ ſeſe legitimo imperio ſubduxerunt, et pacto ſubſecuto libertatem acquiſiuerunt, quam non obediendo tentarunt. Cuius generis exemplum petere licet ab *Republica Belgica* et *Heluetica.* Heluetii 1315 tale pactum

ctum vnionis fecerunt, quo imperio priori ſeſe ſubducere conati fuerunt, cuius pacti formulam exhibet LEIBNITZIVS *P. I. Cod. Diplom. n. 57. pag. 69.* Cauſas huius vnionis recenſet GVILLIMANNVS *Heluet. rer. Libr. 2. cap. 16.* itidem Belgæ PHILIPPO II. Regi Hiſpaniarum nuncium miſerunt vnione vltraiectenſi, dum decreuerunt, vt ciues prouinciarum belgicarum ſoluti legibus exterorum Principum viuerent, et pro libera Republica cenſerentur, quod refert H. GROTIVS *Libr. 3. Annal Belg. ad annum 1579.* et BAVDIVS de *induciis Belgicis Libr. 3.* Diſſoluere expedit has quæſtiones, *num ſeſe ſubducere imperio ſine conſenſu imperantis iuſte illo modo liceat:* et *num* itaque *fundamenta harum nominatarum Rerumpublicarum, vt et omnium reliquarum, quæ ex ſubductione originem trahunt, rite iacta ſint.* Quod ad *primam quæſtionem, nego fieri poſſe,* vt ſine conſenſu imperantis parentes ſeſe ſubducere, atque in libertatem vindicare queant. Namque quoniam generatim ius quæſitum cuidam auferre non licet (§. 210.): contra fas quoque erit imperantem ſuo imperio ſubductione orbare ſine ſuo conſenſu, etiamſi contra leges moliatur fundamentales pactaque conuenta cum ſubditis (§. 39.), et clauſula nullitatis (§. 59.) et lex

commiſſoria (§. 60.) adiecta. Sed animaduerto, hoc *argumentum in contrarium ex ipſis meis principiis* adduci poſſe, quod ſimilius veri eſt: ſc. ſi imperans contra ea, in quæ per leges fundamentales et pacta obligatus eſt, nititur, non agit ex poteſtate ciuili ipſi conceſſa, et ob id non agit vt imperans (§. 23.). Imperanti autem ſoli obedientiam parentes debent (§. 26): quapropter parentes in tali, quem poſuimus, caſu non debent imperanti obedientiam. Vbi vero nulla obligatio parendi, ibi nullum ius imperandi (§. *eiusdem argumento.*). Ergo quando imperans contra conuentiones legesque fundamentales, contraque rationem gubernandi Rempublicam procedit, imperium amittit, populusque adeo ſeſe ſubducere non ei amplius obediendo, ſibique Rempublicam liberam efficere poteſt ſine eius conſenſu. Aduerſus hæc id *reſponſum* dandum, quod hoc quidem verum ſit, quod, quando imperans ſtructuram Reipublicæ leges et pacta non ſeruando, quibus tenetur, euertere conetur, obedientiæ vinculis obſtricti parentes non ſint (§. 63), ſed tantum in eo caſu, in quo iuſſa imperantis contraueniunt legibus fundamentalibus pactisque (§. *eod.*): non itaque vlla cauſa eſt, cur in reliquis imperio imperantis non ſub-

iecti

iecti remanere debeant, quod itaque imperium amittere actione, vni aut quibusdam tantum obligationibus refragante, imperans nequit. Ac cum ſubductio tollat obedientiam omnino omnem: non licebit ſeſe Principis poteſtati ſubducere, qui in quibusdam contra ea venit, in quæ obligatus fuit. Hinc nulla datur cauſa iuſta ſeſe ſubducendi, ne tunc quidem ſi in omnibus imperans contra Reipublicæ naturam fundamentalem, contraque pacta cum populo agat. Equidem (*argumento* §. 63.) euinci poteſt, ſi imperans in omnibus rebus contra Reipublicæ conſeruationem moliatur, legesque et pacta, quibus tota Reipublicæ ſtructura nititur, euertat, non habere ipſum ea agendi facultatem legitimam, et ob eam cauſam nullam concipi parentium obligationem in omnibus iis obediendi (§. 26.). Sed ex iure non obediendi non ſequitur ius ſeſe ſubducendi, propterea quod ſubductio præter non obedientiam inuoluit ademtionem poteſtatis ciuilis, et quidem a parte imperantis amiſſionem imperii, a parte populi eiusdem imperii acquiſitionem aut in alium translationem (§. 238.): ſed talem legem parentes imperanti dicere nequeunt, qua amittitur imperium (§. 60.), et ſine ſuo conſenſu in alium transfertur (§. 238.); ob easque cau-

ſas *nullo iuris firmo fundamento nititur vlla ſubductio, niſi imperans expreſſo pacto aut tacito conſenſu agnoſcat eos, qui ſeſe ipſius poteſtati de facto ſubduxerunt, vt populum ſui iuris et immunem a ſuo imperio declarat* (§. 232. 233. 234.). Quæ cum ita ſint: *Belgium fœderatum non poſſet pro Republica libera cenſeri, ex pacto Gaudauenſi anno 1576.* et *vnione Traiectina 1579.*, in quibus fundamenta ſubductionis iacta: *niſi Belgæ pactis cum Hiſpano anno 1609. induciis, tanquam liberi, et anno 1648. pace Weſtphalica iure liberi ſuique iuris facti fuiſſent. Idem iudicium ferendum de ſubductione Heluetiorum*, quæ itidem inualida foret, ſi pacto vnionis de anno 1515. ſolo niteretur, atque niſi agnitio Reipublicæ Heluetica ſubſecutis pactis acceſſiſſet.

§. 239.

De cauſis ſubductionis legitimis: an ex ſubductione illegitima Resp. libera et ſubductio legitima fieri queat.

Cauſæ ſeſe ſubducendi, ſi non conſenſu imperantis conualidentur, ſunt illegitimæ (§. 238.). Sed tamen *ex illegitima ſubductione* quo minus *legitima Reſpublica libera exoriri* et *ſubductio legitima fieri queat*, æque ac ex vſurpatore legitimus imperans, nulla cauſa eſt diſparitatis (*argum.* §. 234.): ſcilicet

licet *accedente imperantis*, *cuius imperio ſeſe ſubduxerunt parentes*, *conſenſu*, aut *expreſſo* aut *tacito*. Quando *expreſſus conſenſus* adſit, iſtud per ſe patet. *Ex quo* autem *conſenſus tacitus colligendus*, res altioris indaginis eſt. Colligendus vero tacitus conſenſus ex iisdem factis, quæ (§. 233.) indicauimus. Ac proinde ſi ciuitas excuſſit iugum imperii, ex quacunque cauſa ſit, nihil intereſt, et Princeps tacet (§. eod), aut ſi imperans non auxilium fert terræ, quæ ipſius poteſtati ſubeſt, hæc terra ſeſe ſubducere et alterius poteſtati permittere poteſt ob derelictionem, ipſo facto declaratam (*eod. et* §. 216.). Tali modo fuit Liuonia imperio Germanico ſubducta, vt oſtendit BOECLERVS in *Diſſ. de acquiſito et amiſſo imperii in Liuoniam iure.* Quod ex ſilentio imperii derelictio Liuoniæ colligi queat, indicio eſſe poteſt, quod in pace oliuenſi, quæ de dominio Liuoniæ agebatur et maiorem partem Suecia accipiebat, imperii nomine nec quidquam actum fuerit, licet Imperatoris LEOPOLDI legati præſentes eſſent (*argum.* §. 203.).

§. 240.

Proteſtatio imperantis contra ſubſeſe

Quoniam proteſtatione imperans conſeruat ius ſuum (§. 231.): conſequitur, vt *ſi ex iniuſta cauſa*

ductionem factam conſeruat Imperium, niſi ſit facto contraria.

ſeſe imperio ſubduxerunt parentes, et imperans proteſtetur, hic ius ſuum imperii in perpetuum conſeruet, adeoque *illi,* qui ſeſe de facto non obediendo ſubducere tentant, *ſubditi maneant* (§. 26.) eosque proinde *ſub poteſtatem quouis modo redigere, vt rebelles* (§. 103.) atque *criminis læſæ Maieſtatis reos* (§. 100.) tractare poſſit. Longe *aliter* res eſt, *ſi proteſtatio facto contraria,* id eſt, ſi ex factis conſenſus in ſubductionem colligendus, et tamen proteſtatio interponatur: qualis eſt proteſtatio, *quando imperans derelinquit Rempublicam,* aut *ei labanti et ab inuaſore occupata auxilium non fert, cum poſſet.* Etenim tunc ſi Reſpublica aliter ſeſe conſeruare nequit, niſi ſeſe inuaſori tradendo, aut ſibi libertatem vindicando, recte agit, proteſtatioque non poteſt non inanis eſſe, ob has quidem rationes: vbi imperans non conſeruat Rempublicam, ibi ceſſat iuris publici principium (§. 28.), i. e. nexus ipſius vt imperantis cum parentibus (§. 1.), atque ita parentes recidunt in ſtatum libertatis (§. 35.), in quo libere homines agere poſſunt, et aut ſibi Rempublicam liberam conſtituere, aut alterius poteſtati ſeſe tradere (§. 71. et 34.). *Ita ratio ſubductionis Liuoniæ comparata eſt,*

quæ

quæ bello Ruſſico 1558. ingruente fruſtra auxilium Germaniæ implorauit, quamuis hæc cauſa in *Receſſu imperii 1559. §. 8. 7.* tractata, et adhucdum anno 1653. exhibito libello opem imperii ad recuperationem Liuoniæ implorauerit ordinis Teutonici Magiſter, vt refert PFANNERVS in *hiſtoria Comitiorum Libr. V. §. 53.* Quoniam ergo ea conditio Liuoniæ erat, ratio facile reddi poteſt, cur ab imperio contra pacem Oliuienſem, in qua de poſſesſione Liuoniæ inter alia agebatur, nulla proteſtatio ab legato imperatoris interpoſita, ſcil. fuiſſet facto contraria ideoque nulla.

§. 241.

De iuribus Vicariorum interregni tempore: num Vicarii ſint tantum Miniſtri ſummæ poteſtatis ac Legis?

Imperii translationes ab vno in alium aut fiunt ſtatim imperante deficiente, aut per aliquod temporis ſpatium ſuſpenduntur, qui ſtatus Reipublicæ conſtituit *interregnum*, quod inde finit AVTOR *ſpeciminis demonſtrationum politicarum pro eligendo Rege Polonorum pag. 36.* per formam Reipublicæ ex conſtituentium intentione temporalem, et HERTIVS in nota (*a*) ad PVFFENDORFFII *Ius Naturæ et Gentium Libr. 7. cap. 7. §. 7.* quod ſit ſpecies Reipublicæ, in qua manente pacto pri-

primo, alterum vel lege, vel arbitrio vel caſu ſuſpenditur. Sub *pacto primo* intelligi ſolet, illa populi conuentio, quæ agit de ineunda ſocietate ciuili ſeu de Republica conſtituenda (§. 2.). *Pactum ſecundum* nuncupatur iſtud, quo determinatum eſt, quis debeat eſſe imperans aut qualis ſtructura Reipublicæ. Quando legitimus imperans non exiſtit in Republica, *vacare regnum* dicitur: illi vero, qui vacante ſolio aut Principe impedito, v. g. ob ætatem, gubernant nomine populi et Principis Rempublicam, audiunt *Vicarii.* Quod vicariorum nomen generale eſt, recipitque ſpeciales denominationes: ſic qui regnum nomine Regis adminiſtrat, *Vice-Rex*, vt et *Regens*, prouti in Gallia, audit; qui prouincias alias aut principatus regunt, *Gubernatores* et *Adminiſtratores.* Veniunt et aliis nominibus Vicarii pro diuerſis Rebuspublicis et temporibus. Olim compellabantur *interreges*, qui vacante ſolio regnum adminiſtrabant: hodie in nonnullis Rebuspublicis durat *generale nomen Vicariorum*, vt *in imperio*, qui et *interdum* ſpeciali nomine *interreges, locumtenentes, procuratores, gubernatores, prouiſores* et *rectores ſacri imperii* compellantur, vt in *A. B. tit. 5. §. 1.* et in LEIBNITZ. *Cod. Dipl. P. 2. p. 102.* Ac quoniam

niam Vicarii eius generis, quos hic finiui, poteſtatem ciuilem exercendam habent, ex ea vero imperans dignoſcitur (§. 25.): conſequens eſt, vt ea *omnia, quæ imperans nomine proprio exercere poſſit, poſſint quoque in actum deducere Vicarii nomine adminiſtratorio, niſi quædam ſint excepta*, vt in Imperio quædam Cæſari reſeruata, quæ Vicarii imperii expedire nequeunt, quæ recenſita inuenies *im Europaiſchen Herold P. 1. cap. 3. Sect. 7.* Ex quibus porro apparet, quod *pro eo, ac Princeps ſolus, aut conſenſu ordinum aliquod publicum negotium expedire debet*, vt puta cauſam belli et pacis, legum ferendarum, et cet. *pro eo etiam Vicarii in eiusmodi negotiis conſenſu opus habent aut minus*, quod argumentum belle accommodauit ad Vicarios imperii illuſtris GRIEBNERVS in Diſſ. de *Iuribus Vicariorum imperii.* Nihilominus tamen dicendum eſt, quod eam ob cauſam, quia *Vicarii* nomine alieno exercent poteſtatem ſuam, *non imperantes haberi queant, ſed* tantum *Magiſtratus* (§. 156.) ſeu *Miniſtri ſummæ poteſtatis* ac *legis* habendi, vt ſentit HVBERVS de *I. C. Libr. 1. Sect. 3. cap. 8. §. 68.*

§. 242.

Ex definitione Vicarii generali (§. 241.) intelligere datur, quod *Vicarii* *Tutela regia eſt iuris*

naturalis : locum habet et in Regnis hæreditariis et electiuis: iura Vicariorum ſunt quoque Tutorum regiorum.

carii non ſolum officium ſuum exequi queant, ſolio vacante, verum etiam, ſi imperans alio modo impediatur, ſuam exercere poteſtatem ciuilem : vt inter alia quando imperans extra territorium commoratur, aut propter imbecillitatem intellectus aut ætatis præeſſe imperio non poteſt. Cuius Principis poteſtas ciuilis per alium exerceri debet, ob infantiæ aut iuuentutis annos, is *in tutela eſſe* dicitur. Atque vero cum omnis imperans poteſtatem ciuilem exercendam habeat (§. 23.), conſequitur, vt, *ſi propter ætatem fieri non poſſit, vt ipſe imperans exerceat poteſtatem ciuilem, neceſſario tutores* ſint *conſtituendi.* Ex quo neceſſitas tutores conſtituendi pateſcit, quam et HERTIVS de *Tutela Regia Sect. 2. §. 20.* probandam ſibi ſumſit. Ac proinde *iuris naturalis* eſt *tutela regia*, non ciuilis, non ſolum in regnis hæreditariis, ſed etiam electiuis: quod oſtendit vel vnum exemplum HENRICI III., Imperatoris, qui ex teſtimonio VVIPPONIS in *vita* CONRADI SALICI *ad annum 1026.* adhuc infans electus et tutelæ commiſſus fuit. *Ex iisdem fundamentis*, quibus *neceſſitas tutelæ*, etiam *neceſſitas Vicariorum* facili negotio mente concipitur:

tur: quando interregnum eſt, aut imperans ob impedimentum phyſicum aut aliud quoddam morale ipſe vti non poteſt ciuili poteſtate.

§. 243.

An tutores legitimi teſtamentariis Principum praeferendi? Vicarii per Leges fundamentales ſunt prae omnibus tutores Regis minorennis.

In plerisque regnis *Vicarii* iam *legibus fundamentalibus* ſunt *conſtituti.* Qui ſi ſunt in Republica ordinati, exiſtit quaeſtio: *num eius generis Vicarii, Tutores quoque Principis, quando minor annis eſt, habendi? numque iis, qui ex diſpoſitione teſtamentaria vltimo defuncti ſunt ad tutelam vocati praeferendi?* quod mea quidem ſententia recte *affirmatur.* Namque tutoris nomen ſub generali Vicarii continetur (§. 242.). Ac quoniam Vicarius Regni omnis habet poteſtatem ciuilem, nomine imperantis (§. 241.): eandem quoque tutor omnis eodem nomine et titulo habeat neceſſe eſt (§. 242.). Quapropter qui ex legibus eſt Vicarius, ex iisdem quoque tutor eſt habendus. Atque praeterea cum diſpoſitiones teſtamentariae non de vlla re, adeoque nec de tutore, a Principe factae valeant (§. 211.): tutorem legitimum, vt loquuntur ICti, teſtamentario Principum praeferendum eſſe, per ſe

ſe pateſcit. Exemplum illuſtre ſuperiori ſeculo habuimus in tutelari diſpoſitione LVDOVICI XIII., Galliarum Regis, quæ in magno ſenatu Pariſienſi irrita declarata et tutela legitima Reginæ ſimpliciter commiſſa. Tutelam legitimam præ teſtamentaria confirmat quoque *Capitul. Ioſeph. art. 47.* in qua Vicarii imperii, Imperatoris tutores vt ſint, diſpoſitum. De legitima tutela itidem cautum ab Electoribus in *A. B.*, quæ itidem certo præferenda foret teſtamentariæ, niſi ſcrupulum id moueret, quod ſtatus imperii iure romano vtantur, interque eos tutela teſtamentaria ſæpius vſu veniat. Quæ etiam ratio induxit MARQVARDVM FREHERVM, et DIONYS. GOTHOFREDVM, vt pro teſtamentaria diſpoſitione FRIDERICI IV., Electoris Palatini, pugnarent, qui excluſo PHILIPPO VVILHELMO NEOBVRGICO, qui ſecundum *A. B.* tutor legitimus eſſe debebat, ad tutelam vocauerat IOHANNEM BIPONTINVM. Quandoquidem tutela eſt vicariatus ſpecies (§. 242.), iura tutoris eadem ſunt, præter tuitionem perſonæ, quæ Vicarii. Vnde accommodanda duntaxat veniunt ad tutores Principum, quæ de Vicariorum iuribus demonſtrauimus (§. 241.), quæque præterea demonſtrari queunt. Quoniam vtrique habent poteſtatem ciuilem

(§. 241.

(§. 241. et 242.), id eſt dicere, ius regendi Rempublicam (§. 25). Accidit quoque, vt *in nonnullis Rebuspublicis*, ex quibus nomino Galliam, *Vicarii* aut *Tutores Regis* inde *nomen Regentium* (*Regents*) *mutuentur*.

§. 244.

Ex iis vicarii et tutores Regii conſtitui poſſunt, qui habent facultatem Imperium Imperanti conferendi. Inde ſolutio quæſtionis, an Imperatori poſſit hodie Vicarius dari a populo romano?

Quoniam Vicarii iura imperantium exercenda habent (§. 241): conſequens eſt, vt illi, qui poſſunt poteſtatem ciuilem ad imperantem transfundere, Vicarium quoque conſtituere queant (*argum.* §. 23.). Iam cum *in regnis, quæ non ſunt patrimonialia*, poteſtas ciuilis ad eos transferatur, quibus lex ſucceſſionis aut, ea deficiente, conſenſus populi eam mandat (§. 34.): *tutela* etiam *et vicariatus eorum eſt, quos lex publica, aut ea deficiente, populi voluntas vocat*. In regnis vero patrimonialibus cum ſine conſenſu populi pro arbitrio Rex poteſtatem ſuam transferre queat, *poteſt etiam in regnis patrimonialibus tutela et vicariatus iis tradi, quos pater aut propinqui elegerint*, quæ eſt quoque ſententia GROTII de *I. B. et P. Libr. 1. cap. 3. §. 15.* Quod *ſi* igitur

populus iura non habet ea, vt poſſit imperantem ſibi eligere, neque etiam illi licitum Vicarium ſibi conſtituere. Quibus ex cauſis *falſo* GROTIVS *tradit Libr. 2. cap. 9. §. 11.* ſi imperator romanus morbo aut captiuitate impediretur fungi imperio, *poſſe imperatori Vicarium dari ab ipſo populo Romano.* Namque populus Romanus non habet facultatem Imperatorem Romanum ad faſtigium imperatoris extollendi, ergo quoque nec Vicarium dare poteſt.

§. 245.

Num vicarii et tutores regii habeant ciuilem poteſtatem, vt ad rationes reddendas ſint obligati? De ratificationibus publicis et de effectu ratificationis, ſi Princeps maior annis ſit et ad acta vicariorum rata habenda Le-

Quandoquidem is, qui nomine alterius quidquam negotii gerit, eique rationes reddere tenetur, eius adminiſtrator habendus: is, cui ſumma poteſtas nomine alterius data, eam exercet iure adminiſtratorio (§. 24.). Proinde *Vicarii atque tutores iure adminiſtratorio vtuntur ciuili poteſtate* (§. 241. et 242.) *inque rationes reddendas ſunt obligati. Habeamus Vicarios imperii nobis documento*, qui ſui rationem officii imperatori et imperio perſoluere tenerentur, niſi Imperator ad acta Vicariorum rata habenda in capitula-

tulatione obligari ſoleret, vti videre eſt ex *Capitul. Carol. artic. 3.* Quid enim ratificatio aliud eſt, quam adprobatio illius negotii, quod geſſit adminiſtrator, i. e., is qui rationes geſti negotii reddere debet (*vi def.*).

gibus fundamentalibus tenetur.

§. 246.

Ex iis, quæ de iuribus Vicariorum tutorumque in medium protulimus, ſatis ſuperque elucet, *tutores* atque *Vicarios tantam habere poteſtatem, quantam imperantes, quorum vicem explent* (§. 241.); *niſi quod* Vicarii et tutores *non habeant poteſtatem ſummam*: dum nomine alieno, id eſt, adminiſtratorio, gerunt poteſtatem ſuam (§. *eod. et* 242.), ob eamque cauſam ipſorum poteſtas ſumma eſſe nequit (§. 24.).

Tanta eſt vicariorum et tutorum regiorum poteſtas, quanta Imperantium, niſi quædam legibus excepta. An Vicariorum poteſtas ſumma?

§. 247.

Verſamur adhuc in ſtatus Reipublicæ conuerſione. Commutatio vero rerum in Republica magna quoque accidit, quando Princeps Rempublicam relinquit: cuius derelictionis variæ occurrunt

Derelictione Imperia amittuntur. Num Princeps iure derelinquere regnum

poſſit, etiam contra Legum prohibitionem et inuito Populo?

runt quæſtiones, inter quas Principem locum obtinent illæ duæ quæſtiones, quas ſupra (§. 216.) iam quodammodo attigimus, quas vero hic iuuat attentius conſiderare, et aliis argumentis corroborare ſententiam meam. Quod ad illam quæſtionem, *num iure Princeps regnum per derelictionem amittat?* illius probatio, quod derelictio cum amiſſione regni ſit coniuncta, ita ſeſe habet. Derelictio nititur ea re, vt imperans poteſtatem ciuilem, quam exercuit, habere vel expreſſa nolit declaratione, vel tacito conſenſu alteri permittat exercenda iura ad ſe ſpectantia. Hic caſus vſu venire poteſt, quando Princeps, qui ſummam poteſtatem habet aut aliud quid iuris, v. g. dominium directum in regnum feudale, Rempublicam, hoſte eam inuadente, non defendat. Ex definitione derelictionis fluit, quod *qui derelinquit iura imperii, ea amplius habere nolit;* voluntate autem ſua et conſenſu quilibet id, quod ſuum eſt, transferre poteſt, GROTIVS de *I. B. et P. Libr. 2. cap. 16. §. 1.* adeoque et *Princeps ſuum imperium derelictione transferre poteſt* GROTIVS *lib. et cap. cit. §. 3.* Quod ad alium translatum eſt, iſtud deſinit eſſe noſtrum, quod hic idem eſt, ac amiſſum:

qua-

quapropter *derelictione, vt quæuis iura, ſic et imperia amittuntur.* Quod ad alteram quæſtionem *num iure derelinquere poſſit Princeps regnum ?* omnino *affirmandum,* quod facere poſſit. Nam quoniam Imperans cogi nequit (§. 36.): fieri etiam non poteſt, vt ad retinendum imperium adigatur. Proinde nullam habet obligationem perfectam retinendi imperium (*argum.* §. 33.); et ex conſequenti iure derelinquere Rempublicam poteſt, etiam inuito populo, propterea quod populus per ea, quæ modo diximus, nullo iure imperantem ad quidquam adigendi pollet. Hinc non iniuria HENRICVS VALESIVS, Rex Poloniæ, regnum deſerebat, et diſcedebat in Galliam, nemine ex Polonis conſulto; præcipue cum pro eo, ac refert FREDRO in hiſtoria HENRICI I. *pag. 116.*, ocius ipſum adeſſe in Gallia res requirebat. Porro etiam prohibente lege fundamentali, ſub qua imperium accepit Princeps, derelinquere regnum poteſt, quia lex fundamentalis Principem, vt eandem ſeruet, itidem perfecte non obligat (§. 33): ob eamque cauſam leges fundamentales non impediunt, quo minus relinquere Princeps regnum queat. Cuius generis legem PALTHENIVS in *Diſſ. de Dethroniſat.* §. 4. adducit, latam intuitu MICHAELIS VVIZNOVVIZII, qui

in pactis conuentis diſertis verbis promiſit: *Regno Poloniæ nunquam abdicabimus.*

§. 248.

Imperans depoſitione non amittit Imperium. Argumentum in contrarium ſoluitur.

Depoſitione, ſeu, vti vocant, dethroniſatione, *amittere Principem iure poteſtatem ciuilem* inter alios *putat* ABBADIE in tractatu, quem inſcripſit: *Defenſe de la Nation Britannique, pag. 261.* Quibus adductus ſit rationibus colligere licet ex hac, quam fecit, argumentatione, ſcilicet: *S'il n'étoit point permis de depoſer un Roi*, inquit, *il s'en ſuivroit, que - - - nous aurions perdu ou aliené pour jamais le Droit de nous conſerver nous-mêmes.* Verum quomodo hoc ſit conſequens illi non video. Conſeruare enim nos licet per obedientiæ denegationem, quamdiu Princeps aduerſus iura moliatur (§. 63.). Proinde *ego in omnia alia eo*, ac quidem hiſce ex cauſis: depoſitio Regis fieri non poteſt, niſi eum cogendo; quippe depoſitio omnis conſiſtit in ademtione violenta ciuilis poteſtatis, imperanti a parentibus facta, aut etiam ab hoſte. Quod ad parentes, cum cogere ſuum Principem nullo pacto aut iure queant (§. 36.): facile eſt concipiendum, parentibus nullum ius compete-

re deponendi imperantem; nec etiam hoſti, ob defectum cauſæ iuſtæ adimendi alteri poteſtatem ſuam ciuilem (*argum.* §. 210.). Quare *nec etiam depoſitione vlla Princeps amittit imperium ſuum, potius quouis modo poteſt vindicare ſibi.* Inde, vt alia exempla omittam, quid de VVENCESLAI Imperatoris, depoſitione ſentiendum, et ex his principiis et ex actis huius depoſitionis, quæ VLRICVS OBRECHTVS in *Apparatu Iuris Publici, pag. 180.* exhibet, colligere licet.

§. 249.

Renunciatio eſt modus amittendi ciuilem poteſtatem, niſi ius ad ſuccedendum renuncians ſibi et heredibus in certum caſum reſeruet.

Quod renunciatione transferantur quodammodo imperii iura, (§. 220.) probauimus. Vbi autem transfunditur ab vno in alium quidquam, ille, qui transtulit ius ſuum, iſtud amplius non habet, ob eamque cauſam amiſit. Quare *in quantum renunciatio eſt modus transmittendi ciuilem poteſtatem, in tantum quoque amittitur legitime eadem.*

§. 250.

Quando imperium familiæ regna-

Finis iuris imperantium tum quoque conſtituitur, cum is aut ea familia, cui ſumma poteſtas a

 po-

tricis deſinat in regno maſculino, ſemino, electiuo?

populo data, in viuis eſſe deſiit. Namque illo, cuius vitæ cohærent iura, intereunte, iura ipſa intereant reſpectu illius neceſſe eſt: atque ex conſequenti *morte cuiuslibet imperantis in regnis electiuis, et interitu familiæ in hæreditariis iura imperii finiuntur (argum.* §. 213.). Atque vero cum *regna hæreditaria* ſint vel *maſculina* vel *feminina*: in illis *deficiente prole maſcula*, in his *non niſi in defectu prolis vtriusque ſexus* iura imperii deſinunt, regnumque vacat (§. 241.).

§. 251.

Quibus modis et quo tempore deſinit imperium, iisdem modis et eodem tempore populus recipit libertatem.

Ex modo dictis conſequitur, vt, quia parentes et imperantes quandam inter ſe relationem habent (§. 26.), *imperante aut eius familia emortuis, in parentes iura imperii recidant*, i. e. *populi liberi fiant* (§. 23.): ac quidem in regnis femininis non niſi familia vtriusque ſexus deficiente populus recipit libertatem (§. 250.).

§. 252.

Quo facto populus iuſte poteſt,

Si quando accidit, vt *parentes* demortua familia, ad quam iura imperantis pertinent, *iura populi libe-*

liberi receperint (§. 251.): non quisquam eſt, qui iura ſumma in eos poſtulare poteſt, atque ita *nemo habet impediendi facultatem, quo minus in libertate ciuili permaneant, ſiue alium imperantem ſibi ex arbitratu ſuo eligant, ſiue aliam Reipublicæ formam inducant, legesque fundamentales et naturam Reipublicæ fundamentalem mutent, etc.* Quocirca poſſunt ex regno ſucceſſiuo electiuum, ex electiuo hæreditarium, ex regno maſculino femininum, ex monarchia Ariſtocratiam aut Democratiam, et vice verſa, efficere. *aut in libertate ciuili permanere, aut alium ſibi imperantem eligere: aliam Reip. formam inducere, legesque fund. et naturam Reip. mutare aut tollere?*

§. 253.

Quoniam vero commutationem formæ Reipublicæ in eius gubernandæ modo mutationes conſequuntur (§. 49.), et ex conſequenti in poteſtatis ciuilis exercitio (§. 25): operæ pretium erit perſcrutari, *quamnam conuerſio vnius formæ Reipublicæ in aliam afferat conſecutionem in Reipublicæ gubernatione?* Quandoquidem in Monarchia iure proprio vnus; in Ariſtocratia plures, qui optimates *Quid ex conuerſione formæ Reip. conſequatur in Reip. gubernatione et ſucceſſione?*

et coimperantes audiunt; in Democratia omnes, qui populum repræſentant, habent poteſtatem ciuilem (§. 23.), ex poteſtate ciuili vero iura omnia, quæ imperanti aſſignauimus in hoc opuſculo, fluunt: *non poteſt alia mutatio ex conuerſione formæ Reipublicæ oriri, niſi vt, pro eo ac diuerſa mutatio accidit, diuerſi quoque habeant poteſtatem ciuilem, iuraque omnia Maieſtatica*, in quorum enumeratione iam verſati ſumus. Nempe enim ſi *mutatio monarchiæ in Ariſtocratiam* facta: loco monarchæ optimates Rempublicam moderantur; et ſic porro facile eſt ad colligendum penes quos rectio Reipublicæ aut ius ſuccedendi ſit, mutatione formæ Reipublicæ et ordinis ſuccedendi facta.

§. 254.

De monarchia et poteſtate abſoluta ac limitata.

Monarchia alia *abſoluta*, alia *limitata*; illa *cognoſcitur ex imperantis poteſtate ciuili abſoluta*, hæc ex *limitata*; *abſoluta* autem *imperantium poteſtas* eſt, quando exercent poteſtatem ciuilem et gubernant Rempublicam ad voluntatem ſuam ſolam, ita, vt opus non habeant conſenſum aliorum adhibere, aut ſeſe ad certas regulas et modum regendi accommodare. *Limitata imperantis*

tis poteſtas itaque eſt, quando in exercitio aut omnis poteſtatis ciuilis, aut certorum tantum iurium Maieſtaticorum, ad conſenſum eorum, qui perſonam populi gerunt, adhibendum tenetur ex legibus fundamentalibus. Quibus ex definitionibus facile colligi poteſt, quænam regna in Europa abſoluta, quænam limitata ſint. Apertum *ſignum limitatæ poteſtatis eſt, quando in regno comitia ordinum, parlamenta, ſenatus regni habentur (argum.* §. 54.). Quod ſi itaque attendere ad mutationes, quæ in Moſcouia paucis ante annis acciderunt, volumus: cognoſcere datur, quod eo tempore, quo Imperatrix Ruſſorum hodie regnans, ad ſenatus imperii conſenſum in negotiis imperii adſtringebatur, ipſius poteſtas limitata fuerit; ex quo vero illa obligatio ceſſauit, ex eo tempore eius abſoluta poteſtas, quam hodie feliciter et maxime prudenter exercet, deriuanda.

§. 255.

Limitata poteſtas manet ſumma et independens: Vnde colligatur, quanam reſum-

Quanquam vero Monarcha limitatus non ſecundum voluntatem ſuam dirigere omnia valeat, ſed negotia aut omnia aut quædam a conſenſu ordinum populi pendeant (§. 254.): attamen *æque*

Regna magis aut minus limitata? *ſumma et independens limitata poteſtas ciuilis eſt, atque abſoluta.* Namque ex definitione limitati imperii (§. *eod.*) patet, quod leges fundamentales limites imperantis poteſtati ponant; iam vero *cum leges fundamentales neque tollant, neque minuant ſummam et independentem ciuilem poteſtatem* (§. 74.): efficitur ex eo, quod limitata poteſtas æque ſumma et independens ac abſoluta ſit. *Vbi in omnibus imperii iuribus Princeps conſenſum ordinum adhibere tenetur, ibi maxime limitata poteſtas; vbi vero in paucioribus* conſenſus ordinum opus eſt, *illud regnum minus eſt limitatum,* quam vbi Princeps in pluribus rebus conſenſum ordinum requirere tenetur (§. 254.). Si igitur conferas regna Europæ: ex his Principiis iudicare poteris, quænam regna magis, quæ minus limitata ſint.

§. 256.

Populus habet facultatem ex regno abſoluto limitatum et v. v. efficiendi: vtrum in regno limitato

Cum *populus ius* habeat leges fundamentales ponendi (§. 72.): *habet* etiam *facultatem poteſtati imperantis limites ponendi* (*argum.* §. 254.), et ex conſequenti *ex regno abſoluto limitatum*, et viciſſim *ex limitato abſolutum efficiendi* (§. 252.).

(§. 252.). Eadem itaque ratione Monarcha limitatus ad conſenſum ordinum obligatur, ac ad leges fundamentales ſeruandas (§. 254.). Ac cum ex legibus fundamentalibus imperfecta tantum imperantis exiſtat obligatio (§. 78.): etiam *imperfecte tantum in conſenſum ordinum Princeps limitatus obligatus eſt*; ob eamque cauſam conſiderari *ſuffragium ordinum*, *vt conſilium nudum, a Principe poſſet*, *niſi*, ſi eorum ſuffragium non adhibeat, aut non ſequatur, contraque eorum conſenſum agat, eius generis *actus*, quia *contra leges fundamentales* nituntur (§. 254.), *nullam producerent obediendi obligationem* (§. 63.).

Imperantis obligatio ad ordinum conſenſum perfecta ſit, an imperfecta?

§. 257.

Præter has tres, quas (§. 253.) enumerauimus, *formas Rerumpublicarum* nomen *regularium* ſubeuntes, reliquæ, quæ exiſtunt, compellari irregulares ſolent: quamuis modus rectionis Reipublicæ ſecundum regulas Reipublicæ maxime ſalutares inſtitutus ſit. Secundum vſum loquendi itaque *irregulares ſunt* eæ Respublicæ, in quibus modus regiminis diuerſus a formis ordinariis tri-

De Rebuspublicis regularibus et irregularibus.

tribus, quas (§. 253.) recenſui, per leges fundamentales aut pacta tacita eſt conſtitutus.

§. 258.

Syſtema re- rump. inter nullam reip. formam referenda: in ſyſtemate re- rump. tot ſunt Resp. liberæ, quot ciuitates ſingulares.

Inter Reſpublicas irregulares primo loco *connumerare ſolent* plures, ſed *falſo*, *Syſtemata Rerumpublicarum*: quæ autem non probe concipi mente poſſunt, antequam Syſtema generatim, quid ſit, intelligatur. *Syſtema in genere* efficiunt res omnes, quæ nexu quodam inter ſe cohærent. Ex quo intelligere datur, quid ſub nomine Syſtematis Europæ venire debeat, ſcilicet, *Syſtema Europæ* ſumendum aut in ſenſu iuridico aut politico: *in ſenſu iuridico* ſignificat nexum ſtatuum Europæ, i. e. relationem iurium et obligationum, quæ ſtatus Europæ inter ſe habent (*argum.* §. 1.); in ſenſu *politico* ſignat nexum rationis ſtatus, ſeu τȣ intereſſe, vt aiunt, cuiusque Reipublicæ Europæ cum reliquis. Inde cum M. ROVSSET meditetur opus publicare ſub titulo, *Les interêts preſents de Puiſſances de l' Europe:* ex eo cognoſcere dabitur Syſtema Europæ politicum. Et quoniam de Syſtemate Europæ iuridico, quoad eius ſcio, nondum ſcriptum extat, tale

le ſyſtema vero iure gentium communi et pactitio ſtatuum Europæ nititur: *in animo habeo*, eadem ratione, ac hoc ius publicum elaboraui, *aggredi opus iuris gentium, et deinde auxiliantibus his principiis* iuris gentium generalibus, ex pactis *Europæ publicis, vt puta, ex ſolennibus inſtrumentis pacis, tractatibus commerciorum, fœderibus et amicitiæ et mutui auxilii, pactisque ſucceſſoriis, de Syſtemate Europæ Iuridico hodierno cogitationem ſuſcipere.* Quæ ſi accommodamus ad *Syſtema Rerumpublicarum*, ſeu *ciuitatum*, vt loqui amat PVFFENDORFF. de *Syſtemate Ciuit.* nihil *ſignificant* aliud, quam complexum plurium Rerumpublicarum, quæ nexu perpetuo tali inter ſe coniuncti, vt in rebus, conſeruationem nexus inter ſe reſpicientibus, corpus vnum ciuile, ſeu perſonam vnam moralem, oſtentent, in rebus conſeruationem cuiusque ciuitatis ſpectantibus autem quælibet ciuitas per ſe ſigillatim Rempublicam conſtituat. Quandoquidem ergo in Syſtemate Rerumpublicarum tot ſunt Respublicæ liberæ, quot ciuitates ſingulares in eo continentur; formæ Reipublicæ nomen vero de ea gente tantum, quæ Rempublicam vnam efficit, prædicatur (§. 49.): facile colligi poteſt, quod *Syſtema Rerumpublicarum* ob id, quod plures Respu-

blicæ

blicæ ad id requiruntur, *inter nullam Reipublicæ formam referendum*, et ob id *nec Respublica irregularis haberi queat.*

§. 259.

Ex quo iura cuiusue ciuitatis, quæ in ſyſtemate rerump. continetur, deriuanda? vnio regnorum non facit ſyſtema rerump.

In Syſtemate Rerumpublicarum plures ſeſe conſociant Reſpublicæ (§. 258.). Proinde in qualibet ciuitate vnita imperantes et parentes exiſtunt (§. 2.), iuraque Reipublicæ ſaluæ permanent, atque ita *in quauis ciuitate ſingulari quæ in Syſtemate Rerumpublicarum continetur, penes gubernantes Rempublicam reſidet poteſtas ciuilis* (§. 23.), *eaque ſumma atque independens* (§. 24.), *nec iis, quæ Syſtema conſtituunt, ſubiecta* (*argum.* §. 94.) Hinc illas quæſtiones, quas format *illuſtris* GRIBNERVS in *Principiis Iurisprudentiæ naturalis*. Libr. 2. cap. 11. §. 4. n. 3., quæ ipſi dubiæ ſunt et non ſatis expeditæ, ſolui poſſe cenſeo. Hinc porro illæ *terræ, quæ ab vno coniunctim gubernantur, quamuis* iura quædam particularia et peculiaria retineant, et *nomina etiam regnorum gerant, non ſunt Syſtema Rerumpublicarum* compellanda. Ex quo iudicare licet, quod quamuis *Anglia, Scotia et Hibernia* regna diuerſa ſint; atta.

attamen ob id, quod ab vno Rege gubernentur, non ſint inter ſyſtemata Rerumpublicarum æſtimanda.

§. 260.

Differt confœderata Resp. a ſyſtemate Rerumpubl.: membra illius iura imperii non habent omnia, ſed ea tantum, quæ ope confœderationis obtinuerunt.

Quando *tali pacto* inter ſe *vnitæ plures Prouinciæ*, vt omnes coniunctim ab vna poteſtate ciuili gubernentur, illæ *confœderatam Rempublicam potius, quam Syſtema Rerumpublicarum, conficiunt.* Ac quandoquidem prouinciæ per hypotheſin vnam Rempublicam conſtituere debent: poteſt quoque illas non niſi vna poteſtas ciuilis ſumma moderari (§. 23. et 24.). Quocirca nulla prouincia per ſe, quamuis nomen Reipublicæ aut regni gerat, iura Reipublicæ aut regni omnia habet, id eſt, poteſtatem ciuilem ſeparatam, et independentem: atque ita iura, quæ ex poteſtate ciuili conſequuntur, i. e. Maieſtatica, tantum ea habet, quæ vi pacti obtinuit; reliqua coniunctis viribus ſunt expedienda. Ac cum talis conſtitutio confœderatarum prouinciarum belgicarum ſit, vt præter alios autores BASNAGE *Deſcription Hiſtorique du Gouvernement des Prouinces uniés*, ob oculos ponit: *Belgium fœderatum fœderata Reſpublica potius eſt habenda, quam ſyſtema rerumpublicarum.*

§. 261.

De vnione gentium et terrarum, qua dupliciter fieri poteſt et differt ab incorporatione: de ratione vnionis et incorporationis terrarum, quas victor ſubegit, ſi pace de modo habendi nihil expreſſe conuentum.

Ab Syſtemate Rerumpublicarum æque, atque ab confœderata Republica ſecernenda, eſt *vnio gentium et terrarum*, quæ *duplex* eſt, vt obſeruando notat GROTIVS de *I. B. et P. Libr. 2. cap. 9. §. 9.* 1.). *vt* vnius gentis ius in alteram transfundatur, et *vna fiat Reſpublica.* Qualis vnio Angliæ et Scotiæ eſt, vt ex tractatu vnionis huius, anno 1706. concluſæ, quem Gallice *Tomus II. Corporis iuris gent. Acad. pag. 1193.* exhibet, diſcimus, cuius vnionis *artic. 1.* ita ſe habet: *Que les deux Royaumes d'Ecoſſe et Angleterre ſeront dorenavant a perpetuité vnis en un ſeul Royaume ſous le nom de Grande Bretagne.* Hanc vnionem Angli coalitionem nominare maluerunt, vt AITZ. *tr. pac. edit. lat. p. 829. ſq.* et ſub *coalitione* intelligunt talem vnionem, quando plures conſenſu, non coactione, vnum fiunt. 2.). *vt quælibet gens aut terra ab altera ſeparatas rationes retineat, ſed tamen ita iungantur, vt commune caput habeant in perpetuum*, et a ſe inuicem non dependeant, ſed tamen ſeparari nequeant. In quali vnione exiſtere terras *Domus Sereniſſi-*

ma

mæ Auſtriacæ hæreditarias *in meditatione ad Sanctionem Pragmaticam*, qua hæc vnio et indiuiduitas ſtabilita, oſtendi. *Addo* 3.) vulgo dictam *incorporationem terrarum, quæ* in eo *differt ab vnione gentium* (1) quod interdum non integra gens aut Reſpublica, ſed tantum pars alicuius gentis ſeſe vniat alteri, (2.) quod poſt hanc vnionem illa terra, cui ditio incorporatur, vt terra principalis, illa terra vero, quæ incorporatur, vt acceſſoria eique ſubiecta ſit. Vt ex diplomate CAROLI IV. 1355., quo *Sileſia Bohemiæ* regno fuit *incorporata*, exempli loco declarari poteſt. Terra itaque incorporata ob ſubiectionem, quæ comitatur incorporationem, conſtitutionem fundamentalem terræ principalis ſequi tenetur; *terræ acceſſoriæ* compellari *prouinciæ* ſolent: ob eamque cauſam terra incorporata, vt prouincia, habetur, i. e. ab regno principali dependens (*argum.* §. 94.). Longe aliter ſe res habet cum terris ſub vno capite abſque incorporatione vnitis, ibi enim ob ſeparatas rationes, quas terræ vnitæ tenent, independentes a ſe inuicem permanent, quamuis vnius Principis poteſtati ciuili ſubſint (*vi def. vnionis*). E contrario quoniam prouinciæ et terræ incorporatæ dependentes a terra principali: non poſſunt illis iura a iuribus terræ principalis diuerſa et præcipua tribui, niſi pa-

ctis ſubſecutis aut expreſſis aut tacitis aliud cautum (*argum.* §. 32.). Quibus rebus adduci quilibet poteſt, vt concedat, quod, *ſi imperans iure belli ſuis terris ditionem adiecit, nec quidquam de eius habendi modo, tam in ratione gubernandi, quam ſuccedendi cautum pactis bellum ſubſecutis, is eam vt prouinciam,* in quam ius omne abſolutum et plenum habet, *tractare poteſt,* ob eandemque cauſam vt terram a natura fundamentali ditionum principalium, quas victor in ſua poteſtate tenet, dependentem (*vi def. Prou.* h.). Iura plena et abſoluta in Republica victorem ſibi acquiſiuiſſe ſtatuendum eſt, ni aliud expreſſe conuentum: quoniam præſumendum imperantem victorem iura omnia in victam Rempublicam ſibi adipiſci voluiſſe, quæ coacto conſenſu populi victi bello acquiri queunt. Ac cum præterea coacto conſenſu ius plenum et abſolutum in populum conſequi poſſit victor, ac etiam iura extra imperium, quale alienandi et quod ſimile: *non imperium abſolutum tantum, verum etiam iura extra imperium, quæ tamen attingunt Rempublicam, ex iure victoria victor ſibi tribuere poteſt.* Quod plenum imperium victoria acquiratur, ſi nihil conuentum, conſentientem habeo HOVTVTN, cuius argumentationem, quam in *Politica contracta generali* in

noti

not. ad §. 28. facit, iuuat hic annectere. *Coacte ius plenum et abſolutum fit*, inquit, *ſi vis maior ſubegit, nec in conditiones conuenerit: cum enim conditiones victor noluit, poteſtatem omnem et ius omne voluit; tantam igitur poteſtatem, tantumque ius belli iure acquiſiuit, quantum concedere ei populus maxime potuit. In imperantem igitur ius omne abſolutum ac plenum tranſit, populo de imperio et ſuperioritatis iuribus non tantum non participante, ſed et nulla penes ipſum iuris parte manente.* Nec putet quisquam eundem ICtum, quod ad iura extra imperium, aliter ſentire, quia paulo infra eodem loco, *ad imperantem*, ait, *non pertinet ius extra imperium, de quo expreſſe conſenſum non eſt.* Loquitur enim de imperio inſtitutiuo et voluntario, et quæſtionem diſſoluere intendit: vtrum transtuliſſe in imperantem populus quicquid potuit, dum nihil exceptum ſit, an quod voluit, dicendus ſit; et decidit, quod in regno voluntario, tantum quod populus voluit ad imperantem transferatur; neque vero aliud conſentientes initio voluerunt, quam imperium inſtituere, ergo ſi *in imperio voluntario ius omne ſub conſenſu expreſſe non venerit, tantum quod voluit populus*, *imperium* ſcilicet, *datum intelligimus*, *non* igitur *id*, *quod extra imperium. Quod vero iura extra imperium in imperiis, conſenſu coacto acquiſitis, victor ac-*

quirere debeat, ex dictis ICti huius *ita colligo*: dicit laudatus autor loco hic adducto, quod tantam poteſtatem tantumque ius belli iure victor acquirat, quantum populus ei concedere maxime potuit. Iam poteſt populus alicui regnum ita tradere, vt id liceat ad hæredes vtriusque ſexus transferre, imo alienare (§. 205.). Quapropter etiam ex ſententia HOVTVTNI victor, ſi in conditiones cum victis non conuenerit, inter iura, quæ ſunt extra imperium, etiam ius terras bello quæſitas ad quosuis poſſeſſores transferendi habet. Accedit, quod HOVTVYN eodem loco aſſerat, quod coacte in imperantem ius omne abſolutum ac plenum transeat: plene autem iura imperii habentur, quando extra imperium ius alienandi, et quod ſimile, Princeps habeat, vt argumentor ex § *12. 13 et 14* GROTII de *I. B. et P. L. 1. c. 3.* Ex quibus *argumentari licet ad ius* hodie glorioſiſſime regnantis *Imperatoris diſponendi de terris bello et pace acquiſitis.*

§. 262.

Forma cuiusque Reip. ex L. F., natura Reip. fundamentali, cognoſci poteſt:

A modo rectionis Reipublicæ eiusdem forma proficiſcitur (§. 49.). Ac cum Reſpublica irregularis modum regiminis Reipublicæ pro fundato habeat in legibus fundamentalibus atque etiam pactis tacitis (§. 257.):

(§. 257.): quilibet perſpicit, quod is, *qui iuſtus formæ Reipublicæ irregularis æſtimator eſſe cupiat, perſcrutandum habeat leges Reipublicæ fundamentales, tacitumque eorum conſenſum, quorum ad arbitrium ſumma rerum in Republica redit, ex quo obſeruantia, actuum frequentia accedente, originem trahit* (§. 141.), quæ obſeruantia ideo etiam probe ponderanda eſt. Quod ſi quis recte cognoſcit ea, quæ modo dixi, ille quoque formam Reipublicæ penitus percipiet. Quæ cum ita ſint, *nec vlla poteſt in rerum natura Reſpublica exiſtere, cuius forma non cognoſci queat.* Quo autem nomine quælibet forma compellanda ſit, ſi nobis nomen in omni antiquitate deeſt, illa *de nomine disquiſitio inanis*, propterea quod rem ipſam ex natura Reipublicæ fundamentali cognoſcere magis e re eſt, quam de nomine inueniendo anxium eſſe. Quare ſi quæret quisquam, quænam *forma imperii Germanici? innominata*, inquam, eaque *optima, ex legibus imperii fundamentalibus ſatis ſuperque cognoſcenda.* Quoniam præterea ex nomine ſingulari Reipublicæ irregularis in ea, quam habet (§. 257.) ſignificatione ſumtæ, ne minimum quidem ius aut obligationem Imperatoris et ſtatuum re non intellecta, i. e. natura imperii fundamentali, le-

diſquiſito de nomine formæ Reip. irregularis eſt inanis.

gibus imperii nixa, deriuare poteris: *nihil formam Imperii quoad nomen noſſe, refert.*

§. 263.

An Forma Reipublicæ mixta concipi mente poſſit?

Formam Reipublicæ mixtam adſtruere HVGO GROTIVS de *I. B. et P. Lib. 1. c. 3. §. 19.* et eum ſequens KVLPISIVS ad GROTIVM *p. 26. §. 11.* et ad MONZAMBANVM *P. 2. p. 225.* STRAVENS aliique plures tentant. Verum ſi dicendum, quod res eſt, formam Reipublicæ mixtæ eo ſenſu ego quidem non concipio, quando talem formam ea ſignare debet, quæ partim Monarchica, partim Ariſtocratica aut Democratica eſt, vt colligo ex definitione, quam illuſtris GRIBNERVS in ſuis *principiis Iurisprudentiæ naturalis Lib. 2. c. 11. §. 1.* format. *Reſpublica mixtam formam habet*, inquit, *quando Reſpublica nec ab vno, nec a pluribus in ſolidum regitur, ſed in quibusdam Maieſtatis iuribus exercendis Rex ſolus occupatur, in aliis optimates aut populus cum eo concurrunt, aut alias ea non vno modo exercentur.* Eam ob cauſam *forma Reipublicæ mixta mihi* quidem *videtur incomprehenſibilis, quia*, cum vnus isque ſolus in monarchia imperitet (§. 253.), non poteſt illa Reſpublica quidquam participare cum monarchia, vbi vnus ſolus non habet poteſtatem ciui-

lem

lem omnem eamque ſummam (*argum.* §. 24.), quamuis non abſolutam (§. 255.). Quod ſi autem Reſpublica partim Ariſtocratica eſſet, partem aliquam poteſtatis ciuilis in ſe deriuarent plures (§. 253.), atque ita penes imperantem ſolum non omnis poteſtas ciuilis foret: illud pugnaret contra notionem formæ monarchicæ (§. *eod.*), et contra indiuiduitatem poteſtatis ciuilis (§ 202.), fierique adeo non poſſe cenſeo cum HOBBESIO in *Leviathan c. 18. c. 24.* BODINO de *Republica Lib. 2. c. 1.* HVBERO, VVERNHERO, BOEHMERO, aliiſque, vt detur cognoſcere formam Reipublicæ mixtæ.

§. 264.

An imp. Germanicum ſit reſp. mixta? Nihil iuuat imperii formam nomine inſignire, cum eius naturam fundamentalem ex legibus cognoſcere detur.

Ne falſo quemquam opinio teneat KVLPISII ſtatuentis *Imperium Germanicum*, inter alias Reſpublicas mixtas exiſtentes, *Rempublicam mixtam eſſe*. Si enim generatim veritate fundatum, quod Reſpublica mixtra concipi non queat (§. 263.): multo minus fieri poteſt, vt vlla Reſpublica mixta, adeoque *nec imperium, eius generis Reſpublica* exiſtat. A me formam Reipublicæ Germanicæ ſi requiras, tibi, quod rogas, ad id ex (§. *prec.*) reſpondeo, ſcilicet, quod minus neceſſe habeam *formam Reipubli-*

cæ Germanicæ nominatim compellare, idque eam ob cauſam, quod admodum *nihil iuuat ad ſtructuram imperii ſeu naturam fundamentalem perſpiciendam.* Satis eſt nobis leges fundamentales noſſe ex iisque iura officiaque Imperatoris ac ſtatuum deriuare poſſe: quippe quæ ſtructuram et formam Reipublicæ Germaniæ ſua natura continent *(argum.* §. 62.). Atque etiam *ſi fingamus, dari Reſpublicas mixtas*, eius generis, vt eas (§. 263.) circumſcripſimus: tamen *ex imperii Germanici natura fundamentali nec forma Reipublicæ mixtæ nec nomen ſingulare vllo pacto excogitari poterit.* Etenim Rempublicam mixtam ex parte oportet eſſe Ariſtocraticam aut Democraticam (§. 263.). In Ariſtocratia vero et Democratia iure proprio Principes ciuitatis aut ciues coniunctim imperium omne habent (§. 253.): qui exinde coimperantes compellari ſolent iure meritoque, et quorum poteſtas ciuilis in gubernatione Rempublicæ ſumma eſt atque independens (§. 24.). Eſſe autem, qui ignorat, arbitror neminem, quod in rebus communem imperii Germanici vtilitatem continentibus, quas publicas appellamus, nec quidquam ſine autoritate imperatoris quoquo modo conficere queant ſtatus: nec proinde dici poteſt penes eos, eosque ſolos, exercitium poteſtatis ciuilis eſſe. Hoc

vero

vero requiritur in forma Ariſtocratica et Democratica, vt penes Principes ciuitatis ſolos et ciues iure proprio coimperium reperiatur, ob quod coimperantes nominantur: quare vides, quid ſit, quod *imperium Germanicum non habeat vllam formam Reipublicæ Ariſtocraticæ aut Democraticæ, ſtatusque coimperantes dici non queant.* Præterea quam formam Reipublicæ mixtæ ſibi nonnulli fingunt et cogitatione depingunt, ex forma Ariſtocratica aut Democratica compoſita ſit oportet (§. 263.). Ob eamque cauſam *imperium Germanicum nec imaginem Reipublicæ mixtæ habet, nec adeo nomen eidem aſſignari poteſt.*

§. 265.

An Anarchia Reſpublica ſit habenda?

Formis Rerumpublicarum tam regularibus quam irregularibus eſt *Anarchia* opponenda: in qua quippe eum in locum deducta ſocietas eſt hominum, vt, qui imperans quique parentes ſint, cognoſci certo non queat. At vero, quoniam nec vlla Reſpublica ſine imperante ac parentibus exiſtit (§. 2.), conſequens eſt, vt vbi hi incerti, incertus etiam ſit ſtatus Reipublicæ, atque ita *potius eiusmodi ſocietatem ciuilem multitudinem hominum*, HOBBESIVM ſequens *de Ciue, cap 12. §. 8., quam Rempublicam aut populum ſui iuris compellandam reor,* (§. 23.).

§. 266.

Singulis iuribus imperantis reſpondent officia parentium: an de officiis parentium tractare ſigillatim neceſſarium?

Imperantium ordinem atque parentium in quauis Reipublicæ forma ineſſe, clarum eſt (§. 2.). Quoniamque ſic imperans, quisquis eſt ille, ſit ſiue perſona phyſica ſiue moralis, i. e. complexus hominum plurium, in omni Republica gaudet ciuili poteſtate (§. 23.); ea vero in complexione iurium, quæ ad Rempublicam gubernandam pertinent conſiſtit (§. 25.): conſequitur, vt *imperans, quatenus eſt imperans, nihil præter iura habeat, ob eamque cauſam nullas intuitu parentium obligationes.* E contrario autem quoniam iuribus imperantis mutuo reſpondent parentium obligationes (§. 26. et 27.): apparet, quod *parentes* ex ea parte, *quatenus parentes ex nulla alia re, niſi ex obligationibus cognoſcantur,* ad imperantis iura ſeſe referentibus (§. 27). Quæ cum ita ſint: omnia omnino iura, quæ imperanti in hac tractatione vindicauimus, ita oportet eſſe comparata, vt iis ſeſe ſubiiciendi in parentibus ſit obligatio. *Inde parentium obtemperatio ſcriptis legibus eorumque obſequentia in imperatis faciendis, tributis ſoluendis, et cet.* Non neceſſe habeo obligationes parentium ſingulas deducere,

re, dumid quilibet per ſe efficere poteſt, ſi in ſingula iura imperantium, hactenus enumerata, conſiderationem intendat et *ſingulis iuribus imperantium ſingulas obligationes parentium reſpondere* perpendat (§. 26.).

§. 267.

An parentes diſtingui in Status, ciues et ſubditos poſſint? De iuribus Statuum generatim.

Quandoquidem igitur iure optimo obligationes parentium poſſumus miſſas facere; cum ex iuribus imperantis hactenus deductis ſponte ſua intelligantur (§. 260.): nihil reliqui eſſe exiſtimo, quam vt eam parentium diſtinctionem, quæ, quoad eius ſcio, nondum a iuris publici doctoribus notando obſeruata, afferam. *Diſtingui* ſcilicet oppoſite *parentes in ſtatus, ciues et ſubditos poſſe cenſeo,* atque hanc diſtinctionem facere et oportet et opus eſt, ob id, quod *tanta eſt inter ſtatus, ciues et ſubditos, quanta inter iura et obligationes diſtantia.* Sub *nomine* enim *ſtatuum* mihi quidem veniunt in Republica illi parentes, qui ius habent participandi iure proprio de gubernatione Reipublicæ aut ditionum particularium Reipublicæ. Nomen autem *ſubditorum* ſubeunt illi parentes, qui partem nullam in ſe deriuare rectionis Reipublicæ queunt. *In hoc* vero, tanquam genere, *conuenit ſtatus cum ſubdito*, quod in iis, quæ con-

mus et docebimus, quod in ſtatus *perii et reip.* et imperii Germanici et Reipublicæ *Belgicæ.* Belgicæ ea quadret. *Quod ad ſtatus Reipublicæ Belgicæ*, quos germanice *die Staaten von Holland*, ſive ſignificantius, *die General-Staaten* nominant: ſub iis intelliguntur Prouinciæ Belgicæ, quæ fœdere Traiectino in ciuitatem coaluerunt, et ad gubernandam ciuitatem communem concurrunt iure proprio. Quælibet Prouincia oſtentat perſonam moralem, cuius mandato mittuntur, qui perſonam Reipublicæ gerunt, quique omnes Prouincias, Rempublicam Belgicam conſtituentes, gubernant in illa, quæ Hagæ Comitum eſt, collegii coniunctione. Prouinciarum, iure ſtatuum generalium gaudentium, deputati coniunctim ſumti, propter repræſentationem earundem, *General-Staaten* vocari ſolent, quo a ſtatibus, qui in qualibet Prouincia Belgica collegium inſtitutum habent, ſecernantur. Vti aperte docet GREGORIVS LETIVS in *Cremoniale biſtorico et politico P. 5. Libr. 7. pag 674. Vi ſono gli Stati di ciaſcuna Provincia et gli Stati generali di tutte inſieme. Ogni città ſtabiliſce ſuoi deputati per gli Stati della Provincia et queſti Stati della Provincia eligono i Deputati, che devono formare gli Stati generali.* Quod eadem *definitio noſtra Statuum* (§. 267.) *Statibus imperii conueniens* ſit,

nos

nos erudiunt leges imperii fundamentales, quarum ope Status imperii in comitiis vna gubernant imperium: attamen obedire quoque decretis comitialibus, autoritate imperatoris confirmatis, eiusque mandatis tenentur: prout inter alias leges imperii publicas ex *I. P. art. 5.* et *ordin. Camer. Proœm.* hæc res pateſcit.

§. 269.

De Statibus Prouincialibus eorumque iuribus.

Neque vero ſolum *noſtra ſtatus definitio* generalis (§. 267.) ad ſtatus Rerumpublicarum *accommodari poteſt:* verum *etiam ad ſtatus prouinciarum. Prouincia* nobis hic *late* idem *ſignat*, ac territorium, quod ſenſu politico ſumtum TITIVS de *habitu Territoriorum Germanicorum* §. 2. finit *per ditionem imperio ciuili velut animatam.* Magis propriam ſignificationem hanc eſſe ſtatuo, quod ſit ditio, quæ adminiſtratur peculiari regimine ciuili, communi tamen totius Reipublicæ imperio in tantum, in quantum conſtitutio Reipublicæ poſtulat, ſubiecta. Illi itaque qui huius peculiaris regiminis iure proprio participes ſunt, nominantur *Status Prouinciales*, quales reperire licet in Republica Belgica teſte LETIO *lib. cit.* §. *268.* Dari eosdem *in territoriis Germanicis*, obſcurum opinor nemini. Vt alias Reſpublicas miſſas faciam: certe plura ſunt regna,

regna, quæ in territoria peculiaria, quæ Gallice quoque *Gouvernements* dicuntur, diſpeſcuntur. Ex ea, quam habet LVDOLPHVS HVGO *de Statu Region. German. c. 2. n. 2.* territoriorum Germanici imperii definitione colligere facili negotio poſſumus, quid Status Prouincialis in imperio Germanico valeat: quid iurium in quibusvis regnis et Prouinciis ordinario iure ſtatus habeant, ex noſtris finitionibus eruere quivis per ſe poterit.

§. 270.

Vnde iura Statuum deriuanda ſint. Status cuiuscunque Reipublicæ in partem adminiſtrationis vocantur (§. 267.). *Quas partes* igitur *adminiſtrationis Reipublicæ Status Reipublicæ ſibi vindicare* ex natura Status *queunt, ea* iura *participare cum imperante et Conſtatibus poſſunt in adminiſtranda Republica, niſi* legibus fundamentalibus cautum eſt de iuribus Statibus competentibus, vt eſt intuitu ſtatuum imperii factum *art. 8. I. P. O.*

§. 271.

Pro diuerſa conſtitutione Rerump. Status coimperantes haberi et non haberi queunt. Non eadem Statuum omnium rerumpublicarum ſunt iura, verum maiora aut minora pro diuerſa diuerſarum Rerumpublicarum natura fundamentali. *Alia* enim *ſunt Reſpublicæ, quas ſtatus ſoli guber-*

nant, cuius generis Reſpublica belgica eſt: *aliæ, vbi caput Reipublicæ a ſtatibus totum diuerſum exiſtit*, qualis reſpublica habenda noſtrum imperium Germanicum. *In illis* Rebuspublicis *ſoli ſtatus habent* ius gubernandi Rempublicam omne, i. e. *poteſtatem ciuilem* (§. 25.), ob formam Ariſtocraticam (§. 23.), in qua eius generis ſtatus coimperantes ſunt (arg. §. eiusdem). Longe ſecus eſt *in his* Rebuspublicis, in quibus ſcilicet *caput* conſtitutum: illud enim iura imperantis *habet* (§. 23.), ideoque *poteſtatem ciuilem iusque gubernandi*, idque *ſummum* (*argum.* §. 24. et 92.). Quapropter non eandem facultatem ſtatus poſſident (*arg.* §. 111.), *neque ergo ſunt coimperantes* (*arg.* §. 264. et 23.), ſed ſolummodo in gubernanda Republica ex ea parte *concurrunt, quatenus leges fundamentales limitant capitis* Reipublicæ *poteſtatem*. Quæ ſententia corroboratur eo, quod eadem ratio imperii noſtri intuitu ſtatuum imperii ſit: quippe qui in iis iuribus tantum ſuffragia ferunt comitialia, i. e. participes ſunt gubernationis imperii, quæ §. *Gaudeant etc. I. P.* continentur; reliqua vero omnia arbitrio imperatoris ſolius permiſſa ſunt. Quam quidem diſſimilitudinem habent eiusmodi ſtatus cum coimperantibus, quod *coimperantes gubernationis Reipublicæ participes in omnibus* ſint (§. 264.).

§. 272.

§. 272.

An Status ſinguli cuiusuis generis et conditionis ſint parentes et ſummæ reip. poteſtati ſubiecti?

Ob id, quod ſtatus ſinguli parentes habendi (§. 267.); parentes vero morem gerere tenentur iis, qui ius gubernandi Rempublicam habent in eo, quod Reipublicæ cauſa decretum eſt (§. 266. 23. et 26.), conſequitur, vt *tam ſtatus, qui ſoli gubernant, quam illi, qui capiti Reipublicæ ſubordinati, in eo obedire debeant, quod Reipublicæ gratia iubetur.* Iam cum iura tam imperantium, quam coimperantium ſint, vt leges ferre, pœnas ſtatuere, bellum gerere, et vt paucis nos expediamus, omnia iura Maieſtatica, quæ ſingula plurimis huius opuſculi §§is deduxi, exercere queant: Status ſinguli, etiam cuiusuis generis, *iuribus hisce imperantium ſeſe ſubiicere debent, niſi ab eius generis obligationum vinculis priuilegio publico aut beneficio ſtructura totius Reipublicæ liberati ſint* (argum. §. 76. et 223.).

§. 273.

De Statuum obligationibus ad ea, quæ communi conſenſu reip. cauſa decreta ſunt.

Imperio ſtatus obedientes eſſe debent (§. 272.). Quapropter ſi eorum executio, quæ mandata ſunt, facienda eſt, ad hæc mandata exequenda ſtatus obligantur, ideoque nullum ius reſiſtendi habent (§. 36.).

36.). Quod *ſi quis officio ſuo ſatisfacere nolit: tunc iure, vti omnes parentes, ita et ſtatus, ad id cogi queunt* (§. 32. et 267.). Quæ cum ita ſint, non ſolum ſalutariter, ſed et iuſte ordinatio executionis in comitiis Auguſtanis 1555. quæ potiſſimum ad ſtatus imperii attinet, eſt confecta, ſecundum quam ordinationem *quiuis ſtatus executionem in alterum iuſte in ſe ſuſcipere poteſt, alterque de iniuria queri multo minus poteſt.*

§. 274.

Inter imperantes et ſubditos eſt ſtatus inæqualitatis: inde ſtatus ciuitatis eſt ſtatus inæqualitatis et ſtatus naturalis ſtatus æqualitatis.

Subditis duntaxat relicta eſt parendi gloria (§. 267.), atque ex conſequenti imperanti facultas imperitandi iis, id eſt, eos regendi (§. 25.) competit (§. 26.). Quando vero is eſt ſtatus rerum, vt alter iura, alter obligationes habeat, is ſtatus vocatur inæqualitatis: quare *inter imperantem et ſubditos eſt ſtatus inæqualitatis.* Quæ quidem differentia ſtatus ciuilis et naturalis eſt, ſiquidem *naturalis ſtatus eſt ſtatus æqualitatis*, propterea quod is eſt, quem ius naturæ dirigit (*arg.* §. 35.). Ac cum homines eandem habeant naturam: illis eſt in ſtatu naturali etiam idem ius naturæ. Inter quos vero homines æquale ius regnat, illi in ſtatu æqualitatis viuere dicun-

dicuntur: quare ſtatus naturalis ſtatus æqualitatis habendus. Iam cum per ea, quæ hic diximus, ſtatus ciuilis ſtatum inæqualitatis producat: differentia vtriusque clara eſt.

§. 275.

An ſubditi generatim ſerui reipublicæ dicendi?

Fuerunt, qui putarunt, vt THOMASIVS, quod ſubditi ſimul ſerui imperantium exiſtant: verum ego contra puto. Etenim *ſeruus in omnibus actionibus moralibus, quas Dominus putat ſuis rationibus conuenire, ei dicto audiens eſſe conſtringitur* (§. 208.): ſubditus vero obligationibus, imperantis poteſtati ciuili tantum debitis, tenetur (§. 267.), i. e. iis, quæ ad gubernationem Reipublicæ reſpiciunt (§. 25.). Quare *quæ mandata rectionem Reipublicæ non attingunt, ad ea ſubditus, qua ſubditus, exequenda non obligatur.* Idcirco ſi tantum vtilitatem priuatam imperantis, non Reipublicæ ſpectant, dicto audiens eſſe ſubditus non tenetur, ob eamque cauſam *notio ſubditi, qua ſubditi, et ſerui non quadrant ad ſe inuicem.*

§. 276.

Subditi in regno herili ſunt etiam ſerui regni.

In regno herili ſubditi præterea mandato imperantis, tanquam domini, obediunt (§. 206.). Dominus et ſeruus ſunt termini relatiui: vnde illi, qui eius generis mandatis parent, ſerui

audiunt. Quocirca *ſubditi in regno berili, non alio, ſerui haberi queunt.*

§. 277.

De libertate ciuili: in libertate ciuili viuunt imperantes, coimperantes et Populi ſui iuris.

In libertate ciuili ille eſt, qui ab alterius poteſtate ciuili immunis eſt. *Parentes ſinguli* ergo *non ſunt in libertate ciuili* (*arg.* §. 27.); imperans vero, coimperantes, populique ſui iuris habent ipſi poteſtatem ciuilem (§. 23.), atque ex conſequenti ſub alterius imperio non ſunt: quapropter *imperantes, coimperantes, populique ſunt in libertate ciuili*, ob eamque cauſam populi ſui iuris populi liberi, i. e. in libertate ciuili viuentes, compellari ſolent.

§. 278.

Subditi imperio imperantis obedire debent et contra ipſius voluntatem nihil, quod ad ſtatum publicum ſpectat, agere queunt.

Obedire nihil aliud ſignat, quam actione morali alterius voluntati et mandato ſatisfacere; iam ſubditi ad arbitrium imperantis in rebus, conſeruationem et ſalutem Reipublicæ continentibus, ſeſe accommodare debent (§. 267.): quapropter voluntatem ſuam in eius generis mandatis voluntati imperantis ſubiicere, ſiue quod idem, obedire debent. Ex quo immediata conſecutione efficitur, vt *contra voluntatem imperantis nul-*

nullus ſubditus quidquam, quod Rempublicam ſpectat, ſuſcipiendi habeat facultatem.

§. 279.

An tantum ii proprie ſubditi et parentes habendi, qui intra reip. terminos commorantur?

Quoniam voluntas omnis proficiſcitur a perſona volente: ſequitur, vt qui alterius voluntatem ſibi ſubiicere velit, illum oporteat perſonam alterius in ſua poteſtate habere. Quando autem aliquis degit in Republica, in qua imperans poteſtatem ciuilem exercet: tunc demum is in huius imperantis poteſtate, illiusque voluntas voluntati imperantis huius ſubiecta eſſe poteſt. Subiectio voluntatis voluntati imperantis incumbit parentibus et ſubditis (§. 278.). Ergo *parentes et ſubditi proprio ſunt nomine, qui intra terminos regionum Reipublicae commorantur*. Quare *is, qui tantummodo poſſeſſiones in Republica babet, ſed non in ea commoratur* ſecundum hæc iuris publici fundamenta *proprie ſubiectus non babendus*. Accedit ea ratio, quod, quoniam Reſpublica conſtat ordine imperantium et parentium (§. 2.), is, qui extra fines Reipublicæ, extra huius Reipublicæ ordinem et imperantium et parentium ſit: adeoque proprie parens non eſt, niſi is, qui intra Reipublicæ terminos commoratur. Si quis extra ciuitatem vitam degit; bona tamen

 pro-

propria et poſſesſiones in eadem habet ſita: *nihil video, quod impedire poſſit, quo minus eiusmodi homini ea obligatio imponatur, vt in omnibus, in quibus illi, qui intra terminos Reipublicæ vitam agunt, dicto audientes eſſe debent, Principi etiam pareat, niſi poſſeſſiones ſuas perditas velit.* Quod quidem eſt *fundamentum* eius generis *Landſaſſiatus*, qui *die völlige Landſaſſerey* nominatur, et in nonnullis germanicis territoriis præcipue in Saxonia obtinet: quippe ibidem poſſeſſor fundi Landſaſſici etiam extra territorium Principis viuens plene, etiam in cauſis perſonalibus Principi ſubiectus.

§. 280.

Penes ſummam poteſtatem eſt ius declarandi in bannum: de modo declarandi in bannum in regnis limitatis.

Accidit ſæpenumero, vt ii, qui ſolum vertunt, inuito Principe in Rempublicam remeare prohibeantur. Eiusmodi ciuis, cui ius in ea Republica, in qua degere conſueuerat, viuendi per modum pœnæ ademtum, *in exilio* ſeu *in banno eſſe* dicitur. *Parentem* vero *banno proſcribere habet* eam ob cauſam *imperans facultatem*, quia imperantis eſt ſaluti publicæ proſpicere (§. 25.): ideoque ad hunc finem conſequendum, remedia illi conceſſa ſunt (§. 114.). Quod ſi igitur homines in Republica reperiuntur, qui grauius quid

quid commiſerunt, et pœnam commeruerunt: tunc omnino imperanti medio eos extorres expellendi e Republica vti licet, ſi id medium optimum Principi videtur. Illa interdictio finium fieri poteſt aut ſolitarie aut cum ademtione bonorum, qui *bannus in imperio die Ober-Acht* compellatur. Quod hac ſpecie quoque banni, quiuis imperans parentem quemdam proſcribere poſſit, ex iure pœnarum imponendarum deriuare facile cuique erit (§. 170.): dum bannus ſpecies pœnæ eſt. Inde vides, quæ ſit *cauſa, quod Status Imperii in bannum declarari queant*, ac quidem ab Imperatore et imperio id fieri debeat *(arg.* §. 267.), et ſecundum novam conſtitutionem, de modo declarandi ſtatum imperii in bannum, futuro Receſſui Imperii inſerendam, interea vero *art. 20. Capitul.* CAROLI VI. de verbo ad verbum inſertam. Nempe enim ratio in eo latet, quod ad imperatorem et imperium coniunctim ſpectet ius legum ferendarum totum imperium obligantium, ope *artic. 8 §. 2. I. P.*: atque ita quoque ius pænarum imponendarum ex legibus imperii conſequentium *(arg.* §. 170.).

§. 281.

Quoniam ſubiecti proprie illi habendi, qui præter imperantem intra fines Reipublicæ commoran- *Peregrini, quamdiu in rep. commorantur*

morantur, tamdiu eius ſubditi, ideoque obnoxii reip. legibus et pœnis.

tur (§. 279.): haud difficile eſt ad argumentandum, quod, quicunque in Republica ætatem agat, in numerum ſubiectorum referendi ſint. Hinc etiam *peregre aduenientes, quamdiu in territorio Reipublicæ commorantur, vt ſubiecti tractandi.* Iam ſunt partes ſubiectorum, vt voluntati imperantis eiusque legibus pareant (§. 278. et 39.), et ſi contrafaciant, pœnas dent (*arg.* §. 170. et 266). Proinde quoque peregrini ſubiecti imperio imperantis, in cuius Republica per aliquod temporis ſpatium degunt, et *obnoxii Reipublicæ legibus pœnisque tamdiu, quamdiu ibidem reſident, habendi* (*arg.* §. 279.): quos ob hanc rationem GROTIVS vocare *ſubditos temporarios* amat.

§. 282.

Imperans, vt imperans, et legatus, in aliena republica receptus, huic reip. non eſt ſubiectus: quod aliter eſt, ſi neuter pro tali receptus et a-

Ab imperante ſi conceditur tribuiturque *alii imperanti aut legato, vt in ipſius territorio iure imperantis, i. e. æqualis, quod ad libertatem ciuilem* (§. 277.) *fruatur: tunc ſubiectorum vinculis non tenetur.* Si quis imperans enim alterum imperantem, vt imperantem, tractat, habet eum vt æqualem hominem, cum quo in ſtatu naturali viuit (§. 37.);

37.); in hoc vero ſtatu nemo in alterum habet poteſtatem ciuilem (*arg.* §. 35.): ergo et nemo alterius poteſtati ciuili ſubiectus ſiue quod idem ſubditus eſt (*arg.* §. 26. et 27.), et ex conſequenti imperans, vt imperans, vel vt legatus etiam ob vnitatem perſonæ (§. 37.), in aliena Republica commorans, non ſubditus huius Reipublicæ æſtimandus. Longe aliter eſt, quando legatum, vt legatum, et imperantem, vt imperantem, admittere aliquis imperans non vult. Quod quidem facere, ſi res poſtulat, cuiuis Reipublicæ licet: ſiquidem quilibet homo in ſtatu naturali viuens ab eo, quod ad ſe pertinet, prohibere alterum poteſt, imperantium vero eadem iura ſunt (§. 38.). *Si quis ergo vt legatus, aut vt imperans in aliena Republica non receptus et agnitus, ille ſubditus huius Reipublicæ habendus* (*arg.* §. 279.).

gnitus; quod ſummæ poteſtati licet.

§. 283.

Eodem modo ratio comparata eorum, qui imperantem aut legatum comitantur. Etenim ſi comites imperantis ſubditi: conſequens vt quamdiu in eius, vt imperantis poteſtate ſint, tamdiu quoque eius ſubditi permaneant (*arg.* §. 27. et 267.); atque adeo fieri non poteſt,

Comitatus imperantis et legati, in aliena republica commorantis, non eſt ſub huius poteſtate ciuili, niſi expreſſe

vt

aliud cautum. vt eodem tempore alterius poteſtati ſubiecti ſint. Quando itaque in aliena Republica imperans per aliquod tempus commorans iura imperantis retinuit, quod ad perſonas ex ſua Republica, et quod ad libertatem ciuilem, vt ego hic conſtituo: *non poſſunt non Principis aut legati comites ab ipſius nutu pendere, non vero poſſunt ſub poteſtate illius eſſe, qui Rempublicam gubernat, in qua ipſorum Princeps, vt Princeps alienus, commoratur*, qui proinde *non poſſunt in ius vocari, nec puniri*, et cet. *a iudice illius loci*, in quo cum imperante ſuo degunt aut cum legato, qui pro eo ac dixi (§. *ſuperiori*), quod ad hoc caput, iura imperantis habent. Ob eamque cauſam vti *imperantes*, ita et *legati ipſi ſibi vindicare ſolent ius ſatellites ſuos in regione aliena pro eo, ac meruerunt, puniendi, aut huius iuris exercitium iudici loci concedendi.* Fieri vero quoque et poteſt et licet, vt Princeps non recipiat legatum, niſi ſub conditione, quod iurisdictionem in eius comitatum ſibi reſeruet (*arg.* §. 282.). In iis, quæ de iure legatorum et comitibus eorum (*hoc* §. *et antec.*) dixi, mecum faciunt *Les memoires touchant les Ambaſſadeurs et les Miniſtres publics par L. M. P., avec des reflexions faites ſur eux etc.* vt et GROTIVS de *I. B. et P. Lib. 2. c. 8.* ZOVCHEVS *tract. de legat. delinqu. iud. c. 11. 12. 13.*

alii-

aliique plures. *In alia omnia iuit* COCCEIVS *in diſſ. de legato Sancto, non impuni,* vbi *capite ſecundo ſtatuit, quod Legati apud Principem, ad quem ſunt miſſi, ex delicto vel contractu conueniri poſſint.* Sed nondum adduci poſſum ex rationibus ibidem allatis, vt legatus iudicio iurisdictionis conueniri queat: quo ſenſu autem ex mea ſententia conueniri poſſit ex (§. 38. et 42.) colligendum. Cur non iudicio iurisdictionis pæna legato infligi poſſit argumentum poſſe duci cenſeo ex (§. 41.) et ex GROTIO de *I. B. et P. l. 2. c. 7. §. 27. et c. 11. §. 5.*

§. 384.

Qui in Republica vitam agunt, et non perfruuntur iuribus imperantium aut legatorum aut eorum ſatellitum, illi ei Reipublicæ, in qua agitant, ſubiecti ſunt (*arg.* §. 281. 282. 283.). At vero Clericorum in Republica ita comparata eſt conditio, vt non ſint in numero imperantium, nec in eo loco, vt imperantes repræſentent, verum talem ordinem conficiunt in Republica, quem nullum aliud officium ciuile tenet, niſi vt in docendo operetur. Quapropter *nullo* ex idoneo *fundamento Clerici ſeſe vindicare ab ciuili poteſtate ordinique ſuo immunitatem dare queunt, ſed potius aque atque alii homines, in Republica verſantes, Reipublicæ ſubiecti eſſe vere* *Clerici ciuili Reip. poteſtati ſubiecti.*

re

re et iure debent. Inde recte *Respublica Veneta* legem conſtituerat, de non alienandis in Eccleſiam bonis et Canonicum in ius vocauerat ingratiis PAVLI V., Pontificis, qui eum ad forum Eccleſiaſticum remitti poſtulabat. Quam controuerſiam enarrat Autor *della hiſtoria particolare delle coſe paſſate tra 'l ſommo Pontifice* PAOLO V. *e la Sereniſſima Republica di Venetia, ab anno 1605. ad annum 1607.* libris ſeptem comprehenſa, imprimis *Lib. 4. p. 145. ſqq.*, vbi argumenta ciuilis Reipublicæ Venetæ et eccleſiaſticæ Romanæ poteſtatis in vtramque partem proferuntur, quæ diiudicari ex principiis hic poſitis facile poterunt. Inde, quod de vulgo iactitata libertate ordinis Ciſtercienſium ſentias, capere licet: ſingularia et ſpecialia argumenta inuenies in Tract. de *vulgo iactitata libertate Ordinis Ciſtercienſium.*

§. 285.

Hinc ordo clericorum nulla habet iura imperantis: in omnia eſt obligatus, in quæ ordo parentium.

Quæ iura imperans, vt imperans, poſſidet, ea ſine omnium rerum in iure publico repugnantia, non poſſunt eſſe parentium, qui potius imperio imperantium obedientes ſe præſtent neceſſe eſt (§. 27. et 266.). Penes imperantem autem eſt per poteſtatem ciuilem (§. 23.) ius legum ferendarum, iuraque confici-

endi

endi (§. 43.), iuris dicendi (§. 131.) pœnasque irrogandi (§. 170.) et reliqua. Proinde *Clericorum non eſt leges dare, iuraque conſtituere, iurisdictionemque et pœnas Eccleſiaſticas, ſine autoritate, Reipublicæ Eccleſiæ membris imponere* (*arg.* §. 284.). Hinc *Ius Canonicum autoritatis nihil habet per ſe in Rebuspublicis*, ideoque apud quas hoc ius valet, id *ex receptione voluntaria imperantis proficiſcitur:* quippe quæ in eo, quod imperans valorem legis iuri Canonico, vt extraneo largiatur, conſiſtit. Potius *Clerici legibus a poteſtate*, vt aiunt, *ſeculari in Republica latis*, tam *ciuilibus* quam *criminalibus*, *pœnisque* et *iurisdictioni Principis* Reipublicæ *ſubſunt* (*arg.* §. 266. et 284.). Quibus ex rationibus quilibet iuſtus rerum æſtimator videt, quam *parum firmamenti* et quam parum virium ea, quam ſibi depoſtulant *Clerici, exemtio a poteſtate ciuili habeat.* Si dicendum paucis quod res eſt: in ea *ordo clericorum eſt obligatus, in eoque obedire debet, ad quæ ordo parentium tenetur* (*arg.* §. 284.).

§. 286.

Cum eccleſia compoſita ſit ex docentibus, i. e. Clericis (§. 284.), et diſcentibus, quos *Laicos* compellant; ac quidem horum hominum vterque ordo, ſi in ſtatu ciui- *Male diſtinguitur poteſtas in ſecularem et eccleſiaſticam.*

tatis viuit, ex membris Reipublicæ conſtet (*arg.* §. 2. et 35.): non poteſt non ſequi, vt quia in ſtatu ciuitatis vtraque pars, ſola perſona imperantis excepta, inter parentes referenda (*eod.*) *Eccleſia quoque Reipublicæ ſubiecta* ſit. Quod PVFFENDORFFIVS in Tractatu de *Habitu religionis Chriſtianæ ad ſtatum ciuilem* §. 30. ita exprimere amat, *quod Eccleſia non ſit ſtatus*: ſub *ſtatu* vero hic intelligi debet Reſpublica. Ex qua interpretatione pateſcit, quid ſibi velit formula inter Doctores Iuris Canonici vſitata, quod *eccleſia non* ſit *ſtatus in ſtatu*. Illa *poteſtas*, quam Reſpublica exercet, vocari ſolet *ſecularis*, et illa, quam eccleſia ſibi tribuit, *Eccleſiaſtica*. Vti vero Eccleſia Reipublicæ ſubiecta: ita ſit oportet etiam *ſubdita poteſtas et iurisdictio Eccleſiaſtica ciuili. Male* itaque *diſtinguunt*, qui *poteſtatem et iurisdictionem in ſecularem et eccleſiaſticam* diſpeſcunt: idem enim eſt, ac totum diuidere velle in totum et partem. Reſpublica corpus eſt, quod Eccleſiam ſub ſeſe comprehendit, tanquam vniuerſitatem (§. 181. 183. et 189.), quæ pars Reipublicæ eſt (§. 181.), dum, vt cuilibet conſtat, eſt ſocietas republica minor.

§. 287.

Clericorum eccleſiaſtica poteſtas et

Legum ferendarum ius progignit iurisdictionem (§. 150. et 151.). In cuius itaque poteſtate non eſt

ius legum ferendarum, ille nec etiam poteſt iurisdictionem iure proprio exercere. Quare, cum nullum ius penes clericos legum ferendarum (§. 285.), eorum *iurisdictio, quam eccleſiaſticam vocant, adminiſtratoria* erit, et *iurisdictioni imperantis ſubiecta* (§. 24. et 286.): atque ex conſequenti *dependens, quam imperans* Reipublicæ *irritam reddere* ſuo iure *poteſt* (§. 24.). *iurisdictio ſubordinata eſt iurisdictioni imperantis ab hac pendet: irrita reddi poteſt.* Cum itaque poteſtas Eccleſiaſtica ab ciuili pendeat: non poteſt hæc ab illa pendere, ob eamque cauſam *imperans non poteſt ab eo, qui habet Eccleſiaſticam poteſtatem incapax poteſtatis ciuilis*, v. g. ob id, quod hæreticus ſit, *declarari.* Qualis cauſa prætexta fuit a Papa in HENRICO NAVARRO, vt refert THVANVS l. 82. in HENRICO VIII. Rege Angliæ.

§. 288.

Quandoquidem cuiuscunque Reipublicæ ſummæ poteſtati Eccleſia ſubiecta (§. 286.): ex neceſſaria conſecutione efficitur, vt *quot reperiuntur Respublicæ, tot quoque ſint ſummæ in eccleſiam poteſtates.* Iam cum plures Respublicæ in rerum natura reperiantur: non *Quot ſunt resp., tot ſunt ſummæ in eccleſiam poteſtates: vnde non datur Hierarchia vniuerſalis.*

poteſt tantum vna poteſtas locum habere in omnes omnium Rerumpublicarum Eccleſias. Cum vero eius generis poteſtas *Monarchia Eccleſiaſtica* ſeu *Hierarchia vniuerſalis* vocetur: hæc, quam nonnulli cogitatione depingunt animoque exſtruunt, Hierarchia *parum commode vniuerſalis fingitur.*

§. 289.

Familia imperantis, ipſius poteſtati ciuili ſubiecta: num ſanguine coniuncti cum imperante, capitaliter puniri iuſte queant?

Præter eos, quos nonnullis (§. *ſuperioribus*) imperantis poteſtati ſubiecimus, eſt quoque *familia imperantis ſub poteſtate ipſius ciuili.* Sub *familia* intelligo coniugem, liberos omnesque neceſſitudine coniunctos, qui in Republica, quam gubernat Princeps, commorantur. Quod, quo confirmatius ſit, perpendas, quæſo, hæc mecum argumenta. Poteſtas ciuilis ſumma non poteſt in Republica niſi vna eſſe (§. 111.) et vnus imperans (eod.). Quapropter *in Monarchia* Princeps et Rex ſolus ſummam habet poteſtatem in eos, qui in Republica eius commorantur et ita ſolus imperans eſt (§. 23.), et ex conſequenti nemo alius quis. Qui autem in ſtatu ciuitatis viuit et imperans non eſt, ille parens habendus (§. 2.):

ergo

ergo in Monarchia omnes, præter Regem, ſunt parentes, ideoque et illi, qui ſunt ex imperantis Regis familia, parentes habendi, atque ita Regis poteſtati ciuili ſubiecti (§. 25. et 27.). Nec quicquam vero intereſt, vtrum maritus, an vxor, pater, filius, filia, frater aut aut mater aut alius quis ſanguine coniunctus imperitet. Quando itaque vxor imperium accepit, maritus ei ſubiectus eſt, et ſi quid poteſtatis in Republica exercet, illud nomine adminiſtratorio agit (§. 24.). Eius generis exemplum ſumamus ex hiſtoria Anglicana recentiori, ex qua nemini obſcurum opinor, quod ANNA Regina fuerit, i. e. imperium habuerit, maritus vero Princeps Daniæ, nec nomen Regis geſſerit, ſed munus publicum ab coniuge ſua acceperit, in eaque conditione, qua alii Miniſtri, fuerit, i. e. ſubiectus. E contrario quando maritus eſt imperans et Rex, tunc ratio vxoris eodem modo comparata, quamuis nomen Reginæ gerat, ob eandem cauſam, quod in Republica non poſſunt eſſe duæ ſummæ poteſtates. Hinc quoque vſu venit, vt, ſi vxor habuerit poteſtatem ſummam, inque coniugem eandem transtulerit, ex imperante fiat parens. Quæ cum ex natura ſummæ poteſtatis ciuilis ratione vtriusque coniugis ſigillatim deduxerimus: quis

eſt, qui dubitare debeat, quod liberi cognatique imperantis eidem ſubiecti ſint. Cum autem ſubiecti ob crimina etiam capite plecti poſſint (§. 171.): apparet, quod *liberi omnesque cognati imperantis pœnis in Republica conſtitutis ſubſint.* Exempla quod illi, qui ſanguine coniuncti cum imperante fuerunt, ob crimina obiecta capitaliter puniti ſint, in medium afferrem, niſi eſſent noto notiora.

§. 290.

Femina abdicare ſe imperio illudque transferre in coniugem ſeque ei ſubiicere aut communiter regnum regere poteſt.

Non inopportune hæc quæſtio inſeri hic poteſt: *num femina abdicare ſe imperio, illudque transferre in coniugem, ſeque ei ſubiectam facere queat, aut communiter regnum regere?* quod femina abdicare regnum queat, de eo (§. 216.) nos non ſinit dubitare: quodque vero illud in coniugem transferre queat, ſeque ei aut ſubiicere, aut vna regimen gerere, illud conſuetudo gentium in regnis femininis comprobat (§. 214.). Sexcenta exempla, quod feminæ coniugi plenum imperium condonarint et ſub coniuge ſuo, vt Rege, vixerint, in medium proferre poſſem: quoniam vero minime latent,

latent, iis enarrandis ſuperſedere poſſum. Quod autem vna cum coniuge penes feminam regimen regni fuerit, et vtriusque poteſtati parentes regni ſubiecti fuerint, nouiſſimum exemplum extitit in Angliæ regno. De quo THOYRAS *dans l' Abregé de l' hiſtoire d' Angleterre, Livr. 24. pag. 484.* refert, quod ordines regni 1689. hoc iusiurandum præſtiterint: *Ie promets ſincerement et je jure, que je ſerai fidele a leurs Maieſtez le Roi Guillaume* et *la Reine Marie.*

§. 291.

Nulla datur ſubordinatio ſubditorum, proprie ſic dictorum: ideoque impropria eſt diuiſio eorum in mediatos et immediatos.

Quoniam ſubditi vſitate appellantur ei, qui alterius poteſtati ciuili parent (§. 26. et 267.): ex eo effici puto, quod illi, qui alterius mandato, qui nulla poteſtate pollet ciuili, parent eique in quibusdam cauſis ſubiecti tantum ſunt, non proprie ſubditi audire queant. Hinc *in Germania eorum, penes quos nulla ſuperioritas territorialis, obnoxii ſunt ſubditi improprie tales: reſpectu Principis vero in cuius territorio poſſeſſio, ob quam incolarum conditionem ſuſtinent, ſita eſt, eius generis homines conſiderandi vt ſubditi vere et proprie tales.* Namque

que in Republica tantum vna datur ſumma poteſtas (§. 111.), atque ita non poteſt etiam, niſi tale genus ſubditorum proprie dictorum in Republica eſſe, qui ſummæ poteſtati parent (§. 26. et 27.). Atque vti nulla datur ſubordinatio ciuilis poteſtatis (§. 94.): ita nulla detur etiam neceſſe eſt ſubordinatio ſubditorum. Inde *diuiſio in ſubditos mediatos et immediatos*, itidem *impropria* eſt, etiamſi ex diſtinctione terrarum mediatarum et immediatarum deriuare velis, ad modum COCCEII in libro poſthumo de *origine terrarum mediatarum et immediatarum.*

§. 292.

Ex imperio, omnis dignitas, vnde qui imperium alienat aut ſe eodem abdicat, amittit dignitatem regalem et ius inuiolabilitatis imperantibus competens.

Ab imperante duntaxat collatio dignitatum proficiſcitur (§. 157.): proinde *parentes ſibi ipſi aut aliis tribuere dignitates nequeunt proprie, ſed imperantis autoritate.* Ex quo intelligis, quid ſit cauſæ, quod *in academiis Germanorum gradus Academici autoritate Imperatoris conferantur*, et quod in legibus imperii fons dignitatis omnis appelletur Imperator in imperio et quiuis imperans in ſua Republica nominan-

nandus ſit. Hinc quoque, qui non eſt imperans, non poteſt dignitate regali gaudere. Ex quo fundamento recte argumentatur LABBARD. de *Rebus Gallicis Libr. 10. pag. 654.*, quod ex eo tempore, quo FRIDERICVS MAVRITIVS, Dux Builloni, ceſſerit LVDOVICO XIII. Principatum ſuum, in quo poteſtatem ciuilem olim exercuerit, eius dignitas, quam ſibi reſeruauerit, non fuerit independens, ſed nudus titulus absque poteſtate, ab Rege Galliæ pendens, ob id ſcilicet, quod Rex Galliæ in ſuo regno ſolus imperans, ideoque fons dignitatis ſit.

§. 293.

Dignitates in Rep. tantum, in qua collatæ, valent, vt et leges deproedria: quæ proinde inter imperantes ceſſat, niſi more gentico aliter obtinet.

Ex poteſtate ciuili, dignitates conferendi ius conſequitur (§. 157.). Quæ poteſtas cum extra Reipublicæ terminos nihil virium habeat (§. 174.): conſequens vt *dignitates* quoque *tantum intra Reipublicæ fines, in qua collatæ, valeant*: atque ita iure perfecto nec vllus poſtulare poteſt, vt extra Rempublicam, quæ illi dignitatem contulit, idem honos exhibeatur; ex officio tamen humanitatis mutuo extra Rempublicam iidem tituli dignita-

tum tribui concedique ſolent. Proinde et *leges de proedria intra Rempublicam tantum valent.* Ac, cum imperantes extra Reipublicæ ſtatum inter ſe viuant (§. 42.), conſequitur, vt et *inter imperantes ius proedriæ ceſſet* æque, ac inter parentes, qui extra Rempublicam eam, a qua dignitatem acceperunt, degunt.

§. 294.

De differentia dignitatis et honoris in rep.

Proficiſcuntur proprie ex officio publico dignitates (§. 157.). Quapropter, *ſi qui in ſpecie honoris priores potioresque habentur, atque nullo fungantur officio publico*, illa *proprie dignitas dici nequit, verum*, ſi ſuo quæque res nomine adpellanda, ſimpliciter *honorem* vocandum cenſeo aut *dignationem*. Si quis ergo *ob natiuitatem*, quam alius, dignior habetur: illam putem magis dignationem ſiue ſimpliciter honorem, quam dignitatem, appellandam eſſe.

§. 295.

Cuiusque Reip. ſummæ poteſtati tribuendum ius conſtitu-

Honor apud ſapientiæ Profeſſores oritur ex contemplatione perfectionis, quam alter poſſidet: apud *politicos Philoſophos* progignitur

gnitur, ſigillatim ex conſideratione iurium cuiusdam hominis. Atque vero cum *penes imperantem* quemuis ſit poteſtas honore augendi ac dignitate alios ornandi (§. 157.): penes eundem quoque *reſidet facultas aliis iura honoris gratia concedendi* (eod.). Nihil impedit quoque, quo minus poſſit imperans arbitratu ſuo honori aliorum velificari ita, *vt ad heredes etiam transeant.* Ex quo intelligitur *imperantium ius creandi nobiles* gradus tam ſuperioris, vti vocant, quam inferioris. Cuius generis honorifica et magnifica *ſi quis imperans in quendam eiusque poſteros confert*: illa *ab omnibus in Republica commorantibus exigere ius fasque eſt* (§. 26.).

gradus nobilitatis, ad haeredes transeuntes.

§. 296.

Honor ſi habet exiſtimationis ſignificationem cum GVNDLINGIO de *I. N. et G. cap. 5. §. 36. in ſimplicem diſpeſci poteſt atque intentam. Illa* exiſtimatione quilibet parens et ciuis bonus in Republica gaudet: *haec* valorem cuiusque auget ac ceteros dignatione efficit minores l. c. §. 38.). *Intenta exiſtimatione* et dignitate *ſunt* in

Imperans poteſt degradare et infamia notare, ſed tantum ſibi ſubiectos: extra reip. terminos infamia ſine iuris effectu eſt.

Republica *Miniſtri* et *officiales imperantis* ac *reliqui Reipublicæ ordines*. Si cui adimitur exiſtimatio intenta, ob improbitatem ſiue veram ſiue fictam, illud vituperium audit *degradatio*: ac ſi quiſpiam amittit exiſtimationem ſimplicem itidem ob eiusdem generis improbitatem, illa *ignominia*, ſi cum damno honoris omnis eſt coniuncta, *infamia* adpellatur. Iam, imperans poteſt, quæ putat Reipublicæ conducere, agere (§. 85.). Quare ſi quis meret, illi etiam poteſt exiſtimatio adimi in Republica ab imperante. Hinc *ius imperantis* eos, per quos plura detrimenta Reipublicæ, quam adiumenta, importantur, *deiiciendi de gradu honoris*, *homines que exitiabiles infamia adſpergendi*. Sed tamen quoniam imperantis iura Reipublicæ terminos non egrediuntur (§. 113.): *ſine effectu iuris infamia extra Rempublicam*, nomenque alienorum ſubditorum infamiæ non ſubiectum eſt.

§. 297.

Imperans tantum liberare poteſt parentes obligatione parendi et a

Parentes vt imperanti pareant, imperio ſubigi queunt: (§. 32. et 266.). Præterea quod imperantis imperium independens eſt (§. 24.): fieri non poteſt, vt de-

pendeat ab arbitratu alieno (eod.). Si vero alius ſoluere poſſet parentes obligatione obediendi: efficere poſſet, vt eo ipſo imperium concideret (§. 26.) et ab eius voluntate penderet imperantis imperium. Quæ ſententia cum perabſurda ſit (§. 24.): facile eſt ad intelligendum, quod *nemo liberare queat parentes obligatione obediendi imperanti.* Quæ cum ita ſint, haud male improbant hiſtoriarum ſcriptores factum HILDEBRANDI, qui omnes parentes Imperatoris HENRICI IV. fide iurata ſoluit. Vid. BENNO in vita HILDEBRANDI *Libr. 1.* et AVTOR *Vitæ* HENRICI *pag. 184.* Quin imperans ipſe dimittere ex poteſtate ſua parentes poſſit, nulla cauſa eſt: quippe cuius a voluntate exercitium poteſtatis ciuilis proficiſcitur (§. 23.). Quod ſi igitur imperio ſuo vti imperans non vult; parentium quoque obligatio imperio reſpondens ſoluta (§. 26.), quod vocari ſolet *relaxatio ab iureiurando* aut *fidelitatis* aut *ſubiectionis:* e contrario vero ſi imperans non vult ſoluere ſubiectos ſubiectione, emigrare nequeunt. Inde generatim *ordinario iure,* niſi libertas veniendi abeundique, vt in Hollandia, obtinet, *non eſt licitum parentibus arbitra-*

iureiurando ſubiectionis ſoluere: an ſubditi libere emigrandi habeant facultatem?

bitratu ſuo e Republica emigrare: his quoque ex cauſis legitimis, *ſi imperans emigrationem permittit, exigi poteſt cenſus emigrationis (Nach-Steuer).* Ex antedictis iudicari poteſt illa *controuerſia* illuſtris *inter Regem Galliæ et Cardinalem de Bouillon*, ob huius emigrationem e regno, inuito Rege, ſuſceptam; in qua cauſa quæ argumenta in vtramque partem, tam a Rege, quam a Cardinali, prolata fuerint, docent: *Conſiderations ſur la lettre ecrite au Roi T. C. par S. H. E. Monſ. le Cardinal de Bouillon au ſujet de ſa ſortie du Royaume de France*: nec non: *Arrêt du Parlement de Paris, portant priſe de Corps contre le Cardinal de Bouillon et Apologie du Cardinal de Bouillon.*

§. 298.

Imperans ſacramento, quo ciuis ciui tenetur, ſoluere poteſt,

Neque vero ſolum Sacramento, quo imperanti tenentur parentes, ab eo ipſo ſolui queunt (§. 297.), verum etiam ſi ciues inter ſe fidem et iusiurandum dederunt, remittere illis hoc Rex poteſt, atque iſte eos Sacramento liberare: ac quidem hanc ob rationem, quia ſalutem publicam anteponere priuatæ ius imperanti eſt (§. 167.). Quod *ſi* itaque *e Republica*

id

id eſt, *vt ciuis ſacramento, quo tenetur alii ciui, ſoluatur, omnino imperans habet facultatem*, vt eum ſolvat.

§. 299.

Parentium obligationes ſunt poteſtati ciuili reſpondentes (§. 27.). Quare *ſi imperans praecipit quidquam, quod vi poteſtatis ciuilis poſtulare nequit, et conſenſu libero non ius omne in eum expreſſe et abdicatiue translatum*; laxior enim iuris quam imperii ſeu poteſtatis ciuilis eſt ſignificatio, obſeruante HOVTVYN in *Notis ad* §. *28. Polit. contr. gener.*: hoc exequendi nullam video in parentibus obligationem (§. 31.), ob eamque cauſam cogi ad obediendum eiusmodi iuſſis iure nequeunt; *neque* igitur *iniuſta eſt parentium non obedientia.* Vnde *ſi*, v. g. *Princeps in conſcientiam parentium, ius poſtulat, non obedire licet* (§. 188.), et ſi ſumma et ineuitabilis neceſſitas ſit, *etiam reſiſtere licitum eſſe putat* GROTIVS de *I. B. et P. Libr. 1. cap. 4.* §. *7.* et in §phis ſubſequentibus plures enumerat caſus, in quibus ſubditi imperanti reſiſtendi habent licentiam, qui diſceptari ex eo poſſunt,

Quando non iniuſta ſit parentium non obedientia: an in ſumma et ineuitabili neceſſitate ſubditi imperanti reſiſtendi habeant licentiam?

num

eſt, qui dubitare debeat, quod liberi cognatique imperantis eidem ſubiecti ſint. Cum autem ſubiecti ob crimina etiam capite plecti poſſint (§. 171.): apparet, quod *liberi omnesque cognati imperantis pœnis in Republica conſtitutis ſubſint.* Exempla quod illi, qui ſanguine coniuncti cum imperante fuerunt, ob crimina obiecta capitaliter puniti ſint, in medium afferrem, niſi eſſent noto notiora.

§. 290.

Femina abdicare ſe imperio illudque transferre in coniugem ſeque ei ſubiicere aut communiter regnum regere poteſt.

Non inopportune hæc quæſtio inſeri hic poteſt: *num femina abdicare ſe imperio, illudque transferre in coniugem, ſeque ei ſubiectam facere queat, aut communiter regnum regere?* quod femina abdicare regnum queat, de eo (§. 216.) nos non ſinit dubitare: quodque vero illud in coniugem transferre queat, ſeque ei aut ſubiicere, aut vna regimen gerere, illud conſuetudo gentium in regnis femininis comprobat (§. 214.). Sexcenta exempla, quod feminæ coniugi plenum imperium condonarint et ſub coniuge ſuo, vt Rege, vixerint, in medium proferre poſſem: quoniam vero minime latent,

latent, iis enarrandis ſuperſedere poſſum. Quod autem vna cum coniuge penes feminam regimen regni fuerit, et vtriusque poteſtati parentes regni ſubiecti fuerint, nouiſſimum exemplum extitit in Angliæ regno. De quo THOYRAS *dans l' Abregé de l' hiſtoire d' Angleterre, Livr. 24. pag. 484.* refert, quod ordines regni 1689. hoc iusiurandum præſtiterint: *Ie promets ſincerement et je jure, que je ſerai fidele a leurs Maieſtez le Roi Guillaume* et *la Reine Marie.*

§. 291.

Nulla datur ſubordinatio ſubditorum, proprie ſic dictorum: ideoque impropria eſt diuiſio eorum in mediatos et immediatos.

Quoniam ſubditi vſitate appellantur ei, qui alterius poteſtati ciuili parent (§. 26. et 267.): ex eo effici puto, quod illi, qui alterius mandato, qui nulla poteſtate pollet ciuili, parent eique in quibusdam cauſis ſubiecti tantum ſunt, non proprie ſubditi audire queant. Hinc *in Germania eorum, penes quos nulla ſuperioritas territorialis, obnoxii ſunt ſubditi improprie tales: reſpectu Principis vero in cuius territorio poſſeſſio, ob quam incolarum conditionem ſuſtinent, ſita eſt, eius generis homines conſiderandi vt ſubditi vere et proprie tales.* Namque

que in Republica tantum vna datur ſumma poteſtas (§. 111.), atque ita non poteſt etiam, niſi tale genus ſubditorum proprie dictorum in Republica eſſe, qui ſummæ poteſtati parent (§. 26. et 27.). Atque vti nulla datur ſubordinatio ciuilis poteſtatis (§. 94.): ita nulla detur etiam neceſſe eſt ſubordinatio ſubditorum. Inde *diuiſio in ſubditos mediatos et immediatos*, itidem *impropria* eſt, etiamſi ex diſtinctione terrarum mediatarum et immediatarum deriuare velis, ad modum COCCEII in libro poſthumo de *origine terrarum mediatarum et immediatarum*.

§. 292.

Ex imperio, omnis dignitas, vnde qui imperium alienat aut ſe eodem abdicat, amittit dignitatem regalem et ius inuiolabilitatis imperantibus competens.

Ab imperante duntaxat collatio dignitatum proficiſcitur (§. 157.): proinde *parentes ſibi ipſi aut aliis tribuere dignitates nequeunt proprie, ſed imperantis autoritate.* Ex quo intelligis, quid ſit cauſæ, quod *in academiis Germanorum gradus Academici autoritate Imperatoris conferantur*, et quod in legibus imperii fons dignitatis omnis appelletur Imperator in imperio et quiuis imperans in ſua Republica nominan-

nandus ſit. Hinc quoque, qui non eſt imperans, non poteſt dignitate regali gaudere. Ex quo fundamento recte argumentatur LABBARD. de *Rebus Gallicis Libr. 10. pag. 654.*, quod ex eo tempore, quo FRIDERICVS MAVRITIVS, Dux Builloni, ceſſerit LVDOVICO XIII. Principatum ſuum, in quo poteſtatem ciuilem olim exercuerit, eius dignitas, quam ſibi reſeruauerit, non fuerit independens, ſed nudus titulus absque poteſtate, ab Rege Galliæ pendens, ob id ſcilicet, quod Rex Galliæ in ſuo regno ſolus imperans, ideoque fons dignitatis ſit.

§. 293.

Dignitates in Rep. tantum, in qua collatæ, valent, vt et leges de proedria: quæ proinde inter impetrantes ceſſat, niſi more gentico aliter obtinet.

Ex poteſtate ciuili, dignitates conferendi ius conſequitur (§. 157.). Quæ poteſtas cum extra Reipublicæ terminos nihil virium habeat (§. 174.): conſequens vt *dignitates* quoque *tantum intra Reipublicæ fines, in qua collatæ, valeant*: atque ita iure perfecto nec vllus poſtulare poteſt, vt extra Rempublicam, quæ illi dignitatem contulit, idem honos exhibeatur; ex officio tamen humanitatis mutuo extra Rempublicam iidem tituli dignita-

tum tribui concedique ſolent. Proinde et *leges de proedria intra Rempublicam tantum valent.* Ac, cum imperantes extra Reipublicæ ſtatum inter ſe viuant (§. 42.), conſequitur, vt et *inter imperantes ius proedriæ ceſſet* æque, ac inter parentes, qui extra Rempublicam eam, a qua dignitatem acceperunt, degunt.

§. 294.

De differentia dignitatis et honoris in rep.

Proficiſcuntur proprie ex officio publico dignitates (§. 157.). Quapropter, *ſi qui in ſpecie honoris priores potioresque habentur, atque nullo fungantur officio publico*, illa *proprie dignitas dici nequit, verum*, ſi ſuo quæque res nomine adpellanda, ſimpliciter *honorem* vocandum cenſeo aut *dignationem.* Si quis ergo *ob natiuitatem*, quam alius, dignior habetur: illam putem magis dignationem ſiue ſimpliciter honorem, quam dignitatem, appellandam eſſe.

§. 295.

Cuiusque Reip. ſummæ poteſtati tribuendum ius conſtitu-

Honor apud ſapientiæ Profeſſores oritur ex contemplatione perfectionis, quam alter poſſidet: apud *politicos Philoſophos* progignitur

gnitur ſigillatim ex conſideratione iurium cuiusdam hominis. Atque vero cum *penes imperantem* quemuis ſit poteſtas honore augendi ac dignitate alios ornandi (§. 157.): penes eundem quoque *reſidet facultas aliis iura honoris gratia concedendi* (eod.). Nihil impedit quoque, quo minus poſſit imperans arbitratu ſuo honori aliorum velificari ita, *vt ad haeredes etiam transeant.* Ex quo intelligitur *imperantium ius creandi nobiles* gradus tam ſuperioris, vti vocant, quam inferioris. Cuius generis honorifica et magnifica *ſi quis imperans in quendam eiusque poſteros confert*: illa *ab omnibus in Republica commorantibus exigere ius fasque eſt* (§. 26.).

gradus nobilitatis, ad haeredes tranſeuntes.

§. 296.

Honor ſi habet exiſtimationis ſignificationem cum GVNDLINGIO de *I. N. et G. cap. 5. §. 36. in ſimplicem diſpeſci poteſt atque intentam. Illa* exiſtimatione quilibet parens et ciuis bonus in Republica gaudet: *haec* valorem cuiusque auget ac ceteros dignatione efficit minores l. c. §. 38.). *Intenta exiſtimatione* et dignitate *ſunt* in

Imperans poteſt degradare et infamia notare, ſed tantum ſibi ſubiectos: extra reip. terminos infamia ſine iuris effectu eſt.

Republica *Miniſtri* et *officiales imperantis* ac *reliqui Reipublicæ ordines.* Si cui adimitur exiſtimatio intenta, ob improbitatem ſiue veram ſiue fictam, illud vituperium audit *degradatio:* ac ſi quispiam amittit exiſtimationem ſimplicem itidem ob eiusdem generis improbitatem, illa *ignominia*, ſi cum damno honoris omnis eſt coniuncta, *infamia* adpellatur. Iam imperans poteſt, quæ putat Reipublicæ conducere, agere (§. 85.). Quare ſi quis meret, illi etiam poteſt exiſtimatio adimi in Republica ab imperante. Hinc *ius imperantis* eos, per quos plura detrimenta Reipublicæ, quam adiumenta, importantur, *deiiciendi de gradu honoris, hominesque exiſtiabiles infamia adſpergendi.* Sed tamen quoniam imperantis iura Reipublicæ terminos non egrediuntur (§. 113.): *ſine effectu iuris infamia extra Rempublicam*, nomenque alienorum ſubditorum infamiæ non ſubiectum eſt.

§. 297.

Imperans tantum liberare poteſt parentes obligatione parendi et a

Parentes vt imperanti pareant, imperio ſubigi queunt: (§. 32. et 266.). Præterea quod imperantis imperium independens eſt (§. 24.): fieri non poteſt, vt depen-

pendeat ab arbitratu alieno (eod.). Si vero alius ſoluere poſſet parentes obligatione obediendi: efficere poſſet, vt eo ipſo imperium concideret (§. 26.) et ab eius voluntate penderet imperantis imperium. Quæ ſententia cum perabſurda ſit (§. 24.): facile eſt ad intelligendum, quod *nemo liberare queat parentes obligatione obediendi imperanti.* Quæ cum ita ſint, haud male improbant hiſtoriarum ſcriptores factum HILDEBRANDI, qui omnes parentes Imperatoris HENRICI IV. fide iurata ſoluit. Vid. BENNO in vita HILDEBRANDI *Libr. 1.* et AVTOR *Vita* HENRICI *pag. 184.* Quin imperans ipſe dimittere ex poteſtate ſua parentes poſſit, nulla cauſa eſt: quippe cuius a voluntate exercitium poteſtatis ciuilis proficiſcitur (§. 23.). Quod ſi igitur imperio ſuo vti imperans non vult; parentium quoque obligatio imperio reſpondens ſoluta (§. 26.), quod vocari ſolet *relaxatio ab iureiurando* aut *fidelitatis* aut *ſubiectionis:* e contrario vero ſi imperans non vult ſoluere ſubiectos ſubiectione, emigrare nequeunt. Inde generatim *ordinario iure*, niſi libertas veniendi abeundique, vt in Hollandia, obtinet, *non eſt licitum parentibus arbitra-*

iureiurando ſubiectionis ſoluere: an ſubditi libere emigrandi habeant facultatem?

id eſt, *vt ciuis ſacramento, quo tenetur alii ciui, ſoluatur, omnino imperans habet facultatem*, vt eum ſolvat.

§. 299.

Quando non iniuſta ſit parentium non obedientia: an in ſumma et ineuitabili neceſſitate ſubditi imperanti reſiſtendi habeant licentiam?

Parentium obligationes ſunt poteſtati ciuili reſpondentes (§. 27.). Quare *ſi imperans praecipit quidquam, quod vi poteſtatis ciuilis poſtulare nequit, et conſenſu libero non ius omne in eum expreſſe et abdicatiue translatum*; laxior enim iuris quam imperii ſeu poteſtatis ciuilis eſt ſignificatio, obſeruante HOVTVYN in *Notis ad* §. *28. Polit. contr. gener.*: hoc exequendi nullam video in parentibus obligationem (§. 31.), ob eamque cauſam cogi ad obediendum eiusmodi iuſſis iure nequeunt; *neque* igitur *iniuſta eſt parentium non obedientia.* Vnde *ſi*, v. g. *Princeps in conſcientiam parentium, ius poſtulat, non obedire licet* (§. 188.), et ſi ſumma et ineuitabilis neceſſitas ſit, *etiam reſiſtere licitum eſſe putat* GROTIVS de *I. B. et P. Libr. 1. cap. 4.* §. *7.* et in §*phis* ſubſequentibus plures enumerat caſus, in quibus ſubditi imperanti reſiſtendi habent licentiam, qui diſceptari ex eo poſſunt,

num

num ius omne aut imperium tantum imperanti datum, numque eo tempore, quo reſiſtitur, adhucdum imperans habendus.

§. 300.

Magiſtratus ſub nullo prætextu imperium imperantis abnuere queunt.

Qui in Magiſtratu ſunt, illi ſuſcipiunt ſuas partes nomine atque imperio imperantis (§. 156.): quare non ſunt ipſi imperantes in Republica, ideoque ex ordine parentium (§. 2.), ac ob eandem cauſam, quod Magiſtratus ſunt parentes, *imperantes non recte dici queunt Reipublicæ Magiſtratus*. Quandoquidem parentes imperium imperantis exequi tenentur (§. 266.): *non video*, quid ſit, *quod Magiſtratus* vnus eximius ſit, in quo hoc præcipuum ac ſingulare valeat, quod *imperium abnuere queat.*

§. 301.

Magiſtratus non habent ius reſiſtendi imperanti.

Nec parens vllus habet reſiſtendi imperanti facultatem (§. 36.). Proinde *ſine vllo argumento Magiſtratibus largiri ius reſiſtendi imperanti* DANAEVS *Libr. 4. Polit. conatur* (§. 300.).

§. 302.

Sententiæ Magiſtratuum in cauſis

Quandoquidem Magiſtratus in numero parentium reperiuntur (§. 300.), qui legibus obedientes eſſe

eſſe debent (§. 266.): facili negotio intelligitur, quod *in idem Magiſtratus* ſint *obligati, in quod reliqui parentes*, quodque ideo *in iudicando non poſſint contra leges ferre ſententiam*, verum quod omnes ſententiæ ad leges debeant eſſe accommodatæ (§. 47. et 266.). *controuerſios is legibus debent eſſe conformes.*

§. 303.

Exiſtit quæſtio, *num parentibus licitum ſit tum reſiſtere imperanti, ſi quid præcipiat, quod eſt legibus fundamentalibus contrarium?* Ad quam quæſtionem hoc capias *reſponſum:* Leges fundamentales efficiunt ius, dum generatim pro complexu legum ius ſumitur (§. 43.). Quapropter ſi quid imperans contra eas ſuſcipit, contra ius, id eſt dicere, nullo iure agit, ob eamque cauſam nulla in parentibus intelligitur obligatio obediendi (§. 26.): proinde *ſi actum reſiſtentiæ ita ſumas, vt in iuſſi negatione, et mali propulſatione conſiſtat*, non tamen cum imperantis offenſione ſit coniunctus, quo minus *reſiſtere imperanti contra leges fundamentales nitenti licitum ſit parentibus*, nulla cauſa eſt (§. 63.). *Quo ſenſu reſiſtere parentes poſſint, ſi quid imperans præcipiat, quod legibus fundamentalibus contrarium.*

§. 304.

Grauior illa eſt quæſtio, *an im-* *Obligati*

perans

Parentes ſunt ad ſeſe dedendum vt obſides pro Republica: quamdiu durent obſidum obligationes?

perans parenti præcipere poſſit, *vt ſe obſidem dedat?* *Obſes* eſt is, qui ſe ob ſecuritatem illius, quod alter promiſit, tradit in illius, cui alter debet obligationem, poteſtatem. Quando itaque ſalus publica poſtulat, vt obſides dentur, imperans poteſt nonnullos ex ſuis parentibus obſides dare (§. 85. et 86.): ideoque *parentes ad ſeſe dedendum, vt obſides, ſunt obligati* (§. 26.). Datio obſidum antiquis temporibus fuit frequentior. Celebre eſt Clœliæ factum, vbi quæritur, an illa aufugere iuſte potuerit, de quo egit BUDDEVS in *ſpecimine Iurisprudentiæ Hiſtoricæ §. 54. et ſqq.* Inter recentiora notum eſt factum Leodienſium, qui CAROLO, Duci Burgundiæ, obſides dabant, vt refert PHILIPPVS COMINEVS *Memor. lib. 2.* Quam late vero pateat illius, qui obſides accepit, ius in eosdem, atque etiam illius, qui obſides dedit, et ad quod obſides ipſi ſint obligati, de eo vide et GROTIVM de *I. B. et P. lib. 3. c. 11. §. 18. et c. 20. §. 42. et ſqq.* et PVFFENDORFFIVM de *I. N. et G. lib. 8. c. 2.* et *c. 8. §. 6.* In quantum vero duret ius in obſides ex definitione patet, ſcilicet tamdiu, quamdiu ſecuritas nondum eſt alia ratione obtenta aut iſtud, quod promiſſum nondum præſtitum. *Securitate* ergo *obtenta aut promiſſis ſeruatis obſides relaxandi.*

§. 305.

Ob id, quod imperantis eſt conſulere ſaluti et ſecuritati publicæ (§. 85. et 119), ea omnia prohiberi ab eo queunt, quæ ſaluti et ſecuritati contratendunt. *Si* quando itaque *receptio cuiusdam hominis Reipublicæ nociua* eſt: tunc *imperans ad eum recipiendum* intra Reipublicæ terminos *non eſt obligatus*, ideoque et *non tenetur legatum recipere, ſi quid Respublica detrimenti ab eo capere poſſet.* Ob easdem cauſas *in imperantis poſitum eſt poteſtate, quem in numerum parentium admittere, aut quem non vlterius* in numero parentium *habere velit:* non tamen ſine cauſa, quæ vel delictum eſſe debet vel neceſſitas. *Delicta* enim Princeps non ſolum *exilio* ſimplici, ſed etiam tali, quod *cum ademtione bonorum et cum extinctione iuris ciuitatis* coniunctum *multare poteſt*, (§. 170.). Quod ad *caſum neceſſitatis*, Princeps portionem Reipublicæ, adeoque et quosdam ciues neceſſitate coactus alienare poteſt (§. 203.) et ex conſequenti quoque extraneo cedere (§. eod.): qualis ceſſio fuit cum FRANCISCVS Burgundos ceſſiſſet CAROLO V. Quod *ſi absque cauſa Princeps ciues expellit, alienat, derelinquit,*

In imperantis voluntate poſitum, quem recipere in Rempubl., quem exterminare velit, non tamen ſine cauſa; alias inique agit: iniuſte agunt parentes ſi ſe imperio liberant: libertas non eſt res meræ facultatis.

quit: non ſatis æquum ſe gerit. Aequitatem enim in eo *conſiſtere* cenſeo, vt quis officio ſuo, quo perfecte obſtrictus in ſtatu naturali, ſatisfaciat, quamuis in ſtatu ciuitatis ad id cogi nequeat. Nunc quidem homines omnes in ſtatu naturali ex pacto perfecte obligantur, at vero Princeps ex pactione, quam cum ſibi ſubiectis facit, tantum imperfecte (§. 36.), hoc eſt, ad id, in quod ſuis ciuibus obligatus cogi nequit (§. 31.). Cum finis ciuitatis, vt ciues in nexu ſint cum imperante ſub eiusque viuant imperio (§. 2.), quod ex pactione originem trahit (§. 34.); non poteſt non imperans, ſi huic pacto et fini ciuitatis ſatisfacere vult, nexum iſtum et cum omnibus et cum ſingulis ciuibus conſeruare; ſi vero ciues ſine cauſa expellit, alienat, derelinquit, is nexus tollitur: quare inique ſumma poteſtas agit, quæ ſine iuſta cauſa expellit, relinquit ciues, nexumque adeo inter ſe et ciues ſoluit. *Quando* vero *ciues deſerunt imperantem ſuum, aut quidquam aliud agunt, quo nexus inter ſe et ſummam poteſtatem ſoluatur, non ſolum inique, ſed etiam iniuſte agunt* (§. 64.), ideoque *falſa* eſt eorum *ſententia,* qui *libertatem* opinantur *eſſe rem meræ facultatis, quam ſemper populo liceat repetere et ab imperio ſeſe liberare.*

§. 306.

De vita, morbo et Si nexus inter imperantem et parentes ſoluitur, ſoluitur ciuitas

ſeu Republica (§. 2.): quippe quæ non diutius durare poteſt, quam durat illa ſocietas, quæ nexu imperantis ac parentium continetur (eod.). Duratio nexus imperantis ac parentium adpellari *vita ciuitatis* poteſt; quæ *ciuitas morbida* eſt, quando incommoda ſentit ex conſtitutione ciuitatis ob communionem vel diuiſionem iurium, vel etiam ob defectum virium: ſolutio vero Reipublicæ nexus *mors ciuitatis* eſt. Iſta ſolutio dupliciter contingere poteſt, aut per mutationem nexus in alium nexum, aut per extinctionem nexus omnis: per huius generis ſolutionem *ciuitas populusque interit (arg. h. §.)*; illa ſolutione non interit populus ſeu Respublica, ſed tantum *forma Reipublicæ commutatur* (§. 49.). Si non interiit Respublica, permanſerit neceſſe eſt; manente autem Republica, manent Reipublicæ et iura et obligationes: ergo *ſi Respublica ab vna forma in aliam tantum commutata, nulla commutatio iurium et obligationum accidit, quod ad reliquas res, præter Reipublicæ formam.*

morte Reip. Mutatio formæ reip. non mutat iura et obligationes Reip.

§. 307.

Quoniam Respublica eſt ſocietas (§. 2.): conſequitur, vt quibus modis legitimis ſoluatur ſocietas, iisdem modis et ſumma poteſtas resque publica ipſa finiatur. Socie- tas

Quibus modis mutetur aut ſoluatur ſumma poteſtas et Resp. item quibus

differat mutatio et ſolutio ſummæ poteſtatis a mutatione ac ſolutione totius Reip.

tas ex pactione progignitur (§. 31.): ac quidem ſocietas ciuilis ſeu Respublica (§. 30.) pactione tali, qua altera pars poteſtatem ciuilem conſequitur, altera ſeſe ſubiicit poteſtati ciuili (§. 34.). Vti vero pacta mutato conſenſu mutantur et mutuo diſſenſu tolluntur (§. 53.): ita quoque ***mutatur et ſoluitur ſumma poteſtas et ipſa Reſpublica, mutato aut ſublato conſenſu mutuo, quem hic ita oportet eſſe comparatum, vt nexus poteſtatis ciuilis, et ſubiectionis aut mutetur aut ſoluatur*** (*arg.* §. 2. 23. et 26.). ***Hac tamen eſt differentia inter mutationem aut ſublationem ſummæ poteſtatis et*** mutationem aut ſublationem ***totius Reipublicæ***, quod ſi de ***ſumma poteſtate*** tantum agitur, voluntas imperantis ſola ſufficiat: ſiquidem parentibus non eſt obligatus imperans permanere, ſiue quod idem, poteſtatem ſuam ſummam retinere (§. 216.). Longe aliter ſe res habet, quando ***mutatio aut ſublatio totius Reipublicæ*** fieri debet. Etenim ab initio a voluntate parentium proficiſcitur, an in ſtatum ciuitatis ſeſe conferre velint et cuidam poteſtatem ciuilem conferre (§. 34.), eamque tam limitatam quam illimitatam (§. 72.) ſibique adeo iura reſeruare (§. 73.): quæ iura itaque ſine nota iniquitatis Princeps auferre per Reipublicæ mutationem aut diſſolutionem absque populi

conſenſu nequit (§. 210. et 305.); ideoque extra caſum neceſſitatis et populi et imperantis conſenſus neceſſarius eſt ad Reipublicæ commutationem aut diſſolutionem.

§. 308.

Vnde alii ſunt modi finiendi ſummam poteſtatem, alii finiendi Remp.

Quandoquidem finitur aut ſola poteſtas ciuilis imperantis, populo permanente, quod vacationem regni compellauimus (§. 241.), aut extinguitur imperium vna cum omni Republica, quod mortem reipublicæ nuncupauimus (§. 306.): *modos vacationis regni et finiendi ſummam poteſtatem ſeparare expedit a modis, quibus mors Reipublicæ totius accidit*, ſeu finiendæ Reipublicæ.

§. 309.

De modis finiendi ſummam poteſtatem.

Inter modos, quibus ſumma poteſtas finiatur, ab HVBERO de *Iure Ciuitatis* refertur *libr. 1. ſect. 9. c. 6.* mors, tempus imperio præfinitum, præſcriptio, abdicatio, derelictio, exiſtentia conditionis commiſſoriæ, felonia, animus imperantis hoſtilis, ius belli, vnio vel diſtinctius incorporatio. In hos ſingulos modos ſigillatim conſiderationem noſtram intendemus.

§. 310.

Quibus diuerſis modis, pro diuerſitate reſini-

Quoniam imperans habet poteſtatem ciuilem (§. 23.): non poteſt non ſequi, vt *finita vita imperantis*,

gnorum, regni vacatio accidat. *finita* quoque ſit *eius poteſtas ciuilis.* Pro diuerſitate autem regnorum diuerſo modo et tempore vacatio regnorum accidit (§. 250.).

§. 311.

An tempus ſit modus imperium finiendi, ſi tempus imperio praefinitum fuit in eius translatione? Quod ad *tempus imperio praefinitum* cum eodem eadem ratione eſſe cenſeo comparatum, ac cum exiſtentia conditionis ſeu legis commiſſoriae (§. 60.): ſcilicet, *non eſt modus perfectus finiendi ſummam poteſtatem.*

§. 312.

Praeſcriptio, abdicatio, ceſſio, renunciatio, derelictio ſunt modi finiendi ſummam poteſtatem. Quod *praeſcriptio*, *abdicatio*, *et derelictio modi legitimi finiendi ſummam poteſtatem* ſint, argumentum ducere licet ex (§§. 216. 233. et 237.): *non vero* hos modos finiendi *ſemper vacatio regni ſequitur*, nec adeo regnum redit ad populum (*arg.* §. 250.), vt ſui iuris fiat.

§. 313.

An in regnis feudalibus felonia regis ſit modus amittendi iura imperii et finiendi ſummam poteſtatem? Felonia primum ponit feudum, i. e. regnum feudale, in quo Princeps ab altero poteſtatem ciuilem feudi iure tenet; felonia autem amittitur iſtud, quod ab Domino directo teneo: quapropter *felonia eſt modus finiendi ſummam poteſtatem ciuilem* (*conf.* §. 235.).

§. 314

§. 314.

Vtrum animus imperantis hoſtilis efficiat, vt finiatur imperantis poteſtas ciuilis, nec ne, colligere ex (§.238) datur. Sed vix ac ne vix quidem talia, quæ in plenariam perniciem ſubditorum tendunt, a ſanæ mentis Principe perpetrari queunt. Recte ratiocinatur GVNDLINGIVS de *I.N. et G. c.38. §.22.* ***quis quærit perniciem ſubditorum, niſi furioſus? cum furioſis non eſt bellum, nec etiam habent facultatem exercendi poteſtatem ciuilem***, quippe quæ facultatem moralem gubernandi Rempublicam ſupponit (§.25.), quam furioſus ob defectum voluntatis non habet. Vnde *ſuſpenſa potius, quam finita, poteſtas ciuilis* huius generis ***imperantis, qui animo hoſtili in Rempublicam agit, habenda*** (*arg.* §. 238.)

Num imperantis animus hoſtilis in Remp. ſit modus amittendi imperium?

§. 315.

Num ius belli ſit modus finiendi ſummam imperantis poteſtatem, facili negotio eruere quilibet ex iis, quæ (§o 237.) diximus, poterit.

Quid ius belli hic faciat?

§. 316.

Reſtat *vnio*, quæ pro diuerſa, quam habet, ſignificatione modus finiendi et non finiendi ſummam poteſtatem haberi poteſt (§. 261.). ***Eſt modus finiendi, ſi cum alia maior***

Vnione non amittitur ſumma poteſtas, ſed incorporatione.

iori ciuitate ita vniatur ciuitas, quæ per ſe habebat ſummam poteſtatem, vt incorporetur, et *appendicis loco aut in numero prouinciæ habeatur* (eod.).

§. 317.

In vnione iura Reip. in quauis terra manent, non in incorporatione.

Qui vltimus *modus non ſolum eſt modus finiendi ſummam poteſtatem, ſed etiam totam Rempublicam.* Namque finita vita Reipublicæ eſt, vbi nexus peculiaris imperantis cum ſibi ſubiectis ſolutus (§. 306.): qualis ſolutio accidit, ſi Reſpublica in formam prouinciæ redigitur aut incorporatur (§. 261.).

§. 318.

Quibus modis moriatur aut intereat tota respublica.

Generatim *interit* aut *moritur Reſpublica, quando imperantes et parentes extincti* (§. 2. et 306.). Idque accidere poteſt vel phyſice vel moraliter: *phyſice*, ſi vniuerſi ciues deleantur, qui perire poſſunt inundatione, terræ motu, bello; *moraliter*, vt puta, ſublato nexu imperantis et parentium. Qualis ſublatio accidere poteſt, diſſipatione hominum, peſte, ſeditione, bello. Tandem quoque ſeruitute publica conſtituitur Reipublicæ

FINIS.

INDEX AVCTORVM
NVMERI INDICANT §PHOS.

A.

ABbadie *Iaques.* 248
Aimonius. 227
Arniſæus *Henning.* 99
Auentinus *Io.* 224
Anonymi *Autor.* 23. 25. 284

B.

Bachoff ab Echt *Io. Frid.* 179
Baluzius *Steph.* 227
Barbeyrac. *Io.* 166. 188
Barclaius *Wilh.* 201
Baronius *Caſar.* 191
Basnage *Iacob.* 260
Baudius *Domin.* 238
Becmannus *Io. Chriſt.* 236
Bodinus *Io.* 139. 203
Bœclerus *Io. Henr.* 239
Bœhmer *Iuſt. Henning.* 3. 149
Boterus *Io.* 206
Brandy *Rob.* 213
Buchananus *Georg.* 105
Buddeus *Io. Franc.* 122. 209. 214
Burgundus *Nicol.* 221

C.

Camdenus *Guil.* 228
Clericus *Io.* 77. 188
Cocceius *Henr.* 43. 206. 211. 291
Cominæus *Philippus.* 36. 165
Conringius *Herm.* 81

D.

Danæus *Lambert.* 301
Daniel *P.* 220

F.

Fra - Paolo. 89
Fredro *Andr. Max.* 247
Freherus *Marq.* 236. 243
Fürſtenerius *Cæſarinus.* 92

G.

Gœbel *Io Wilh.* 291
Goldaſtus *Melch.* 191
Gothofredus *Dionyſ.* 233. 243
Grammondus *Gabr. Barthol.* 130
Gribner *Mich. Henr.* 241. 259
Gröningius *Ioh.* 5
Grotius *Hugo.* 24. 29. 32. 36. 63. 69. 82. 96. 97. 98. 99. 139. 158. 206. 210. 211. 215. 231. 244. 263
Guicciardini *Franc.* 77
Guillimannus *Franc.* 238
Gündling *Nic. Hieron.* 194. 211

H.

H.

Hæræus *Franciſc.* 203
Hardtius *Herm.* 196
Hartknoch *Chriſt.* 55
Henniges *Henr.* 49. 60
Hertius *Io. Nic.* 3. 32. 55. 114. 242
Hippolitus a Lapide. 23
Hobbeſius *Thom.* 23. 79. 195
Hornius *Io. Frid.* 237
Hottomannus *Franc.* 66
Houtuyn *Adr.* 23. 34. 63. 66. 188. 196
Huberus *Vlr.* 2. 3. 12. 34. 77
Hugo *Ludolph.* 269

K.

Kulpiſius *Io. Georg.* 11. 99. 141. 264

L.

Leibnitius *Godofr. Guil.* 155
Lentulus *Cyriacus.* 216
Leti *Gregor.* 268
Lockius *Io.* 186
de Ludewig *Io. Petr.* 88
de Ludolff. *Georg. Melch.* 214
Luithprandus. 99
Lunigius *Io. Chriſt.* 224
Lyncker *Nic. Chriſtoph.* 11. 78

M.

Mariana *Io.* 200
Mauroceni *Andr.* 55
Meyerus *Iacob,* 63

Monachus Saugallenſis. 196
du Montius. 4
de Monzambano *Seuerinus.* 76
de Munchhauſen *Gerh. Adolph.* 222
Mutzius *Iac. Bern.* 55

N.

a Niem *Theod.* 99. 232

O.

Obrechtus *Vlr.* 69. 248
Ottieri *Franc. Maria.* 23
Otto Friſingenſis. 99

P.

Palthenius *Io. Phil.* 247
de Pereſixe *Harduin.* 283
Perez *Anton.* 60
Pfannerus *Tob.* 240
Priolus *Beni.* 105
Puſendorff *Sam.* 31. 34. 76. 206. 218. 258. 286
Puteanus *Petr.* 233

R.

Rapin de Thoyras *Renatus.* 216
de St. Real *Ceſar Richardus.* 86

S.

Sangallenſis Monachus. 196
Schilter. *Io.* 191. 220
Schützius *Iuſt. Sinold.* 130

Sidneus Algemon. 64
Steel *Rich.* 216
Stockmannus *Petr.* 47
Struuius *Burch. Gottbelff.* 4

T.

Temple *Wilh.* 63
Terlonius. 86
Thomaſius *Chriſt.* 34. 236. 275
Thuanus *Iac. Aug.* 88
Titius *Gottl. Gerh.* 11. 31. 141. 269

V.

de Verulamio *Franc. Baco.* 23
Vitriarius *Io. Iac.* 99

W.

Waltonus *Iſaac.* 159
Wendelerus. 190
Werlhof. *Io.* 233
Wottonus *Henr.* 159

Z.

Ziegler *Caſpar.* 55, 88

IN-

C.

Cauſæ cognitio an ſubditis in Principem competat? 64
Ius Cedendi regna hæreditaria. 217. electiua. 218
Cedens an illi, cui imperium ceſſit, ſuccedat, an proximus heres? 219
Cedere regnum ſucceſſori ſuo an poſſit imperans ſe viuo? 203
de Ciuitatis ac Reipubl. differentia quid ſentiendum? 2. 33
Ciuitatis vita, morbi, mors. 306
Clericorum iura et obligationes. 283
Coimperantes qui dicantur? 23. 271
Comitia quid? 54
Commiſſarius quis? 156
Commiſſoria lex quid? 60. imperantes imperfecte obligat. ibid.
Compromittentes an laudo ſtare teneantur? 155
Confirmationum diſtinctio, ius et effectus. 149
In Conſcientias nullum imperanti ius eſt. 188
Conſenſus expreſſus et tacitus quid? 32. vterque ſpontaneus eſt vel coactus, etiamque hic liber eſt et obligat. ibid.
ConſeruatioReipubl. in quo conſiſtat? 29
Conſpiratio an crimen læſæ Maieſtatis? 103
Conſpirationis conſcientia an crimen læſæ Maieſtatis? 105
Coronationes nil noui iuris conferunt. 236

D.

Degradatio quid? 296

INDEX RERVM.

A.

ABdicatio imperii. §. 216
Abiurationis validitas. 235
Actio moralis quid? 177
Actus ipſo iure nulli quinam? 57
Ius in 'Αδέσποτα. 169
Adiaphora cultus externi an ab arbitrio Principis pendeant? 194
Adminiſtratoria poteſtas quaenam? 24
Æequitas in quo conſiſtat? 305
Alienabiles Respublicae quaenam ſint? 201
Alienatio an et qualis imperanti licita? 200. 203. 207
Anarchia. 265
Arbitri a parentibus conſtitui poſſunt. 154
Arbitrorum iura et officia. ibid.
Arcana communicando crimen laeſae Maieſtatis committitur. 102
Auſtregae an arbitri ſint? 154
Autonomia gentium quid? 43

B.

Banni ius. 280
Belli ad arbitrium finiendi ius. 129
Belligerandi ius imperantes habent 124, parentes non habent. 125
Bellum punitiuum. 173
de Boni publici Ligiſtis, defenſoribus ac protectoribus quid ſentiendum? 126

C.

Depoſitiones imperantium iniuſtæ. 29
Depoſitione an ius ſuum imperans amittat? 248
Deputationum ius. 162
Derelictione an regnum amittatur? 247
Derelinquere regnum vtrum Princeps queat populo inuito? ibid.
Deſignationis iura et effectus. 221. 226
Deſpotæ an ius ſubditos ad lubitum interficiendi? 208
Ius circa Dignitates. 157
Dignitates in ea tantum Republ. valent, in qua collatæ. 293
Dignitatem regalem amittit imperans iura imperii alienans. 292
Dignitatum fons eſt imperans. 88. 157
Dignitatum ac honorum differentia. 294
Diſpenſandi ius. 147
Dominii et facultatis eminentis definitio et axiomata. 166. cui competant? 168
Duella num licita? 153
Dyarchia et Con-Dominatus. 202

E.

Eccleſia interna et externa quid? 185. an in vtramque ius habeat imperans. 186. 187
Eccleſia non eſt Reſpublica, ſed in Republica 189. 286
Tot in Eccleſiam eſſe ſummas poteſtates, quot ſunt Reſpublicæ. 288
Eccleſiaſtica poteſtas ac iurisdictio iurisdictioni imperantis ſubordinata. 287

Ordinationes et iura Eccleſiaſtica conſtituendi ius. 192
Eccleſiaſtica iurisdictio ad quem ſpectet? 193
Ius in cauſis Eccleſiaſticis diſpenſandi et punien-di. 198
Electio quid? 221
Electiui regni certum indicium. 225
Electorum iura. 219. 222
Eligi quis poſſit imperans? 224
Emigrandi libertatem an habeant ſubditi? 297
Epiſcopus in Republ. ſummus quis? 197
Exheredari ſucceſſores legitimi num poſſint? 210

F.

Fœdera faciendi ius. 133. 134. 135
cur ſeruanda et quam gignant obligatio-nem? 136
Fœderata Respublica quid? 260
Fœdus quid? 133
antiquius per nouum cum alio ictum an negligi iure queat? 137
ſyſtematicum quid? 139
Fœmineum regnum an in coniugem transferri queat? 290
Forma Reipubl. in quo conſiſtat? 49. eius mu-tatio quam in regimine poſt ſe trahat mutatio-nem? 253
Forma Reipubl. mixta num detur? 262

G.

Gentes vt homines ſinguli in ſtatu naturali vi-uentes conſiderandi. 42

H.

Hierarchia vniuerſalis quid de ea ſentiendum? 288
Honor ſimplex et intentus quid? 294
Hoſtis Reipubl. quis? 118

I.

Imperans quis? 23. an ſit in nexu reipublicæ? 26. num legibus a ſemet latis teneatur? 47. non niſi vnus in republica eſſe poteſt. 111. quid et quando alienare queat? 203. num imperium alienare poſſit? 200. eius eſt conſeruare rempubl. 28. eius obligatio ad leges iuris publici vniuerſalis cur imperfecta? 48. eius familia ipſius poteſtati ciuili ſubiecta. 289
Imperantes quo iure vtantur? 38. 41. an ſupra leges ſint? 47. 67. an ſint Magiſtratus? 158. eorum depoſitio iniuſta. 29. ſtatus eorum naturalis. 37. 38. an illis contra leges fundamentales agentibus reſiſtere liceat? 63. 64
Imperii definitio. 11
ius an alienari queat? 190. 191
perfecti acquiſitio. 32
abdicatio et derelictio. 216
Romani legitima translatio a Francis ad Germanos vnde demonſtranda. 227
Imperio Germanico quæ forma aſſignanda? 264
Imperium Germanicum an vna reſpublica? 11
quando deſinat? 250
Incorporatio terrarum. 261
Infamia quid? 295
Infamia notandi ius. 296

In-

Inobedientia parentium quando licita? 63. 299
Interregnum. 241
Inueſtitura an aliquem in nexum reipubl. inuoluat? 27
Iudex quis? 150
Iura Maieſtatica quæ dicantur? 109
reipubl. nomine a Principe acquiſita acquiruntur reipublicæ. 232. et transeunt ad ſucceſſores. 229
Iuris publici et priuati conſtitutio ac immutatio quibus competat? 43. 44. 45. 49. 50. 51.
Germanici principia propria. 9. et peregrina. 10. quæ cum domeſticis coniungenda. 14
hiſtoria in quo conſiſtat. 10
principia communia et propria. 8
prudentiæ ſignificatus quotuplex? 18
ſcientiæ ſignificatus quotuplex? 17
ſolida ac certa cognitio in quo conſiſtat? 19
vniuerſalis et particularis definitio. 4
vniuerſalis et Germanici principia. 6. 7
vniuerſalis principium primum. 21. eius requiſita et exiſtentia. 22. 28
Iusiurandum, quo ciuis ciui tenetur, vtrum ſolui queat ab imperante? 298
Ius circa ἀδέσποτα. 169
aggratiandi et aſyla conſtituendi tollendique. 172
armorum ac munimentorum. 121. 127
ciuile quid? eiusque in publicum ac priuatum diſtinctio. 35

Ius naturæ ac gentium an differant? 41
perfectum et imperfectum quid? 31
quæſitum alteri auferre an licitum? 210
Ius publicum in genere quid? 1
Germanicum principiis et communibus et propriis gaudet. 8
imperii ex quibus fontibus hauriendum, et quomodo eius cognitio ſcientifica acquiratur? 17. eius ſtudium qua ratione tractandum? 15
particulare abſque vniuerſali intelligi nequit. 12. 13
an principiis certis indubiisque nitatur? 5
an ſit ſcientia? 16
an ſyſtematice queat tractari? 20
vniuerſale num detur? 3

L.

Latrocinium gentium quid? 23
Legati quo iure teneantur? 38. an poſſint rebelles, proditores et coniurati haberi? 104
Legatorum Maieſtas nulla. 89. inuiolabilitas quæ? 159. iura et obligatio quæ? 160
Legationum ius. 161
Legatus quis? 159
Leges criminales ferendi ius. 171
fundamentales imperii quæ? 9. 61. 62
fundamentales in principiis iurispubl. ponendis cur inueſtigandæ? 11. formam dant reipubl. 62. imperantes imperfecte. parentes perfecte obligant. 63. 64. 65

ſunt

ſunt principia iuris publici. 34. mutare ac tollere quibus licitum? 66. 68. ſummam imperantis poteſtatem nec tollunt nec minuunt. 74

Leges gentium liberarum quomodo abrogentur aut derogentur? 56
ex pacto quae? 52. quandonam tollantur vel minus? 53
publicae ac priuatae quae? 39. ſtatum ciuitatis ſupponunt. 40

Legum fundamentalium, publicarum et regiarum differentia. 61
interpretatio authentica cui competat? 46

Lex commiſſoria quid, et vtrum imperantes perfecte obliget? 60
fundamentalis quid, eiusque requiſita. 61
Regia Henrici VII. Angliae Regis. 23

Libertas ciuilis quid? 277. qui in ea viuant? ibid.

Libertatis receptionum res merae facultatis? 305

Lyturgicum ius. 199

M.

Magiſtratus quis? 158. non poſſunt diſpenſare, leges mutare aut tollere. 148. imperantis imperium nullo ſub praetextu abnuere queunt. 300. ius imperanti reſiſtendi non habent. 301

Maieſtas et iura Maieſtatica quid? 88. 90. eius origo quaenam? 34. nulla valet extra rempubl. nec dantur Iura Maieſtatica transeuntia. 113. eſt incommunicabilis. 202. ab exercitio nonnullorum Iurium Maieſtaticorum ad ipſam Maieſtatem non valet concluſio. 89

Maieſtas realis et perſonalis quid? 95. vnde hæc diſtinctio orta? 96. eius effectus. 98. 99
Maieſtatis læſæ crimen quid, et a quibus committi poſſit? 100. in quos? 101. 106. an ab hoc crimine ad parentes et ſubditos valeat concluſio? 107. in quo ſenſu haud valeat? 108
Matrimonium an iuſta acquirendi imperii cauſa? 214
Methodus ſyſtematica quid? 20
Militem conſcribendi ius. 122
Monarchæ nomen quibus competat? 23
Monarchia quid? 254
Ius circa Munera publica. 163

N.

Negotia priuata cur in comitiis imperii haud tractentur? 54
Ius conſtituendi gradus Nobilitatis ad heredes transeuntis. 295
Nullitatis clauſula quid? 57. quid operetur ratione parentium? 58. et imperantium? 59

O.

Obligatio perfecta et imperfecta qualis? 31. ex pacto et ex ſubiectione an differant? 55
Obligationes parentium vnde deriuandæ? 266
Optimates qui dicantur? 23

P.

Pacti in conſtituenda republ. ratio. 34
Pactorum publicorum diuiſiones. 139
Parens quis dicatur? 27

Parentes an ius habeant imperantem cogendi vel eidem reſiſtendi? 36
Parentium in ſtatus, ciues ac ſubditos diſtinctio. 267. eorum obligationes vnde deriuandæ? 266. inobedientia quando licita? 63
Patrimonialia regna an dentur? 205. 206
Pax interna et externa quid, et imperantis circa eam ius. 117. 130. 132
Perſona publica et priuata quænam? 35. Perſonæ publicæ num iure teneantur priuato? ibid.
Populus liber quis? 23. quo iure vtatur. 38
Poteſtas abſoluta et limitata quid? 254
 adminiſtratoria quid? 24
 ciuilis quid? 25. eius origo. 34
 ſubiectum. 81. eius acquirendæ transferendæque tituli ac modi. ibid. eius finiendæ modi. 309. 311. 312. 314-316. 317. 318
Poteſtas ciuilis ſumma quænam? 24
 limitata ſumma eſt ac independens. 256
Poteſtatem iure proprio et iure adminiſtratorio quis habeat? 24
Poteſtatis ſummæ ſubiectum commune et proprium. 97
Prætenſionum ius. 230
Primogenituræ iuris introductio. 220
Princeps quis? 23. num ſeſe poteſtati alterius ſubiicere queat? 201
Proëdria vbi et inter quos valeat? 293
Promiſſa rebellibus facta vtrum ſeruanda? 131
Proteſtationes quid, earumque effectus. 231
Prouincia quid? 264. 269

Punitionis ius. 171. 173
Punitiuum bellum. 173

R.

De Ratificationibus publicis intuitu vicariorum ac tutorum regiorum. 245
Rebelles non habent ius pacem faciendi aut quidquam ex ea acceptandi. 131. promiſſa iis facta vtrum ſeruanda? ibid.
Rebellio an crimen læſæ Maieſtatis? 103
Ius Reformandi ſacra. 194. 195
Reges ius alienandi in regnis patrimonialibus num habeant? 207
Regicidium Anglicanum quid de eo ſentiendum? 64
De Regis Romanorum iuribus. 221
Regni hæreditarii et electiui iura. 213. vacatio quid? 241
Vtrum in Regno patrimoniali ac deſpotico remotior ſanguine anteferri poſſit proximiori? 212
Regnum abſolutum et limitatum quid? 23
electiuum hereditario mixtum quid, et quando cuiusuis generis regnum redeat ad populum? 227
mere patrimoniale num conſtitui queat? 205. 206
Relatio inter imperantem ac parentes. 26
Religiones diuerſas tollendi ius. 186
Reipubl. caput quid? 23
conſeruatio quid, et cuinam incumbat? 28. 29

Rei-

Reipubl. forma vnde dignoſcatur? 49. 62
mutatio vel ſublatio. 307
nexus et ſtructura quid? 1. 26
De Reipubl. ac ciuitatis differentia quid ſentiendum? 2. 33
Rempubl. defendendi ius 114. 115. 116. 126
gubernare quid ſit? 25
De Renunciationibus. 220. 249
Repreſſaliarum ius vnde deriuandum? 31
Reſiſtentiæ ac inobedientiæ differentia. 63
Reſiſtere imperanti an licitum? 63. 303
Reſpublica quid? 2. libera quid? 23. eſt ſocietas ciuilis? 30. an abſque iure publico ſubſiſtere valeat? 2
Reſpublicæ ſunt ſocietates inæquales. 33. quænam ſuffragiis regantur? 54. quænam alienabiles? 201. regulares et irregulares. 257. earum origo. 32
Rex de facto & de iure talis. 23

S.

Ius circa Sacra 183. Sacra quid hic ſignificent? 187
Salus publica. 86. ſubditorum ſumma principis lex. 87
Sanctio pragmatica quid, eiusque a lege fundamentali differentia. 69
Securitas publica. 119. 120. plenaria quando adſit? 128
Sequelæ ius. 123
Seruus quid? 275

Societas quid? 31
æqualis et inæqualis quid? ibid.
ciuilis quid? 30
Ius circa Societates parentium. 177. 178. 179. 180
Societatum inæqualium exſiſtentia. 33
Souverain quis dicatur. 23
Status inæqualitatis et æqualitatis, et qui in eo viuant? 274
Status libertatis, ciuitatis, publicus, priuatus qui? 35
libertatis populorum, imperantium ac legatorum inter ſe. 37. 41
libertatis legum publicarum expers. 40
regni definitio generalis. 267. eius ad ſtatus imperii et reipubl. Belgicæ applicatio. 268, et ad Status prouinciales. 269
Statuum iura vnde deriuanda? 270
obligationes. 273
Statuta condendi ius. 149
Subditi qui proprie dicendi? 279. an peregrini ad tempus in republ. commorantes? 281. an imperans aut legatus, vt tales in aliena republ. recepti? 282. an eorum comitatus poteſtati ciuili reipub. ſubiectus? 203
Subditi an generatim ſerui reipubl. ſint? 275. an in regno herili? 276. eorum receptio ac extermi-natio. 305. quid de eorum differentia ſtatuendum? 291
De Subductionibus: num parentes legitimo ſeſe imperio ſubducere queant? 238. an ex ſubductione illegitima reſpublica libera exoriri queat? 239. an imperans, qui contra ſubductionem proteſtatur, ius ſuum conſeruet? 240

Sub

Subiectionis iuſiurandum à quo ſoluendum? 297
Succeſſio gradualis ac linealis. 214
Succeſſionis hæreditariæ fundamentum. 215. quis eius capax? 224
Succeſſor cur ad facta deceſſoris ſui teneatur? 31. an teſtamento conſtitui poſſit? 209
Suffragia quid? 54
Summum quid? 24
Suum quid? 28
Ius circa Synodos. 196
Syſtema Europæ quodnam? 258. rerumpubl. eiusque iura. 139. 258

T.

Territorium quid? 128. 269. de Territorio eſſe quid ſit? 175
Teſtamenta Principum. 211
Teſtamento vtrum ſucceſſor conſtitui poſſit? 209
Teſtamentorum ius an iuris naturalis et gentium? 211
Titulus iuſtus acquirendi in quo generatim nitatur? 215
Tributarius vtrum ſubditis annumerandus? 27
Tributorum ius. 165
Tutela regia. 242
Tutores Principum legitimi an teſtamentariis præferendi? 243
regii a quibus conſtituendi? 244. eorum iura. 243. 245.
Tyrannus quisnam? 23

V.

Vaſallagii differentia ab homagio. 27
Vaſallus an ſubditis adnumerandus veniat ? ibid.
Vicarii a quibus conſtituendi ? 244. eorum iura. 241. poteſtas. 246
Vnio gentium quotuplex ? 261
Ius circa Vniuerſitates. 181. 182
Voluntas imperantis an voluntas populi. 31
Vſurpatio quid ? 23. 143
Vſurpator quis ? 23

ERRATA.

PAgina 4. linea 6. pro quidem lege quidam.
p. 8. l. 2. iure l. luce.
l. 24. vſu l. caſu.
p. 9. l. 18. vlteriori l. vlteriora.
l. 20. anxiliantibus l. auxiliantibus.
p. 25. l. 10. et p. 41. Houtoyn l. Houtuyn.
p. 58. l. 6. habet l. habent.
p. 83. l. 15. pſſiont l. poſſint.
p. 84. l. 22. imperantis l. imperatoris.
p. 100. l. 12. obligatus l. obligatum.
p. 127. l. 8. aperte l. operta.
l. 23. conſiderare l. conſiderari.
p. 130. l. 11. læſionum l. læſiones.
p. 137. lin. antepenultima quibus l. quo.
p. 169. l. 17. et l. ou.
p. 170. lin. 1. et 2. commiſſarius l. concommiſſarius.
p. 195. lin. 19. demonſtratiorum l. demonſtrationum.
p. 211. Mariano l. Mariana.
p. 214. l. 16. partiipcare l. participare.
p. 216. l. 23. intervevit l. interuenit.
p. 222. l. 18. vt l. et.
p. 226. l. 6. Buddæus l. Buddeus.
p. 237. l. 21. omittat l. amittat.
p. 247. lin. 16. ſucceſſonſiis lege ſucceſſionis.

p. 254.

p. 254. l. 2. Titium l. Tilium.

p. 266. l. 18. proteſtantis lege proteſtationis.

p. 276. l. 10. ignorantes l. ignorantis.

l. 11. præſcribere l. præſcribi.

p. 287. l. 9. Ficherum l. Freherum.

p. 297. l. 19. quæ l. qua.

p. 305. l. 6. in marginali pro ex l. ab.

p. 312. l. 4. in marginali femino lege femineo.

p. 318. l. 21. deleatur meditetur, lin. 22. pro publicare, lege publicauit.

p. 320. l. 9. ſaluæ l. ſalua.

MEDITATIO

AD

AVGVSTISSIMI IMPERATORIS

ROMANORVM

CAROLI VI

SANCTIONEM PRAGMATICAM

DE

ORDINE SVCCEDENDI IN

REGNA PROVINCIAS AC DITIONES

AD

SERENISSIMAM DOMVM AVSTRIACAM

IVRE HÆREDITARIO SPECTANTES

EIVSQVE

GVARANTIAM GENERALEM

AB IMPERIO

DECRETO COMITIALI

MAIORIBVS NVMERO SVF-

FRAGIIS CONFECTO

SVSCEPTAM

ET

CONTRA QVOSCVNQVE

PRAESTANDAM

EDITIO RECOGNITA ET PLVRIMIS

NOVIS ARGVMENTIS FIRMIORIBVS

AVCTA.

Digitized by Google

Digitized by Google

CONSPECTVS PARAGRAPHORVM

MEDITATIONIS

AD

SANCTIONEM PRAGMATICAM

§. 1.

QVando Sanctio pragmatica ſtabilita?

§. 2. An Sanctionem Imperator conſtituere potuerit, eiusque Guarantia contra quoscunque ſuſcipi?

§. 3. Ex quibus iuribus dubia ſoluenda?

§. 4. Quibus iuris principiis Auctor in hac meditatione vtatur?

§. 5. Quid Sanctio pragmatica?

§. 6. Quis Sanctiones ferre queat? An & Imperator tam intuitu imperii quam terrarum haereditariarum?

§. 7. Nonnullae quaeſtiones de Sanctione pertractandae.

§. 8. Cur Sanctio Carolina lex perpetua & immutabilis?

§. 9. Dubium contra Sanctionem Carolinam, an iuſta ſit?

§. 10. Huius dubii reſolutio.

§. 11. Ratione Grotii infirmatur, quod cauſa ſucceſſionis non ſit ſub iure imperii Regis regnantis.

§. 12. Quo ſenſu ſucceſſio non ſit ſub iure imperii?

§. 13. Imperator iuſte potuit de ordine ſuccedendi Sanctione diſponere, & quare ſucceſſores eam ſeruare obligati?

§. 14. Ius indiuiduitatis & primogeniturae, etiam feminеae, in Germania obtinet.

§. 15. De iure principis cuiusuis terras ſuas indiuiduas conſeruandi, eiusque ratio.

§. 16. A iure indiuiduitatis differt ius vnionis Gallicum.

§. 17. Quod ius indiuiduitatis in omnibus Imperii feudis regulariter obtineat: vnde probandum?

§. 18. Ius primogeniturae & indiuiduitatis in terris Auſtriacis & Sueuicis obtinuit olim, & hodie obtinet.

§. 19. Auctores diſſentientes: vtrum feuda Imperii diuidua, an indiuidua ſint?

§. 20. Cuiuis Statui Imperii licet primogenituram & indiuiduitatem terrarum introducere.

§. 21. Id ius indiuiduitatis in terris Auſtriacis non mutat partitio earum interdum facta, & ratio cur non mutet?

§. 22. An Electores contra A. B. diuiſiones terrarum ſuarum fecerint?

§. 23. Ex natura fundamentali terrarum Auſtriacarum Imperatoris ius Sanctionem ponendi Auctor deriuabit.

DE TERRIS AVSTRIACIS GERMANIAE CIRCVLIS INCLVSIS.

§. 24. Ex priuilegio Caroli V. ius primogeniturae femineae & alienationis in terris Auſtriacis probatur.

§. 25. Ad quas terras hoc priuilegium ſe extendat?

§. 26. Hoc priuilegium Carolinum & omnia priora conſenſu Statuum munita.

§. 27. Ex quo ſtatuum conſenſus in priuilegium Caroli V. colligendus?

§. 28. Ex hoc conſenſu in priuilegia eorumque confirmatione, iuſtitia Sanctionis, proprio motu confectae, colligitur.

§. 29.

§. 29. An Imperatores Auſtriaci priuilegia Domui ſuae inferre potuerint?

§. 30. An ſit neceſſe veritatem Conſtitutionis Friderici I. probare, & vnde probanda?
Vbi ſimul Thomaſii dubium remouetur.

§. 31. Obiectio contra legitimam translationem terrarum Auſtriacarum in Albertum, eiusque ſolutio.
Ceſſio Ottocaro libera, &, quod filiae e familia Babenbergenſi iniuſte non fuerint praeteritae, vlterius deducitur.

§. 32. Fundamenta ſucceſſionis Alberti in terras Auſtriacas. Filiae Babenbergenſes non contradixerunt & Alberti ſucceſſionem legitimam agnouerunt.

§. 33. Quid exinde colligendum, quod Imperium terras Auſtriacas, vt feuda imperii aperta, contulerit?
Terris Sueuicis eadem eſt conditio, quae reliquis terris Auſtriacis.

§. 34. In terris Auſtriacis matrimonium fuit modus acquirendi easdem.

§. 35. Nec non ius ſanguinis ex cognatione & ius ceſſionis.

§. 36. De ceſſione Ottocari, Rudolpho facta.

§. 37. Ex ceſſione ſola Ottocari non dependet Habsburgicum ius in Auſtriam.

§. 38. Cur terrae Auſtriacae ad feminas transferri queant?

§. 39. Cur adeo Sanctione Pragmatica in his terris ſucceſſio feminea ſtabiliri potuerit iuſte?

§. 40. Sanctione ſtabilitum ius primogeniturae opus non habet confirmatione Imperatorum.

§. 41. Nec confirmatione Statuum Imperii.

§. 42. Nec confirmatione Statuum & ditionum haereditariarum.

§. 43. Quando Princeps poſſit ſine Ordinum conſenſu quemuis ordinem ſuccedendi, adeoque & femineum, introducere?

§. 44.

§. 44. Antecedentis generalis ſententiae adplicatio ad terras Auſtriacas.

§. 45. Hinc Imperator ſolus in terris haereditariis Auſtriacis, ſine Statuum earundem conſenſu, Sanctione ordinem ſuccedendi firmare potuit.

§. 46. Nec obeſt exemplum Rudolphi & Matthiae, qui conſenſum Statuum requiſiuerunt.

§. 47. Contra ſucceſſionem primogenitae Carolinae proteſtari legitime non poſſunt Status prouinciales.

§. 48. Quo iure Regna Hungariae & Bohemiae, terrae Belgicae & Italicae ad Domum Auſtriacam peruenerint?

DE TERRIS BELGICIS ET ITALICIS.

§. 49. Belgium Hiſpanicum Imperator etiam ex pace Badenſi accepit ſecundum ordinem ſuccedendi Sanctione ſtabilitum.

§. 50. Nec obſtat, quod nulla mentio Sanctionis in pace Badenſi facta.

§. 51. Sanctio eſt publica diſpoſitio & ſilentium de ea in pace Badenſi pro conſenſu habendum.

§. 52. Ordo ſuccedendi in Belgium, Sanctione declaratus, conuenit tractatui Londinenſi 1718., Viennenſi 1725., naturae fundamentali Belgii, a cuius ordinibus etiam acceptatus.

§. 53. Idem ordo ſuccedendi in terras Italicas Pace Raſtadienſi & Badenſi confirmatur.

§. 54. Quod colligitur ex formula ſuccedendi apud Reges Hiſpaniarum recepta.

§. 55. Accedit, quod dictae prouinciae iure belli acquiſitae ſint.

§. 56. Neque obſtat, quod Mediolanum feudum Imperii ſit.

§. 57. An Imperator inueſtituram Ducatus Mediolanenſis petere neceſſe habuerit?

§. 58.

§. 58. Imperium ipſum agnoſcit Ducatum Mediolanenſ. vt feudum Imperii femineum, ſecundum ordinem primogeniturae.

§. 59. An Mediolanum domanium Imperii ſit?

§. 60. Ratione Ducatus Mediolanenſis Coniux primogenitae non eſt peregrinus.

§. 61. Coniux in ſucceſſione non habetur peregrinus: vnde non obſtat lex Hiſpanicae ſucceſſionis, quae peregrinum excludit.

DE REGNO BOHEMIAE ET TERRIS INCORPORATIS.

§. 62. De natura fundamentali Regni Bohemiae & Sileſiae intuitu ſucceſſionis.

§. 63. De incorporatione terrarum eadem natura fundamentalis colligitur.

§. 64. De natura fundamentali Moraviae & terrarum affinium intuitu ſucceſſionis.

§. 65. Exempla probantia, quod feminae earumque coniuges Ius ſuccedendi in regnum Bohemiae habeant.

§. 66. Huic ſucceſſioni non repugnat ordo ſuccedendi in Electoratus, qui feminas excludunt.

§. 67. Femina in ius eligendi Imperatorem ſuccedere non poteſt.

§. 68. Sed tamen Status regni Bohemiae, donec femina ſuccedens iura regni in maritum transtulerit: quod iure fieri poteſt.

§. 69. Quo fundamento nitatur ſucceſſio feminea in Regno Bohemiae.

§. 70. Cur Imperator Sanctione de ordine ſuccedendi in regnum Bohemiae diſponere potuerit, ac quidem femineo, quamuis iura Electoratus habeat.

§. 71. Praerogatiua regni Bohemiae prae aliis Electoratibus.

§. 72. Regnum Bohemiae non vacat, niſi poſt vtrius-

que ſexus defectum: quod probatur ex conſtitutione regni Hungariae adiacentis.

§. 73. Ex iure publico vniuerſali.

§. 74. Ex Conſtitutionibus Regni Bohemiae.

§. 75. Maritus per vxorem ius ſuccedendi in regnum Bohemiae acquirit, omnesque cognati habent ſucceſſionem.

§. 76. Hinc primogenita eiusque coniux futurus ius ſuccedendi in regnum Bohemiae habent, nec ordinum conſenſum in electione coniugis adhibere tenetur primogenita.

§. 77. Domus Auſtriacae ius haereditarium in regnum Bohemiae probandum ex ordinum regni atteſtationibus propriis.

§. 78. Ex obedientia & ſubiectione.

§. 79. Ex pactis reciprocae ſucceſſionis inter Regiam Bohemiae & Archiducalem Auſtriae familiam.

§. 80. Sanctio non aduerſatur naturae regni Bohemiae fundamentali, etiam ſi regnum olim electitium fuiſſet.

§. 81. Naturam Reipublicae fundamentalem mutare licet.

§. 82. Primogenitura feminea iure in regno Bohemiae Sanctione ſtabiliri potuit ſine ordinum conſenſu.

DE REGNO HVNGARIAE.

§. 83. An natura fundamentalis regni Hungariae mutari ob priuilegium Andreae potuerit?

§. 84. Ordines regni Hungariae obligati ſunt ad ſeruandum ordinem ſuccedendi, Sanctione ſtabilitum.

§. 85. Praecipue cum conſenſu ordinum acceptatus.

§. 86. Ac quidem quum conſenſus in conuentu generali pro eo, vt debuit, interpoſitus: proinde & ſanctio firmiter fundata in regno Hungariae.

§. 87. Quibus fundamentis validitas Sanctionis pragmaticae nitatur.

§. 88.

§. 88. An iura cognatorum aut aliorum principum Sanctioni refragentur.

§. 89. Et ſigillatim Reginae Portugalliae & filiarum Ioſephinarum.

§. 90. Quae renunciationes valeant & habeant tacitam iuris agnitionem.

§. 91. Adplicatio paragraphi antecedentis ad renunciationes Archiducum Auſtriacarum.

§. 92. Renunciatio & Reginae Portugalliae & Archiducum Ioſephinarum ipſas obligant, earumque liberos & omnes poſteros.

§. 93. Vnde & ſeruare tenentur ordinem ſuccedendi, Sanctione ſtabilitum.

§. 94. Reſolutio dubiorum contra validitatem renunciationum.

§. 95. Regina Portugalliae ſeruare Sanctionem tenetur, quamuis, antequam ea extitit, renunciauerit.

§. 96. Secundo-genita Carolina ſeruare Sanctionem tenetur, quamuis non renunciauerit.

§. 97. An Sanctione ſtabiliri primogenitura feminea potuerit ſine Papae conſenſu?

§. 98. An pax Badenſis, Vltraiectenſis, Londinenſis, & Viennenſis concludi potuerit quod ad ordinem ſuccedendi in regnum Neapolitanum, ſine Papae conſenſu?

§. 99. An Papa Dominus directus Regni Neapolitani habendus, & ob id eius conſenſus in ſtabiliendo ordine ſuccedendi, adhibendus?

§. 100. An Rex Galliae ex pactis familiae Auſtriacae poſtulare quidquam iuris in terras Auſtriacas poſſit?

§. 101. Sanctionem iuſte conſtituere Imperator proprio motu potuit, nec vlla proteſtatio contra eam valida, quamuis Imperii confirmatio non accedat.

§. 102. An ex ſententia Grotii diuiſio terrarum Auſtriacarum, caſu eueniente, facienda?

§. 103. An ex deciſione Ludolphina diuiſio facienda?

§. 104. An natura feudorum Auſtriacorum in deterius

)(5 mutetur,

mutetur, ſtabilita per Sanctionem indiuiduitate & primogenitura feminea?
§. 105. An terrae Auſtriacae per indiuiduitatem introductam ex independentibus dependentes fiant & earum natura fundamentalis mutetur?
§. 106. Sanctio non aduerſatur iuribus Statuum regnorum & ditionum haereditariarum Auſtriacarum.
§. 107. Per ſanctionem eſt ius quaeſitum Primogenitae Carolinae, atque contra eam ſucceſſionem Status ditionum nec quidquam tentare iure poſſunt.

DE SANCTIONIS GVARANTIA GENERALI.

§. 108. An Sanctionis Guarantia a quibusuis Statibus Europae ſuſcipi poſſit?
§. 109. Regula generalis, ex qua quaeſtiones de Sanctionis Guarantia ſoluendae.
§. 110. Inde reſolutio an Guarantia Sanctionis iuſta ſit, an Imperio & Statibus terrarum haereditariarum damnoſa, & an contra ius tertii ſit?
§. 111. An contra Capitulationem Carolinam?
§. 112. An contra Pacem Badenſem?
§. 113. An ſyſtema & aequilibrium Europae inuertatur?
§. 114. Regula generalis, ex qua diiudicandum, an Sanctionis Guarantia plurium ſuffragiis ab Imperio recipi queat?
§. 115. Vnde colligendum, quae proteſtationes, contra decreta Imperii plurimis ſuffragiis confecta, validae?
§. 116. Quando pluralitatis votorum ratio habenda & contra eam proteſtationes inualidae ex diſpoſitione P. W.?
§. 117. Cur in negotio Guarantiae ratio plurium votorum habenda & proteſtationes contra eam illegitimae?
§. 118. Obiectio contra pluralitatem votorum in cauſa Guarantiae, eiusque reſolutio.

§. 119. Aliud argumentum, quod Guarantiae negotium plurimis ſuffragiis imperii expediendum ſit, ex iure foederum deſumtum.
§. 120. Formula: omnium Statuum conſenſu aliquid conficiendum, ſignat tantum pluralitatem votorum.
§. 121. Quod probatur ex inſtrumento Pacis & iure publico vniuerſali.
§. 122. Ex obſeruantia & exemplo.
§. 123. Ex quo fundamento etiam Guarantia Sanctionis plurimis ſuffragiis ſuſcipi poteſt.
§. 124. Argumenta nonnulla diſſuaſoria, Sanctioni eiusque Guarantiae oppoſita, & reſponſiones ad ea.
§. 125. Concluſio, quod Sanctio iure ſtabilita & eius Guarantia generalis ab omnibus Europae ſtatibus & ab Imperio pluribus ſuffragiis ſuſcipi queat, & contra quoscunque praeſtari legitime.
§. 126. Conſeruatio Sanctionis imperio ſalutaris.
§. 127. Laudes Imperatoris & votum pro Caeſareae Maieſtatis ſalute.

)o(

NB.

Paragraphi in ipſa tractatione de Sanctione Pragmatica allegati reſpiciunt ius publicum vniuerſale, non vero meditationem in ſanctionem pragmaticam.

San-

Sanction Pragmatique & Loy perpetuelle à l'egard de la regle & ordre de ſucceſſion, & vnion indiuiſible de tous les Royaumes, Prouinces, & Etats hereditaires de ſa Maieſté Imp. & Catholique. A Vienne le 6. de Dec. 1724.

CHarles par la grace de Dieu Empereur des Romains, toujours Auguſte, Roy d'Allemagne, de Caſtille, de Leon, d'Arragon, des deux Siciles, de Jeruſalem, d'Hongrie, de Boheme, de Dalmatie, de Croatie, d'Eſclavonie, de Navarre, de Grenade, de Tolede, de Valence, de Galice, de Maiorque, de Seville, de Sardaigne, de Cordoue, de Corſique, de Murcie, de Jaen, des Algarbes, d'Algecire, de Gibraltar, des Jſles de Canarie, & des Jndes Orientales & Occidentales, des Jſles de terre ferme de la mer Oceane; Archi-Duc d'Autriche, Duc de Bourgogne, de Lothier, de Brabant, de Limbourg, de Luxenbourg, de Gueldres, de Milan, de Stirie, de Carinthie, de Carniole, de Wirtenberg, de la haute & baſſe Sileſie, d'Athenes & de Neopatrie; Prince de Suabe; Marquis du St. Empire de Bourgau, de Moravie, de la haute & baſſe Luſace; Comte de Habsbourg, de Flandres, d'Artois, de Tyrol, de Barcelone, de Fernete, de Kybourg, de Gorice, de Rouſſillon & de Cerdagne; Landgrave d'Alſace; Marquis d'Oriſtan & Comte de Gecceano; Seigneur de la Marche d'Eſclavonie, du Port Naon, de Biſcaye, de Moline, de Salins, de Tripoli, & des Malines. &c. Savoir

Sanctio Pragmatica und beſtändiges Geſetz, wegen der Succeſſions-Ordnung, Erb-Folge und untheilbarer Vereinigung Ihrer Kayſerl. und Königl. Cathol. Majeſtät Königreiche, Provinzien und Erblande. Wien den 6ten Decemb. 1724.

WIr Carl von GOttes Gnaden Römiſ. Kayſer, zu allen Zeiten Mehrer des Reichs, in Germanien, Caſtilien, Legion, Arragonien, beeder Sicilien, in Jeruſalem, Hungarn, Böheim, Dalmatien, Croatien, Sclavonien, Navarra, Granada, Toledo, Valenzien, Gallicien, Maiorca, Hiſpalis, Sardinien, Cordua, Corſica, Murcia, Jaen, Algarbien, Algezira, Gibraltar, derer Canariſchen Inſuln, in Oſt-und Weſt-Indien, derer Inſuln und Terrae Firmae, des Oceani, König ꝛc. Ertz-Hertzog von Oeſterreich, Hertzog von Burgund, Lothringen, Braband, Limburg, Luxemburg, Geldern, Mayland, Steyermarck, Cärnthen, Crain, Würtemberg, Ober- und Nieder-Schleſien, Athen, und Neopatrien, Fürſt zu Schwaben; des Römiſchen Reichs Marggraf zu Burgau, Mähren, Ober- und Unter-Laußnitz, Graf zu Habſpurg, Flandern, Artois, Tyrol, Barcellona, Pfyrd, Kyburg, Görtz, Rouſſillon und Cerdagne; Landgraf in Elſaß; Marggraf zu Oriſtani und Graf von Geceane; Herrn von der Windiſchen Marck, Sclavonien, Portenau, Biſcaya, Molins, Salins, Tripolis und Mecheln. ꝛc. ꝛc.

Fügen

SAvoir faiſons a tous & a chacun, qu'il apartiendra, que les Empereurs des Romains, Rois & Archi Ducs d'Autriche, Nos Ancétres ſe ſont donnés par un effet de tendreſſe paternelle, & par une prevoyance de Sageſſe, beaucoup de ſoins, pour etablir dans notre Auguſte Maiſon une regle & forme de ſucceſſion pour y être à perpetuité immuablement ſuivie & obſervée par toute leur poſterité de l'un & de l'autre ſexe, dans tous les evenements, que la providence divine pourroit faire naitre dans la Suite des tems. Que l'ordre pour cette ſucceſſion dans toute l'etendüe de nos vaſtes Etats, Royaumes, Seigneuries & Provinces, tant en general qu'en particulier & en toutes inſeparablement a été introduit & fixé, pour en empecher les demembremens & la diviſion entre les Heritiers de notre Auguſte Maiſon. Qu'entre autres l'Empereur Ferdinand II. notre trés honoré Biſayeul de glorieuſe memoire par ſon Teſtament de 10 de May 1621. confirmé par ſes Codiciles de 8. Aout 1635. a reglé l'ordre de ſucceſſion entre les Archiducs ſes fils & leur deſcendents Males par forme de fidei-commiſs perpetuel, appellée communement Majorat, en ordonnant, que les filles renonçaſſent a l'heredité, & ſe

con

Fügen hiermit zu wiſſen iedermänniglich, und wem es zu wiſſen nöthig, daß die Röm. Kayſere, Könige und Ertz-Hertzoge von Oeſterreich, Unſere Vorfahren, aus Antrieb väterlicher Liebe und kluger Vorſicht viele Sorgfalt gehabt, um in unſerm Durchlauchtigſten Hauß eine Richtſchnur und Form der Erb-Folge außzurichten, welche unter ihren Nachfolgern beyderley Geſchlechts in allen Begebenheiten die von göttlicher Vorſehung in künftigen Zeiten ſich ereignen möchten, vor beſtändig und unveränderlich geſetzet und beobachtet werden ſolle. Dieſe Ordnung der Succeſſion in dem gantzen Bezirck Unſerer groſſen Staaten, Königreiche, Herrſchafften und Provinzien ſo wohl überhaupt, als insbeſondere, und in allen unzertheilig, iſt nun eingeführet und feſtgeſetzet worden, um denen Zerglieder- und Vertheilungen unter denen Erben Unſers Durchlauchtigſten Ertz-Hauſes vorzukommen. Unter andern hat Kayſer Ferdinand der II. Unſer geehrteſter Elter Herr Vater, glorwürdigſter Gedächtniß, durch ſein Teſtament vom 10 May 1621., welches durch die Codicille vom 8 Aug. 1635. beſtätiget worden, die Ordnung der Succeſſion unter denen Ertz-Hertzogen Seinen Söhnen und Ihren Kindern männliches Geſchlechts, auf Art eines beſtändigen Fideicommiſſes, welches ſonſt gemeiniglich Majorat genennet wird, reguliret, und befohlen, daß die Töchtere der Erbſchafft

ſich

contentaſſent de leur dot, ſauf toutes fois *leur droit de retour*, que le meme ordre a été ſuivi par feu l'Empereur Leopold, notre tres honoré Seigneur & pere, de glorieuſe memoire, lequel comme chef de notre Auguſte Maiſon; & ſeul en droit de diſpoſer de ſes Royaumes & Provinces hereditaires a etabli le meme Majorat *par ce partage, qu'il fait le 12 de novembre 1703.* entre notre tres cher & tres aimé frere l'Empereur Joſeph d'heureuſe memoire, alors Roy des Romains, & Nous, de tous ſes Royaumes & Etats ſitués tant en ſes Pays, que dans la Monarchie d'Eſpagne, & dans les dependances d'icelle, & conuertit le dit Ordre de Succeſſion en un vray droit de primogeniture perpetuel en faveur des Males & pour plus de ſureté il ajouta a ce traité de tres ſolennels pactes de ſucceſſion, ou de famille, qui furent acceptés & confirmés par ſerment des par ies contractantes de part & d'autre & dans leſquels, apres que l'on eut reglé & clairement expliqué l'ordre, qui ſe devoit obſerver entre le dit Empereur Joſeph notre Frere & Nous, & nos deſcendans, ou celui des deux, qui ſurvivroit à l'autre & a ſa poſterité, dans la maniere de ſucceder les uns aux autres, tant en nos dits Royaumes & provinces

ſich begeben, und ſich mit ihrem Heyraths-Guth begnügen laſſen ſolten, doch allezeit und überall vorbehältlich Ihres Rückfalls-Rechts; Eben ſolcher Ordnung hat gefolget weyl. Käyſer Leopold, Unſer geehrteſter Herr und Vater, glorwürdigſten Andenckens, welcher als Haupt Unſers Durchlauchtigſten Hauſes allein von ſeinen Königreichen und Erb-Landen zu diſponiren befugt geweſen, und eben ſolches Majorat aufgerichtet, durch die Theilung, welche er zwiſchen Unſern freundlich geliebten Bruder Käyſer Joſeph, damahligen Röm. König, Hochſeel. Gedächtniß, und Uns über alle ſeine Königreiche und Staaten, welche ſo wohl in dieſen Landen, als in der Spaniſchen Monarchie und deren Zugehörung gelegen ſind, am 12. Nov. 1703. gemacht, und beſagte Ordnung der Erb-Folge zum Beſten des männlichen Geſchlechts in ein wahrhaftiges beſtändiges Recht der Erſtgebuhrt verwandelt, auch um mehrerer Sicherheit willen dieſer Handlung ſehr ſolenne Succeſſions- und Familien-Pacten, welche von beederſeits contrahirenden Theilen angenommen, und endlich bekräfftiget worden, hinzu gethan, in welchen, nachdem die zwiſchen beſagtem Käyſer, Unſerm Bruder, und zwiſchen Uns, und Unſeren Nachkommen, oder denjenigen von beeden, der den andern und ſeine Nachkommen überleben würde, zu beobachtende Succeſſions-Ordnung eingerichtet und deutlich erkläret worden, welchergeſtalt einer dem andern ſo wohl in beſagten Un-

)( )(ſern

vinces de par decà, que dans la Monarchie d'Eſpagne, & les pais, qui la compoſent, a été auſſi principalement convenû & diſpoſé, que les *Hoirs males*, tant qu'il y en aura, excluront les femelles a perpetuité, & qu'entre les Mâles, l'ainé exclura auſſi tous ſes autres freres puînés de toute l'heredité de ſorteque la ſucceſſion a tous ces Royaumes & Etats, en quelque part qu'ils ſoyent, demeurera toute entiere, & en indiviſe attachée inſeparablement a l'ainé des Mâles, ſelon l'ordre de la primogeniture; dans leſquels ſusdits pactes & conventions de Succeſſion a été auſſi diſpoſé & reglé la maniere, dont les Archiducheſſes ſe doivent ſucceder au defaut des Mâles, ſi le cas y echoit jamais, ce qu'a Dieu ne plaiſe. Apres la mort de l'Empereur Joſeph notre tres cher & tres aimé Frere, etant auſſi devenu l'unique ſucceſſeur & Heritier, tant de notre propre Chef, que par le Droit du ſang, & en vertu des diſpoſitions faites par nos Auguſtes Ancetres de tous les Royaumes & Etats Hereditaires de par decà; & Nous, nous en trouvant aujourd'hui le ſeul Maitre abſolu, avons, par notre declaration & diſpoſition publicé le 19 Avril 1713, en preſence d'un grand nombre de nos Conſeillers d'Etat intimes, Gouverneurs, ou Preſidens de nos Provinces, & de nos

ſern hieſigen Königreichen und Provinzien, als in der Spaniſchen Monarchie und denen Landen, aus welchen ſelbige beſtehen, ſuccediren ſolle, dabey auch hauptſächlich geſetzet und verordnet worden, daß die männlichen Erben, ſo viel deren vorhanden, das weibliche Geſchlecht beſtändig ausſchlieſſen, und unter denen männlichen Erben der Aelteſte alle übrige nach ihm gebohrne Brüder von aller Erbſchafft dergeſtalt ausſchlieſſen ſollen, daß die Succeſſion aller Königreiche nnd Staaten, wo auch ſolche gelegen, dem erſtgebohrnen männlichen Erben gäntzlich unvertheilt und ungeſondert nach Ordnung der Erſtgeburth verbleiben; ingleichen iſt auch in ſolchen vorberührten Pacten und Succeſſions-Vergleichen die Art und Weiſe geordnet und vorgeſchrieben, welchergeſtalt die Ertz-Hertzoginnen in Ermangelung des männlichen Stammes, wenn der Fall ſich begeben würde, welches doch GOtt verhüte, ſuccediren ſollen. Nach Abſterben des Käyſer Joſephs, Unſers freundlich vielgeliebten Bruders, da wir ſo wohl vor unſer eigen Haupt, als nach dem Recht des Geblüts, und in Krafft derer Verordnungen der alleinige Succeſſor und Erbe aller diſſeitigen Königreiche und Erb-Lande geworden, haben Wir, als ietziger alleiniger abſoluter Herr, durch unſere Declaration und Verordnung, welche den 19 April 1713. in Gegenwart einer groſſen Anzahl Unſerer geheimden Staats-Räthe, Gouverneurs, oder Præſidenten Unſerer Pro-

)( )(2 vinzien,

nos autres Miniſtres renouvellé non ſeulement le droit de primogeniture, déja ſi fortement etabli & enraciné dans notre Auguſte maiſon; mais nous l'avons de plus en vertu de notre pleine puiſſancé, & ſelon l'exigence de l'état de nos affaires erigé en forme de pragmatique ſanction, & d'Edit perpetuel & irrevocable, expliquant nommement ce droit de *primogeniture & de Succeſſion* plus clairement etabli par feu l'Empereur Leopold entre les Princes Mâles de notre Auguſte Maiſon, & au defaut d'iceux etendu en ſa maniere aux Archiducheſſes: Nous avons declaré en des termes intelligibles & exprès, qu'au defaut des Mâles la ſucceſſion echoira: en premier lieu aux Archiducheſſes nos Filles; en ſecond lieu aux Archiducheſſes nos Nieces, Filles de Notre Frere; & en troiſieme lieu aux Archiducheſſes nos Soeurs, & enfin à tous les Heritiers deſcendans de l'un & de l'autre Sexe, voulant qu'en tous ces cas, Elles gardent entre Elles l'Ordre de ſucceſſion lineale tel, qu'il eſt marqué dans notre ſusdit reglement, lequel ſe trouve entierement conforme à celuy, qui a été êtabli pour les Mâles, ſelon *le rang de la primogeniture* & ſucceſſion lineale. En conſequence & en execution de cette ſanction la Sereniſſime

vinzien, und Unſern übrigen Miniſtrorum publiciret worden, nicht allein das bereits ſo feſt errichtete und angeſtammte Recht der Erſtgeburth in Unſerm Durchl. Hauſe erneuret, ſondern wir haben auch ſolches überdiß Krafft unſerer Machts-Vollkommenheit, und nach Erforderniß des Zuſtahdes Unſerer Affairen in Form einer Pragmatiſchen Sanction, auch beſtändigen und unwiederruflichen Edicts errichtet, welches nahmentlich dieſes Recht der Erſtgeburth und der Erb-Folge, ſo von weyl. Käyſer Leopold zwiſchen denen Printzen Unſers Durchl. Hauſes gemacht, und in Ermangelung dererſelben in gewiſſer Maaße auf die Ertz-Hertzoginnen erſtrecket worden, aufgerichtet; wir haben in deutlichen und verſtändlichen Worten declariret, daß in Ermangelung des männlichen Geſchlechts die Succeſſion fallen ſolle: Erſtlich auf die Ertz-Hertzoginnen Unſere Töchter; zum andern auf die Ertz-Hertzoginnen Unſere Niecen, Unſers Bruders Töchter; zum dritten auf die Ertz-Hertzoginnen Unſere Schweſtern, und endlich auf alle abſtammende Erben beyderley Geſchlechts, wollende, daß Sie in allen dieſen Fällen unter ſich ſolche Ordnung oder Lineal-Succeſſion beobachten, welche im vorbemeldten Reglement beſchrieben iſt, und ſich gäntzlich mit demjenigen gleich verhält, was wegen der männlichen Deſcendenten nach der Ordnung der Erſtgeburth und Lineal-Succeſſion errichtet worden. In Befolgung, und zu Execution dieſer Ord-

niſſime Archiducheſſe Marie Joſephe, née Princeſſe Royale d'Hongrie, de Boheme & des deux Siciles, a preſent Epouſe du Sereniſſime Prince Royal de Pologne & Electoral de Saxe, a non ſeulement, avant ſes nôces declaré d'adherer & d'accepter les pactes de famille, le droit de primogeniture déja etabli dans notre Auguſte Maiſon, & le ſusdit Ordre preſcrit pour la ſucceſſion lineale confirmant ſon acceptation par ſon acte de renonciation formelle, & par ſon ſerment, mais Elle l'a auſſi ratifié par ſemblable ſerment, qu'elle a reiteré apres ſon mariage, & avec Elle le Sereniſſime Roy de Pologne, Grand Duc de Lithuanie, Electeur de Saxe ſon Beau-Pere, comme auſſi le Sereniſſime Prince Royal & Electoral ſon Mari ont reconnu, & ſe ſont obligés, par ſerment ſolennel en termes formelles, d'obſerver le dit droit de Primogeniture & le ſusdit Ordre de ſucceſſion; C'eſt auſſi en conformité des dites diſpoſitions que dans le meme par une declaration & ſtipulation egalement ſolennelle, il à été reſervé à cette Sereniſſime Archi-Ducheſſe & a ſes Deſcendans de l'un & de l'autre ſexe leur droit de ſucceder aux Royaumes de ſes Ayeux, & aux Provinces Autrichiennes ſelon l'ordre de la naiſſance & la regle

etablie,

nung hat die Durchl. Ertz-Hertzogin Maria Joſepha, gebohrne Königl. Printzeßin von Ungarn, Böhmen und beeden Sicilien, jetzige Gemahlin des Durchl. Königl. Pohln. und Chur-Sächſiſ. Printzens nicht allein vor ihrem Beylager ſich erkläret, die Pacta Familiae, das in Unſerm Durchl. Hauſe bereits errichtete Recht der Erſtgeburth und oberwehnte vorgeſchriebene Ordnung wegen der Lineal Succeſſion anzunehmen, und ſolchen beyzupflichten, da Sie ihre Einwilligung durch eine förmliche Renunciations-Acte und mit einem Jurament beſtätiget, ſondern Sie hat ſolches auch durch ein gleichmäßiges Jurament, welches Sie nach ihrer Heyrath wiederhohlet, ratificirt, und mit Derſelben haben ſolches der Durchl. König von Pohlen, Groß-Hertzog von Litthauen, und Churfürſt zu Sachſen, Ihr Schwieger-Vater, wie auch der Durchl. Königl. und Chur-Printz, Ihr Gemahl, erkennet, und ſich durch ein ſolennes Jurament in förmlichen Terminis verbindlich gemacht, daß Sie ſolches Recht der Erſtgeburth und vorgedachte Succeſſions-Ordnung beobachten wollen; Gleichergeſtalt und in Conformität dieſer Verordnung, iſt dieſer Durchl. Ertz-Hertzogin und ihren Kindern beyderley Geſchlechts, durch eine ebenmäßige ſolenne Declaration und Verſprechung Ihr Recht der Erb-Folge in denen Königreichen Ihrer Vor-Eltern und Oeſterreichiſchen Provinzien nach Ordnung der Geburth und der er-

etablie, arrivant le defaut des Archiducs, ce qu'a Dieu ne plaiſe jamais. La meme choſe a été obſervée enſuite avec la Sereniſſime Archi-Ducheſſe, Marie Amelie, née Princeſſe Royale d'Hongrie, de Boheme & des deux Siciles, Epouſe du Sereniſſime Prince Electoral de Baviere, laquelle a pareillement avant ſes nôces declaré d'adherer & d'accepter les pactes de famille, le droit de primogeniture déja etabli dans notre Auguſte Maiſon & le ſusdit ordre preſcrit pour la ſucceſſion lineale confirmant ſon acceptation par ſon acte de renonciation formelle & par ſon ſerment, l'ayant de même ratifié par ſemblable ſerment, qu'Elle a reiteré apres ſon mariage & avec Elle le Sereniſſime Electeur de Baviere ſon beau Pere, comme auſſi le Sereniſſime Prince Electoral ſon Mari ont reconnu & ſe ſont obligés, par ſerment ſolennel en termes formels d'obſerver le dit droit de Primogeniture & le ſusdit Ordre de ſucceſſion, en conſequence des predites diſpoſitions par une declaration et ſtipulation pareillement ſolennelles; il a été dans le meme tems reſervé a cette Sereniſſime Archi-Ducheſſe & a ſes deſcendans de l'un & de l'autre ſexe leur droit de *ſucceder aux Royaumes* de ſes Ayeux & aux Provinces Autrichiennes, ſelon l'ordre de la naiſſance & la

regle

errichteten Norm vorbehalten worden, wann der Fall ſich begåbe, daß keine Ertz-Hertzoge mehr vorhanden wåren, welches doch GOtt beſtåndig verhůten wolle! Eben dieſes iſt auch ferner alſo gehalten worden, mit der Durchl. Ertz-Hertzogin, Marien Amalien, gebohrner Printzeßin von Hungarn, Bőhmen, und beeder Sicilien, der Gemahlin des Durchl. Chur-Printzens von Bäyern, welche gleichfalls vor Ihrer Vermåhlung ſich erklåret hat, die Pacta Familiae, das bereits in Unſerm Durchl. Hauſe errichtete Erſtgeburths Recht, und obgemeldte vorgeſchriebene Ordnung wegen der Lineal-Succeſſion anzunehmen, und dabey zu beharren, maſſen Sie dann auch ſolche Ihre Einwilligung durch ihre főrmliche Renunciations-Acte und Jurament bekråfftiget, auch nach dem Beylager ratificirt hat, ingleichen haben der Durchl. Churfůrſt von Bayern, Ihr Schwieger-Vater, wie auch der Durchl. Chur-Printz, Ihr Gemahl, ſolches angenommen, und ſich durch ſolennen Eyd in ausdrůcklichen Terminis verbunden, daß Sie beſagtes Recht der Erſtgeburth, und vorbemeldte Succeſſions-Ordnung, folglich vorgedachte Verordnung halten wolten, und ſolches durch eine gleichmåßige ſolenne Declaration und Verſprechung zugeſaget; Und iſt zu gleicher Zeit dieſer Durchl. Ertz-Hertzogin, und Ihren Nachkommen beederley Geſchlechts Ihr Succeſſions-Recht in denen Kőnigreichen Ihrer Vor-

 Eltern

regle etablie, arrivant *le defaut d'Archiducs*, ce qu'a Dieu ne plaiſe. Et conſiderant qu'il eſt tres important pour la ſeureté, repos & tranquillité de nos Provinces Hereditaires, que Nous poſſedons dans les Pais bas, que ledit ordre & regle de ſucceſſion indiviſible de tous nos Royaûmes & Provinces Hereditaires ſituées tant au dedans qu'au dehors de l'Allemagne, & le dit droit de Primogeniture etabli dans notre Auguſte Maiſon ſoient reçus, introduits, etablis & promulgués dans nos dites Provinces de Pais-bas, pour ſanction pragmatique & Loy perpetuelle & irrevocable & que pour l'introduction de cette nouvelle Loy ſoit dérogé a celle touchant la ſucceſſion du Prince des dites Provinces etablie dans nos Pais-bas par l'Empereur Charles Quint, d'eternelle memoire, notre Predeceſſeur, par ſa pragmatiqne ſanction du 4 Novembre 1549. reçuë, par chacun de leurs Etats dans leurs aſſemblées & juſques a preſent y reſtée en vigueur, & a toutes coutumes de nos dites provinces pour autant ſeulement, que les dites ſanction & coutumes ne ſeroient pas conformes aux ſusdits Ordre & regle de ſucceſſion, les quelles en tous autres cas ſeront entretenües & obſervées comme du paſſé. Nous avons fait communiquer & propoſer ce que deſ-

ſus

Eltern und Oeſterreichiſchen Provinzien nach Ordnung der Geburth und errichteten Norm vorbehalten worden, auf den Fall, wenn keine Ertz-Hertzoge vorhanden, welches doch GOtt verhüten wolle! Wir haben erwogen, wie der Sicherheit, dem Frieden und Ruheſtand Unſerer Erb-Lande, welche wir in denen Nieder-Landen beſitzen, höchſt daran gelegen, daß beſagte Ordnung und unzertrennliche Succeſſions-Regul wegen aller Unſerer Königreiche ſo in- als auſſerhalb Teutſchland gelegenen Erb-Lande nebſt beſagtem in Unſerm Durchl. Hauſe errichteten Erſtgeburths-Recht aufgenommen, eingeführet, beſtätiget, und in Unſern Niederländiſchen Provinzien als eine Pragmatiſche Sanction und beſtändiges unwiederrufliches Geſetz bekannt gemacht, und daß durch Einführung dieſes neuen Geſetzes, die wegen der Fürſtl. Erb-Folge in beſagtem Unſern Niederlanden durch Käyſer Carl den V. Unſern Vorfahrer, ewigen Gedächtniß, errichtete Pragmatiſche Sanction vom 4. Novembr. 1549. welche von jedem Staat in ihren Verſammlungen angenommen, und biß ietzo in ihrer Krafft verblieben, aufgehoben werde, auch, daß alle Gewohnheiten vorbeſagter Unſerer Provintzien nur in ſo weit, als ſelbige beſagte Sanction und Gewohnheit vorgemeldter Ordnung und Succeſſions-Norm entgegen lauffen, abgeſchaffet werden, welche ſonſt in allen andern Fällen ſollen als vergangen gehalten und beobachtet werden. Wir haben das obige-

ſus aux Etats reſpectifs de nos Provinces des dits Pais - bas, afin qu'ils vouluſſent ſe conformer a cette Pragmatique Sanction, Edit perpetuel & Reglement de ſucceſſion indiviſible & tous les Etats, ayant ſur ce meurement deliberé dans leurs reſpectives Aſſemblées & ſpecialement reflechi au bien & a l'avantage, qui en reviendront a nos bons & fideles Sujets, ils s'y ſont unanimement & volontairement conformés, & ont, en tout reſpect & ſoumiſſion & avec une extreme reconnoiſſance, accepté la ſusdite Pragmatique Sanction, Loy perpetuelle, Réglement de ſucceſſion & union indiviſible de tous nos Etats, tant au dehors qu'au dedans de l'Allemagne, en Loy perpetuelle & irrevocable pour autant qu'elle regarde le reglement a la Seigneurie & Souveraineté de chacune des dites Provinces, & l'union indiviſible de tous nos Pais & Etats Hereditaires, conſentant de plus a la derogation de la ſanction pragmatique, etablie au mois de Novembre 1549 par feu l'Empereur Charles Cinquiéme, de glorieuſe memoire en tant qu'elle n'eſt pas conforme a nôtre ſusdite ſanction pragmatique, concernant la ſucceſſion a la ſouveraineté des dits Pais - bas, & nous ont ſupplié tres inſtamment, de faire publier notre dite pragmatique ſanction & Edit perpetuel, afin qu'il ſoit par tous Nos Royaumes, Provinces & Etats Hereditaires a toujours obſervé en Loy irrevocable & inalterable, ainſi qu'il en conſte

par

ge denen Ständen Unſerer beſagten Niederländiſchen Provinzien communiciren und vortragen laſſen, damit dieſelbe dieſer Pragmatiſchen Sanction, beſtändigem Edict und unzertrennlichen Succeſſions-Ordnung beytreten möchten; Und nachdem alle Stände nach reiffer Uberlegung in Ihren Verſammlungen und beſonderer Erwegung des Beſten und Nutzens, welcher Unſern lieben und getreuen Unterthanen daher zuflieſſen möchten, darinnen einſtimmig und freywillig conſentiret, haben dieſelbe obbeſagte pragmatiſche Sanction, beſtändige Conſtitution, Succeſſions-Ordnung, und unzertrennlichen Vereinigung aller Unſerer Lande ſo wohl auſſerhalb als innerhalb Teutſchlandes, als ein beſtändiges unwiederrufliches Geſetz, ſo weit ſolches die Ordnung der Erb-Folge in der Herrſchafft und Souverainität jeder beſagter Provinzien, und unzertrennliche Zuſammenhaltung aller unſerer Staaten und Erb-Lande betrifft, mit allem Reſpect und Submiſſion, auch beſonderer Dancknehmigkeit angenommen, und über dieſes bewilliget, daß die Sanctio Pragmatica, welche im Monat Novembr. 1549. durch weyl. Käyſer Carl den V. glorwürdigſten Gedächtniß errichtet worden, in ſo ferne ſolche Unſerer obbemeldten Pragmatiſchen Sanction, die Erb-Folge zu der Souverainität in ermeldten Niederlanden betreffend, nicht gemäß iſt, aufgehoben ſeyn ſolle; dabey Sie Uns allerangelegentlichſt gebethen, vorbemeldte

Unſere

par les actes de chaque des dites Provinces, qu'ils Nous ont produits & delivrés. Nous, a grande & méure deliberation, à l'avis de notre Plenipotentiaire au Gouvernement d'iceux, de notre Lieutenant, Gouverneur & Capitaine General de nos dits Pais, & oui ſur le tout notre Conſeil ſuprême etabli chez notre perſonne royale pour les affaires des mêmes Pais avons, conformement a l'acceptation en faite par les dits Etats des Provinces de nos Pais - bas & a leur requiſition, de notre certaine ſcience, autorité & puiſſance abſoluë, qui Nous compete ou competer peut comme ſouverain Prince & Seigneur des dits Pais ordonné, ſtatué & decreté, ordonnons, ſtatuons & decretons par ces preſentes la ſusdite pragmatique Sanction, Reglement de ſucceſſion & union indiviſible, de tous nos Etats, tant au dehors qu'au dedans de l'Allemagne, en Loy perpetuelle & irrevocable dans nos dits Pais - bas, & qu'en conſequence d'icelles la ſucceſſion de toutes

nos

Unſere Pragmatiſche Sanction und beſtändiges Edict publiciren zu laſſen, damit ſolches durch alle Unſere Königreiche, Provinzien, und Erb-Lande als ein unwiederrufliches und unveränderliches Geſetz vor beſtändig beobachtet werde, und damit man auch davon bey denen Acten jeder beſagter Provinz, welche Sie Uns vorgezeigt und ausgelieffert haben, Nachricht haben möchte. Wir haben dannenhero auf viele und reiffe Uberlegung nach Beyrath Unſers in denen Niederlanden verordneten Staats-Raths, Unſers Gevollmächtigten bey dem Gouvernement daſelbſt, Unſers Lieutenants, Gouverneurs und General-Capitains beſagter Unſerer Lande, und über dieſes nach Vernehmung Unſers wegen derer Geſchäffte dieſer Lande vor Unſere Königl. Perſon beſtellten Obriſten Raths-Collegii, in Abſicht der geſchehenen Einwilligung bemeldter Staaten Unſerer Niederländiſchen Provinzien auf Ihr Anſuchen nach Unſerm beſten Wiſſen, Autorität, und abſoluten Gewalt, welche uns als ſouverainen Printzen und Herrn beſagter Niederlande zuſtehet, oder zuſtehen mag, geordnet, geſetzet und geſchloſſen, verordnen, ſetzen und beſchlieſſen, auch Krafft dieſes, daß nur bemeldte pragmatiſche Sanction, Succeſſions-Ordnung und untheilbare Vereinigung aller Unſerer Staaten, ſo wohl auſſerhalb als innerhalb Teutſchlands als ein beſtändiges, unwie-

nos Provinces hereditaires de nos dits Pais, *en une maſſe & indiviſiblement*, échoira dorenavant, ſelon le dit droit de primogeniture & ordre de ſucceſſion lineale, & reſtera à nos deſcendans Mâles tant qu'il y en aura aucun: & *au defaut de ceux ci*, que Dieu ne veuille, aux Archiducheſſes nos Filles, toujours ſuivant l'Ordre & droit de primogeniture, ſans le pouvoir jamais partager; & qu'au defaut de tout Heretier legitime de l'un ou l'autre Sexe, deſcendans de Nous le droit d'heritier de toutes nos dites Provinces échoira aux Princeſſes Filles de nôtre Frere l'Empereur Joſeph de glorieuſe memoire, & a leurs deſcendans, de l'un & de l'autre Sexe, ſelon le dit droit de Primogeniture; & qu'arrivant l'extinction de ces deux lignes, ce Droit hereditaire ſera entierement reſervé aux Princeſſes nos Sœurs & leurs deſcendans legitimes de l'un & de l'autre Sexe; & ſucceſſivement à toutes les autres lignes de l'Auguſte Maiſon, a chacune ſelon le Droit de Primogeniture & ſuivant le rang qui en reſultera, & ce non obſtant le reglement & ancienne Loy, touchant la ſucceſſion de Prince des dits Pais-bas, etablie dans les dits Pais par la pragmatique San-

ction

wiederrufliches Geſetz, in beſagten Unſern Niederlanden ſeyn ſolle, und daß folglich die Succeſſion aller Unſerer erblichen Provinzien nach beſagtem Recht der Erſtgeburth und Lineal-Succeſſions-Ordnung, auf Unſere männliche Nachkommen, ſo lang derſelben einer noch vorhanden, hinkünfftig fallen, und denenſelben bleiben ſollen; und in Ermangelung des männl. Stammes, welches doch GOtt verhüte, auf die Ertz-Hertzoginnen, Unſere Töchter, iederzeit nach Anleitung der Ordnung des Rechts der Erſtgeburth, und daß ſolche Lande niemahls ſollen vertheilet werden; Und bey Abmangel aller von uns abſtammenden rechtmäßigen Erben beyderley Geſchlechts, ſoll das Erb-Recht aller beſagten Unſerer Provinzien auf Unſers Bruders, Käyſers Joſephs glorwürdigſten Gedächtniß Printzeßinnen Töchter und Ihre Nachkommen, beyderley Geſchlechts, nach dem Recht der Erſtgeburth verfallen. Und wann ſichs begäbe, daß beyde Linien abgiengen, ſoll dieſes Erbſchaffts-Recht denen Printzeßinnen Unſern Schweſtern, und ihren rechtmäßigen Deſcendenten, beyderley Geſchlechts, und nach und nach auf alle andere Linien Unſers Durchl. Hauſes, jedes nach dem Recht der Erſtgeburth, und nach der ſich daraus ergebenden Ordnung, gäntzlich vorbehalten ſeyn; ungeachtet des Reglements und alten Geſetzes, die Fürſtl. Erb-Folge

ction de l'Empereur Charles Cinquiéme du quatriéme Novembre quinze cens quarante neuf, & toutes coutumes d'aucunes de nos dites Provinces auxquelles, pour les cauſes & conſiderations ſusdites avons de notre dite autorité & pleine Puiſſance derogé & derogeons, en ce que la ſusdite Sanction & Coutumes ne ſeroient conformes à notre preſente diſpoſition, voulant qu'en tous autres cas elles demeurent en leur force & vigueur & ſoient entretenuës & obſervées.

Si donnons en mandement à notre dit Conſeil d'Etat etablie dans nos Païs-bas, Preſident & gens de notre grand Conſeil, Chancelier & Gens de notre Conſeil de Brabant, Gouverneur, Preſident & Gens de notre Conſeil a Luxembourg, Chancelier & Gens de notre Conſeil en Gueldres, Gouverneur à Limbourg, Faulguemont & Daelhem & d'autres nos Païs d'outre - Meuſe, Preſident & Gens de notre Conſeil en Flandres, Grand Bailly, Preſident & Gens de notre Conſeil en Haynaut, Gouverneur, Preſident & Gens de notre Conſeil de Namur, Bailly de Tournay & du Tourneſis, Preſidents

& Gens

in beſagten Niederlanden betreffend, welches vom Kayſer Carl dem V. den 4. Nov. 1549. durch eine Pragmatiſche Sanction in beſagten Landen errichtet worden, und ungeachtet aller Gewohnheiten beſagter Unſerer Provinzien, welche Wir wegen oberzehlter Urſachen und Conſiderationen aus völliger Macht und Gewalt aufgehoben haben, und hiermit aufheben, in demjenigen nehmlich, wo vorgemeldte Sanction und Gewohnheiten dieſer Unſerer gegenwärtigen Verordnung nicht gemäß ſeyn, wollen aber, daß ſolche in allen andern Fällen ihre Krafft behalten, und beobachtet werden ſolle.

Befehlen alſo beſagten Unſern in unſern Niederlanden verordneten Staats-Conſeil, Præſidenten, und Unſerm groſſen Rath, Cantzlern, und Unſern Räthen von Braband, Gouverneur, Præſident, und Unſern Räthen zu Luxenburg, Cantzlern, und Unſern Räthen in Geldern, Gouverneur zu Limburg, Falckenberg und Dalhein, auch andern Unſern Landen über der Maaß, Præſident und Unſern Räthen in Flandern, Obriſten Land-Voigt, Præſidenten und Unſerm Rath im Hennegau, Gouverneur, Præſidenten, und Unſerm Rath zu Namur, Land-Voigt zu Tournay und Tourneſis, Præſidenten und Rent-Cammer zu Mecheln, und allen Unſern Juſtitiariis, Dienern, Vaſallen und Un-

& Gens de nos Chambres des comptes ecoutettes de Malines & a tous autres nos Juſticiers, Serviteurs, Vaſſaux & Sujets, preſens & à venir & chacun d'eux en ſon regard, que cette notre preſente ordonnance Statut, Decret & Sanction pragmatique ils retiennent & obſervent & faſſent retenir & obſerver inviolablement & a toujours pour Loy perpetuelle & irrevocable en procedant par ce de nos Cours ſouveraines & des dits de nos comptes à l'enterinement de ces dites preſentes, & les faiſant enregiſtrer pour l'entier accompliſſement d'icelles au tems a venir: Voulant & ordonnant en outre, qu'au Vidimus des dites preſentes, depeché par un de nos Secretaires d'Etat, pleine & entiere foy ſoit ajoutée par tout, ou il en aura beſoin. Car ainſi Nous plait il. Et enfin que ce ſoit *choſe ferme & ſtable* à toujours, Nous avons ſignè ces dites preſentes de notre main & a icelles fait mettre notre grand Seel. Donné en notre ville & Reſidence Imperiale de Vienne en Autriche, le ſixieme jour du mois de Decembre, l'an de grace mil ſept cens vingt

qua-

terthanen, jeżo und künfftig, und iedem Derſelben, ſo viel ihn betrifft, daß ſie unſere gegenwärtige Verordnung, Conſtitution, Decret und pragmatiſche Sanction halten und befolgen, auch als ein beſtändiges unwiederrufliches Geſeż unverbrüchlich halten und beobachten laſſen, bey Unſern ſouverainen Gerichten und Rent-Cammern darnach verfahren, und ſelbige zu deren künfftiger gäntzlichen Erfüllung einregiſtriren laſſen: Uber dieſes wollen und befehlen Wir, daß einem von Unſern Staats-Secretairen gefertigtem Vidimus durchgängig, wo man deſſen nöthig haben wird, völliger Glaube beygemeſſen werden ſoll. Denn das iſt Unſer Will und Meynung: und damit dieſe Sache vor allezeit feſt und beſtändig ſey, haben Wir gegenwärtiges eigenhändig unterſchrieben, und Unſer groſſes Inſiegel beyfügen laſſen. Gegeben in Unſerer Käyſerl. Stadt und Reſidenz zu Wien in Oeſterreich, den 6. Tag Monaths Decembr. im Gnaden-Jahr 1724. Unſerer Reiche des Römiſchen im Dreyzehenden, des Spaniſchen im zwey und zwanzigſten,

quatre & de nos Regnes, de l'Empire Romain le treizième, d'Eſpagne le vingt - deuxieme, & d'Hongrie & de Boheme auſſi le treizieme.

CHARLES

Prince de Cordonna Ps. Vt.

(L. S.)

Par ordonnance de Sa Majeſté

A. F. de Kurz.

zigſten, des Hungariſchen und Böhmiſchen ebenfalls im Dreyzehenden Jahr.

Carl

Fürſt von Cordonna Ps. Vt.

(L. S.)

Auf Ihro Maj. Befehl
A. F. von Kurtz.

MEDI-

Digitized by Google

MEDITATIO
AD
SANCTIONEM PRAGMATICAM.

§. I.

Quando Sanctio pragmatica ſtabilita?

SI qua res magno in motu fuit: eſt certe illa *Sanctio Pragmatica*, quam IMPERATOR ROMANORVM HODIE GLORIOSISSIME REGNANS CAROLVS VI. de ſuccedendi in *Sereniſſima Domo Auſtriaca* ordine, in forma perpetui indiuiſibilis fideicommiſſi, primogenitura affecti, pro vniuerſis vtriusque ſexus hæredibus, inſtrumento ſolenni anno MDCCXIII. declarauit ac ſtabiliuit.

§. 2.

An Sanctionem Imperator conſtituere potuerit eiusque Guarantia contra quoscunque ſuſcipi?

Illi qui nouos motus conuerſionesque Imperii Germanici quærunt, vehementer omni ſtudio atque opera elaborarunt, vt in eam ſententiam Status Europæ ac præcipue Imperii traducant, quod SVA MAIESTAS CÆSAREA, qua Princeps terrarum, quas in SVA poteſtate tenet, non habeat eius generis Sanctionem proprio motu dandi facultatem, quodque, ob eam cauſam, huius *Sanctionis* ſponſio ac euictio, ſeu, vti vulgo vocant, *Guarantia* ſuſcipi ab Imperio, quamuis plurimi Status ſuffragati fuerint, nullo iure, multo minus contra quoscunque præſtari, queat.

§. 3.

Ex quibus iuribus dubia ſoluenda.

Quo maioris momenti negotium hoc ducendum, eo magis operæ pretium eſt, vt docti homines atque in primis eruditi in arcem huius cauſæ inuadant ac perquirant, quid tandem habeat argumenti aut rationis res, quamobrem poteſtati IMPERATORIS vindicanda facultas ſit ſanciendi de eius generis ordine ſuccedendi, qui in *Sanctione* continetur? et ex qua ratione *Sanctionis Guarantia* ab Imperio

perio iure ſuſcepta ſit, in eamque præſtandam contra quoscunque obligati Status omnes, quamuis tantum plurima pars Ipſorum in *Guarantiam* conſenſerit? Ac quoniam ad huius materiæ disquiſitionem intereſt adeſſe argumenta ex fontibus iuris gentium, publici vniuerſalis, nec non Germanici ac præcipue domeſtici terrarum Auſtriacarum hæreditariarum, hauſta: ea quoque expendere illum oportet, qui commentari cogitat de iure AVGVSTISSIMI IMPERATORIS diſponendi de ordine ſuccedendi in terras hæreditario iure *ad Ipſum* ſpectantes. Ex quo deinde, quid de huius ſucceſſionis ordinis *Guarantia* generali contra quoscunque præſtanda, deque Concluſo Imperii, pluralitate ſuffragiorum in hac cauſa confecto, ſentiendum, ſponte ſua conſequetur.

§. 4.

Quibus iuris principiis Auctor in hac meditatione vtatur?

Quantum ego quidem, auxiliantibus modo dictis principiis, meditando aſſequi poſſim in hac, omnium ſermone celebrata, cauſa, periculum faciam. Ante vero, quam rem ipſam aggrediar, generatim, quidnam *Sanctio Pragmatica* ſit, ac quisnam ius ſanciendi de ordine ſuccedendi in rectio-

nem terrarum hæreditariarum habeat, indagandum mihi ſumo?

§. 5.

Quid Sanctio Pragmatica?

Sanctio Pragmatica in iure publico nihil aliud fere ſignificare ſolet, quam ſpeciem legis publicæ (§. 69.), in qua potiſſimum præcipua quædam iura Imperantis continentur (eodem et §. 23.). Quo cum ſignificatu congruit præter hanc, de qua iam diſſerimus, *Sanctionem Pragmaticam*, etiam illa CAROLI V. de *iure et ordine ſuccedendi in Belgium*, nec non *illa Gallicana de iure creandi Epiſcopos* ac aliæ plures.

§. 6.

Quis Sanctiones ferre queat? An et Imperator tam intuitu Imperii quam terrarum hæreditariarum?

Quandoquidem Sanctiones, prout ego eas definiui, in numero legum publicarum collocandæ ſunt: facili negotio concipi poteſt, quod ille, qui habet leges publicas ferendi facultatem, habeat etiam ius Sanctiones Pragmaticas ponendi. Nunc Imperantes omnes, ob ius, quod penes ipſos eſt, gubernandi Rempublicam (§. 25.), ſtatum reipublicæ publicum præceptis, hoc eſt dicere, legibus publicis, ordinare queunt (§. 43.); quapropter nihil impe-

pe-

pedit, quo minus illis ius, *Sanctiones Pragmaticas* perferendi, aſſeramus. Ac cum IMPERATOR ROMANORVM CAPVT IMPERII, in ipſis legibus Imperii publicis, nuncupatur; Caput reipubl. vero Imperantem ſignat, cuius poteſtas ciuilis terminis circumdata eſt (§. 23.): IMPERATOR quoque reſpectu Imperii Imperans, non merus Adminiſtrator, habendus (§. 78.), ob eamque cauſam, etiam Sanctiones Pragmaticas Imperium reſpicientes dare, ſed, ob *artic. 8. §. 2. Inſtr. P.* comitiali conſenſu, poteſt. Ratione terrarum hæreditariarum vero, quod penes Imperatorem ſolum ea poteſtas Sanctiones ſtabiliendi ſit, ex eo, quod earum non habendus Caput ſolum, ſed Imperans, cuius poteſtas ciuilis non, vti in Imperio, circumſcripta eſt, pateſcit.

§. 7.

Nonnullæ quæſtiones de Sanctione pertractanda.

Adhuc incertum aliquis habere poſſet: quibusnam de rebus, ad iura ſumma ſpectantibus, Principi liceat per *Sanctiones Pragmaticas* diſponere? ac quidem: num eius generis *Sanctio*, vt CAROLINA, lex immutabilis et perpetua eſſe haberique poſſit aut debeat? porro, in Principisne poteſtate ſit inſtituere *Sanctione Pragmatica* immu-

mutabilem ſuccedendi ordinem? Quod Princeps de omnibus iis rebus, quæ ad conſeruationem et ſalutem reipubl. ſpectant, decernere legibus, aut alio quouis modo, queat, id ex Principis iure gubernandi rempubl. ſat planum traditur (§. 28. et 85.). Reipubl. enim gubernatio non poteſt eſſe ſine illius conſeruatione, quæ, quando cum ſtatu felici Reip. coniuncta, non poteſt non etiam cum ſalute publica connexa eſſe (§. 85.). Proinde nec quisquam in dubium vocabit, quod quilibet Princeps, ob ius regendi rempublicam (§. 25.), etiam iure *Sanctionem Pragmaticam* conſtituendi eam, quæ conſeruationi ſalutique reipubl. conducit, polleat.

§. 8.

Cur Sanctio Carolina lex perpetua et immutabilis?

Atque vero cum ob id, quod ſalus publica, atque ita multo magis conſeruatio reipubl. ſuprema (§. 167.), id eſt, ſemper obſeruanda (§. 86.) lex: manifeſtum eſt, quod etiam lex publica omnis et ex conſequenti quoque ea *Sanctio Pragmatica*, quæ conſeruationem et ſalutem publicam reſpicit, perpetuo et immutabiliter conſeruanda ſit. Atque hæc cauſa etiam eſt, præter eam, quæ in ipſo conceptu Sanctionis (§. 69.) formato con-

continetur, cur *Sanctio Carolina*, vt lex perpetua et immutabilis, in *Sereniſſima Domo Auſtriaca* haberi poſſit et debeat; quippe quæ nihil niſi conſeruationem indiuiduam terrarum hæreditariarum vult.

§. 9.

Dubium contra Sanctionem Carolinam, an Reip. iuſta ſit?

Sed quæret tamen aliquis: an *Sanctio pragmatica* de modo ſucceſſionis ſecundum ordinem primogenituræ ad talem publicam legem referenda, quæ iuſta ſit? et an itaque Imperatori Romanorum liceat, ratione ordinis ſuccedendi in terras hæreditarias, quid quam introducere, ad quod ſeruandum ſucceſſores omnes obligati?

§. 10.

Huius dubii reſolutio.

Non nego, quod Princeps in ordine ſuccedendi, inuitis iis, quorum intereſt, nec quidquam diſponere poſſit; propterea quod iniuria tali diſpoſitione fieret, ſi, inuitis ius quæſitum habentibus, ſucceſſio ordinaretur (§. 210.). Verum, ſi eius generis ordo ſuccedendi introducatur, ope cuius tantum Primogenitus aut Primogenita ſuccedat, terræque indiuiduæ permaneant et nemini tamen contra ipſius

voluntatem quidquam accidat, aut ius auferatur: tunc omnino veriſſima fronte dici poteſt, quod eius generis diſpoſitio iuſta ſit, quippe qua terræ in ſtatu ſuo indiuiduo integre conſeruantur. Quodcunque vero rempublicam conſeruat et feliciorem reddit, iſtud agere Princeps iuſte poteſt (§. 28. et 85.); ideoque IMPERATORI cauſa ſucceſſionis ſubiecta ordinemque adeo ſucceſſionis declarare ſanctione IPSI ius fasque fuit.

§. 11.

Ratione Grotii infirmatur, quod cauſſa ſucceſſionis non ſit ſub iure imperii Regis regnantis.

Equidem nobis contradicere videtur GROTIVS de I. B. et P. lib. 2. c. 7. §. 27. vbi ait: *Eſt autem cauſa ſucceſſionis non ſubiecta Regi nunc regnanti, quod inde apparet, quod Rex nunc regnans nulla lege obligare poteſt ſucceſſorem.* Sed hæc ratio eſt nec adæquata nec ſtringens cauſam ſucceſſionis non eſſe ſubiectam Regi, quia nulla lege obligare poſſit ſucceſſorem. Demonſtratione ad abſurdum iſtud ita euinci poſſe cenſeo: Succeſſores non ſunt obligati ad leges retinendas, quas anteceſſor tulit, ſed easdem mutare poſſunt et tollere (§. 44. et 45.); ergo ſecundum ratiocinationem GROTII ius legum ferendarum ge-

ne-

neratim non pertinet ad iura Regis regnantis aut ad iura imperii, quod tamen demonſtraui §. 43. Hinc a veritate deuium, cauſam ſucceſſionis non ſubiectam Regi regnanti eſſe.

§. 12.

Quo ſenſu ſucceſſio non eſt ſub iure Imperii.

Hoc quidem verum eſt profecto, quod Princeps de ordine ſuccedendi diſponere in fauorem extranei non queat (§. 200.), niſi ratio reipubl. id permittat (§. 207.), aut conſenſus eorum, quorum intereſt, accedat (§. 201.). Ordinare enim ſucceſſionem ſine his requiſitis eſt regnum alienare (§. 200.); quod non cadit ſub iura imperii ordinario iure (eodem), ideoque recte ait GROTIVS eodem loco: Succeſſio imperii non eſt ſub iure imperii.

§. 13.

Imperator iuſte potuit de ordine ſuccedendi Sanctione diſponere, et quare ſucceſſores eam ſeruare obligati?

Verum *Sanctio Pragmatica* CAROLINA non diſponit in fauorem extranei, ſed declarat *Primogenitam Prolem* terrarum hæreditariarum Hæredem; ac quidem pro eo, ac permittit natura fundamentalis terrarum hæreditariarum omnium, quæ iam ſub poteſtate IMPERATORIS ſunt aut impoſterum in

Domum Auſtriacam inferri poſſunt vi conſtitutionis CAROLI V. *von Gerechtigkeit des Hauſes Oeſterreich* in Comitiis Wormatienſibus anno 1522. datæ n. 46. neque etiam deeſt conſenſus eorum, quorum intereſſe poteſt. Quare MAIESTAS CÆSAREA iuſte potuit Sanctione de ordine ſuccedendi diſponere et ſucceſſores obligare. Hoc quidem concedo et largior, quod ſucceſſores non ſint obligati ex lege proprie ſic dicta (§. 47.), ſed tamen ex pacto, quo ſucceſſores perfecte obligari et ipſe GROTIVS Lib. 2. cap. 14. §. 11. confitetur et ego §. 228. argumentis euici euidentibus. Namque Cognati renunciarunt, vt cuique notum eſt, ſucceſſioni Auſtriacæ; renunciationes vero pacta habentur ob eamque cauſam obligationem operantur in renunciantibus eorumque ſucceſſoribus (§. 220.); vti generatim omnia facta obligatoria prædeceſſorum ſucceſſores præſtanda habent (§. 228.). Atque vero cum iuris naturæ ſit ſtare perpetuo pactis: et Renunciantes et Succeſſores Renunciantium ſeruare ordinem ſuccedendi ſanctione ſtabilitum in perpetuum tenentur et ex conſequenti nullo iure hunc ordinem ſuccedendi mutare aut tollere queunt, adeoque nec iure imperii. Potius igitur pro nobis, quam contra nos, eſt

the-

theſis Grotiana: ſucceſſionem imperii non eſſe ſub iure imperii; dum ex iis, quæ modo diximus, conſequitur, ſanctionem non eſſe ſub iure imperii Succeſſorum, adeoque, vt legem perpetuam et immutabilem, quamuis improprie ſic dictam, habendam eſſe, atque ita ius indiuiduitatis et primogenituræ Sanctione ſtabilitum omni tempore futuro ſeruandum a cuiusuis lineæ Succeſſoribus. Generatim enim omnis generis Succeſſores facta prædeceſſorum præſtanda habent (§. 228.). Quod argumentum itaque recte accommodatum eſt ad cuiusuis lineæ Succeſſores renunciantium in cauſa Guarantiæ, ab Auctore *der Erörterung der hochwichtigen Frage: Ob nemlich ein unter Königlichen Chur- und Fürſtl. Perſonen bey ihrer Vermählung auf die Erb-Folge dieſer oder jener Länder in faveur einer andern Linie gethanen ſolennen und eydlichen renunciationen auch eine tacita Garantia oder Gewehr Leiſtung der in ſolcher Linie zuvorderſt feſtgeſtelten ſucceſſionen mit begriffen ſey? dannenhero von den capite et authore eiusdem lineæ deren weitere ausdrückl. Verſicher- und Præſtirung mit Fug prætendiret werden könne? Fabri Staats-Cantzeley Parte 60. pag. 432.*

§. 14.

Ius indiuiduitatis et Primogenitura etiam fœminea in Germania obtinet.

Ac ſi etiam ex his prolatis argumentis a priori probare non poſſem, quod *Sanctio*, ius indiuiduitatis et primogenituræ inſtituens, a Succeſſoribus Domus Auſtriacæ ſeruanda ſit: nihilominus ex conſuetudine Gentium Europæarum planum facere me poſſe puto, quod Principes Europæ potentiores in domibus ſuis terras indiuiduas et primogenituram ſeruent, etiam fœmineam. Præcipue in Principatibus Germanorum ordinem ſuccedendi ſecundum conſuetudinem ita fuiſſe olim, vt proximi agnati ſuccederent, quibus nec exſtantibus, fœminæ admitterentur, ipſi Gallici ICti et hiſtoriarum ſcriptores auctores ſunt; inter quos eſt STEPHANVS PASCHASIVS ICtus et Conſiliarius Regius lib. 2. cap. 16. *des Recherches de la France*, et ANDREAS FAVYNVS aduocatus Regius Pariſienſis lib. 7. *Hiſtor. Nauarr.* fol. 329. Si deſideras exempla, fœminas in Feuda Imperii ſuccedendi ius habere, exemplo tibi Ducatus Luneburgicus poteſt eſſe. In tabulis enim inſtituti Ducatus Brunſuico-Luneburgici anno 1253. quæ ſunt apud MEIBOMIVM *in Opuſculis* Tomo III. p. 207. Imperator profitetur: *concedere ſe ducatum in feudum ad heredes*

ſuos

ſuos filios et filias hereditarie deuoluendum. Ab eodem FRIDERICO Imperatore inter alia priuilegia anno 1245. FRIDERICO Duci Auſtriæ data, hoc reperio: *quod ſi Dux Auſtriæ ſine herede filio deceſſerit, idem Ducatus ad ſeniorem filiam, quam reliquerit, deuoluatur.* Eadem priuilegia ſucceſſionis fœmineæ, ex iure primogenituræ, ratione Ducatus Lotharingiæ et Brabantiæ, a PHILIPPO Cæſare anno 1204. HENRICO conceſſa eſſe, refert PETRVS DIVAEVS *lib. 1. Rerum Brabant. cap. 9. et 13.* Alia exempla huiusmodi ſucceſſionis fœmineæ indiuidualis habet MYLERVS de *Principibus Imperii.* Ex quibus exemplis colligere licet, quod ius indiuiduitatis et primogenituræ in terris Germanicis ex moribus obtinere quoque ſoleat.

§. 15.

De iure Principis cuiusuis terras ſuas indiuiduas conſeruandi, eiusque ratio.

Rationem, cur terræ Principum potius habendæ indiuiduæ, quam diuiduæ, exponit GROTIVS de I. B. et P. lib. 2. cap. 7. §. 14. vbi ait: *præſumitur populus id voluiſſe, quod maxime expedit. Hinc primum illud naſcitur, vt, ni aliud lex aut mos ferat, indiuiduum ſit regnum, quia id ad tuendum regnum* i. e. ex mea ſententia, con-

ſer-

ſeruandum) *plurimum valet.* Eodem Libro et capite §. 13. GROTIVS *in indiuiduitate terrarum, ſi non expreſſum, quis terras indiuiduas accipere ex pluribus debeat, ordinem primogeniture obſeruandum eſſe,* inquit; *Quodſi dictum ſit, ne diuidatur regnum, nec cui cedere debeat, expreſſum ſit, vt quisque natu eſt maximus, mas aut fœmina, regnum habebit.* Iam, ope principii mei iuris publici vniuerſalis (§. 28.), quilibet Princeps, etiam Imperii, habet ius conſeruandi terras ſuas, per inſtrumen. P. W. §pho gaudeant, in quo, *pro ſua cuiusque conſeruatione,* Principi licet exercere iura ad poteſtatem ciuilem ſpectantia. Ergo, et Principes Imperii, et quilibet alius terrarum Rector, habent ius terras ſuas indiuiduas conſeruandi, ac quidem illi non ſolum ex more gentico et iure publico vniuerſali, ſed etiam ex peculiari diſpoſitione Pacis Weſtphalicæ, loco allegato. Ex hoc more gentico Rex Galliæ multas terras, vt indiuiduas, poſſidet, quæ prioribus temporibus diuiduæ fuerunt. Iniquum adeo eſt diuiſionem poſtulare, earum terrarum Auſtriacarum, in quibus olim interdum partitio, ex libera voluntate, ſine vlla obligatione, facta fuit.

§. 16.

§. 16.

Nec vero quiſquam falſam ſibi perſuaſionem induat, hocce principum ius conſeruandi terras ſuas indiuiduas vnum et idem eſſe, atque ius vnionis, quo Galliam vti ſcribit GROTIVS Append. epiſt 738. quod quidem ita deſcribit : *Galli ſibi fingunt iura, quibus aliarum gentium nullæ aſſentiuntur, quale eſt ius, quod vocant, vnionis, ex quo cuncta a Regibus Galliæ ſemel poſſeſſa, etiamſi aliunde eis obuenerint, apud Regem manere debeant, excluſis iis, ad quos alioquin venire debeat hæreditas.* Secundum quam deſcriptionem hoc eſt diſcrimen inter ius indiuiduitatis, quam *Sanctio* CAROLINA vult et vnionis, quod in illo nemo excludatur, ad quem alioqui venire debeat hæreditas.

A iure indiuiduitatis differt ius vnionis Gallicum.

§. 17.

Hocce ius indiuiduitatis locum habere debere in omnibus Imperii Feudis ex eo argumentari præterea licet, quod Feuda Imperii ſint Feuda regalia ; in eius generis Feudis vero, vt ei rei verba ipſa ſunt indicio, Vaſallus regalia exercenda habet, quæ regalia in-

Quod ius indiuiduitatis in omnibus Imperii Feudis regulariter obtineat, vnde probandum.

indiuidua eſſe plurimi iuris et publici et feudalis periti ſtatuunt; et ego, cur idem affirmem, argumenta ex eſſentia Maieſtatis iuriumque Maieſtaticorum deſumere poſſem (§. 202.), quae nunc vero praetereo ac relinquo, quia huius ſententiae, quod Feuda Imperii ordinario iure indiuidua ſint, maxima documenta haec habeo: nempe Conſtitutiones Imperatorum, Obſeruantiam antiquam, teſtimonia hiſtoriae Scriptorum atque ICtorum. Inter Conſtitutiones antiquiores numero 2. feud. 35. et 55. in quibus modo praeceptiuo diſponitur, *ne ducatus, marchia et comitatus de cetero, id eſt, in poſterum diuidantur*: quam Conſtitutionem eſſe vniuerſalem et Germanos obligantem probauit perill. DE LVDOLPH §. 11. part. gen. *de introductione iuris primogenitura*. Obſeruantiam indicat tit. 25. §. 1. Aureae Bullae, cuius verba haec ſunt: *Si ceteros principatus congruit in ſua integritate ſeruari* - - multo magis magnifici principatus, dominia et iura Electorum Principum debent illaeſa ſeruari. Si altius repetere obſeruantiam ex teſtimoniis Scriptorum Rerum Germanicarum volumus: prae aliis, quod a tempore CONRADI primi vsque ad FRIDERICVM primum et vltra vni tantum ex Liberis Cognatis Feuda Imperii ceſſa indiuidue fuerint, adſunt RA-

DE-

DEVICVS *Lib. 2. cap. 7. ad annum 1158.* OTTO FRISINGENSIS *lib. 2. cap. 29. ad annum 1156.* GVNTHERVS *in rebus* FRIDERICI *lib. 8. ſub fine. Ac* P. DE VINEIS *lib. 6. epiſt. 25.* nobis eſt teſtimonio, quod etiam *aetate* FRIDERICI II. *Feuda ab* IMPERATORE *iure Francorum, hoc eſt dicere, Germanorum, Italis conceſſa, talia Feuda ſignificauerint, in quibus iure primogenitura ſucceſſum*, et adeo ius indiuiduitatis obſeruatum, fuit. Quid? quod ſi antiquiſſimis temporibus promiſcue licitum fuiſſet diuidere imperii feuda: non tanquam ſingulare quid prædicari poſſet, quod OTTO I. Imperator Comiti VDONI Harzenſi conceſſiſſet, vt quicquid beneficii aut præfecturarum haberet, quaſi hæreditatem inter filios diuideret: CONT. REGIN. ad A. 949. apud Piſt. p. 77. Et quidem hoc ius primogenituræ et indiuiduitatis in feudis iuris Francici non ſolum quod ad maſculos, ſed etiam quod ad feminas valuit, vt hoc nobis præmonſtrat SCHILT. in *Differt. de Feudis iuris Francici*, SPENER. in *Primitiis Obſeruation. hiſtorico-feudalium* et OTTO in *iure publico cap. 17.* Quid? quod Feuda Imperii Germanici quod ad modum ſuccedendi fere pro bonis allodialibus habeantur, commonſtrat AB ANDLER in *Iurisprudentia publica Lib. II. Tit. X. n. 17.* et ab EYBEN in *Elect. feudal. cap. VII.* §. 4.

§. 18.

Ius primogenituræ et indiuiduitatis in terris Auſtriacis et Sueuicis obtinuit olim, et hodie obtinet.

Certe, inter alios Principatus, in terris Auſtriacis ius primogenituræ et indiuiduitatis ſeculo decimo quarto fuiſſe, ex vetere conſuetudine Principum Imperii, teſtatur *Germanicum Auſtriæ Chronicon*, quod inter PEZII *Scriptores Rerum Auſtriacarum* reperitur, cuius verba ſic ſe habent: Do Hertzog Rudolph ſtarb zu Mailan, waren noch do zwee Brůder Hertzog Albrecht und Hertzog Leupolt. Hertzog Albrecht, **nach der alten Gewohnheit der Fürſten daß der Elter Herzog ſolt herrſchen**, hub an zu reichen in Oeſterreich nach Chriſti Geburt 1365. und richtet all Land löblich auz Oeſterreich, Steyr Chernten, krain, die Windiſchen Marckh, Tyrol und Etſch, Schwaben und Elſaß. Ex quo loco probari poteſt, quod ius indiuiduitatis et primogenituræ non ſolum in Ducatu Auſtriæ olim obtinuerit, (tam ex diſpoſitione FRIDERICI, qui voluit, vt *Ducatus Auſtriæ nullo vnquam tempore diuiſionis alicuius recipiat ſectionem*, quam ex vetere conſuetudine Principum), ſed etiam in omnibus terris, quæ hodie Circulo Auſtriaco continentur: et quod nobis præci-

cipue hic obſeruando notandum eſt, etiam in partibus Sueuiæ ad PRINCIPES AVSTRIÆ pertinentibus. Proinde eadem natura fundamentalis enumeratarum terrarum, quod ad ordinem ſuccedendi, fuit. Ac cum idem ordo ſuccedendi Priuilegio CAROLI V. confirmatus eſt : ex eo cogi puto, quod Priuilegium CAROLI V. ius et ordinem ſucceſſionis reſpiciens, non duntaxat ad Archiducatum Auſtriæ pertineat, ſed extendendum ſit ad omnes reliquas terras Auſtriacas, Circulo Auſtriaco et Sueuico incluſas ; hoc eſt dicere, quod ius indiuiduitatis et primogenituræ locum habeat in Auſtria, Styria, Carinthia, Marchia Vinidorum, Tyroli, Sueuia etc. Itaque AVGVSTISSIMVS IMPERATOR CAROLVS VI. iure, more, exemplo, legem SVAM de iure indiuiduitatis et primogenituræ tulit, quod ad dictas terras, ad Imperii cohærentiam pertinentes.

§. 19.

Auctores diſſentientes, an feuda Imperii diuidua an indiuidua ſint?

Equidem ICti ENGELBRECHT, ANDREAS KNICHENIVS, PAVLVS LANGIVS, CONRINGIVS *aliique Feuda Imperii diuidua eſſe, ob plura exempla diuiſionum factarum, opinantur* ; verum ſi auctoritatibus

ICtorum pugnare volumus, in auxilium, quod *Feuda Imperii individua ſint*, aduocare ego poſſum GOLDASTVM *de Majoratu libr. 2. cap. 17. n. 21.* COTHMANNVM *Vol. 5. conſ. 1. n. 139.* MAVRITIVM, BORCHOLTVM, LVDVVELLVM, KLOCKIVM et plures alios, quorum nomina adferre longum eſt. Ex hodie viuentibus ICtis plurimi huic fauent ſententiæ, ex quibus vnum nominare mihi liceat perill. DNVM DE LVDOLPH libro et loco modo laudato, in cuius nouiſſima editione Faſciculis aliquot exhibentur exempla varia introducti iuris primogenituræ in familiis Principum et Comitum imperii. Quod quoque hodie in Principatibus Imperii, ſi non in omnibus lineis, certe in potioribus, ius individuitatis et primogenituræ vſu obtineat, obſeruat MYLERVS *ab Ehrenbach part. 3. diſſ. 5.* §. 5. pluraque exempla refert PFEFFINGERVS *in Vitriario illuſtrato lib. 3. tit. 10. §. 40. lit.* (a) *porro* §. 42. 43 44. *vsque ad* §. 55.

§. 20.

Cuiuis Statui Imperii licet Primogenituram et indiuiduitatem terra-

Ac quoties non videmus, quod in Domibus Statum imperii ius indiuiduitatis et primogenituræ Confirmatione Imperatoria ſtabiliatur? Quod ſi Status non aliquam facultatem

tatem permiſſiuam ordinandi primogenituram haberent, quis Confirmationem Imperatorum legitimam pronunciaret? quippe Confirmatio primum ponit negotium non prohibitum adeoque permiſſum. (§. 149.) Quod permiſſum iſtud facere aliquis aut intermittere legitime poteſt. Hinc ſtatus Imperii primogenituram ſtabilire aut non ſtabilire poſſunt. Permiſſum autem eſſe Statibus Imperii ordinare ac ſtabilire ſucceſſionem in terris ſuis conſenſu eorum, quorum intereſt (arg. §. 210.), iſtud ex eo colligendum, quod in legibus nullibi valor eiusmodi pactis familiæ adimitur, adeoque per ſe valida habentur, atque ita confirmatio vtilitatis et conſilii gratia adhibetur, quo eo maiorem habeant auctoritatem; qualis ergo confirmatio eſt liberæ voluntatis (§. 149.), æque ac eiusmodi actus, quo per pactum aut terræ diuiduntur aut indiuiduæ conſtituuntur (§. 32.). *rum introducere.*

§. 21.

Ex quo ad *Sereniſſimam Domum Auſtriacam* argumentando concludo hanc concluſionem: ſi aliquæ diuiſiones terrarum Auſtriacarum factæ fuerunt, illas factas eſſe, nec *Id ius indiuiduitatis in terris Auſtriacis non mutat partitio earum*

interdum. facta, et ratio cur non mutet? ex neceſſitate iuris, nec ex obſeruantia Imperii, nec ex conſuetudine Domus, ſed ex rationibus politicis, ex liberis pactis, ſine vlla Poſterorum obligatione aut alteratione iuris primogenituræ et indiuiduitatis terrarum. Nempe enim ſi poſteri alio pacto ius primogenituræ introducere et indiuiduitatem terrarum conſtituere volunt. Quod terrarum Auſtriacarum diuiſiones ex liberis pactis et ex humanitate magis, quam ex neceſſitate iuris, factæ ſint, adeſt mihi modo citatus locus *Germanici Auſtriæ Chronici* paulo infra: Hertzog Albrecht und Hertzog Lewpolt **Chomen mit einander überein, datz ſie tailten die Land** alſo: datz Hertzog Albrecht, der alleiu het einen Sun, Oeſterreich ſolt beſitzen, und Hertzog Lewpolt, der mere Chinder het, ſolt die andere Land all inne haben, das iſt: Steyr, Chernten, Chrain, die Windiſchmarck, Tyroll mit gantzer Etſch, Elſaſſen und all Herrſchafft in Schwaben. Ratio itaque, cur hæc terrarum diuiſio, ac quidem inæqualis, pactione fieret, erat, quod alter Frater vnum Filium, alter plures habebat; quæ, ſi verum fateri velis, non eſt ratio iuris, quæ obligationis vim habet ad diuiſionem terrarum in-

inæqualiter inſtituendam, et ex conſequenti hæc diuiſio, non ex neceſſitate iuris, inſtituta fuit, ſed ex libera voluntate, ſine mutatione iuris indiuiduitatis et primogenituræ apud Poſteros obtinendi. Et hoc modo conciliari poſſe diſſentientes auctores mihi quidem videntur, in quæſtione: Vtrum Feuda Imperii diuidua an indiuidua ſint? ſcil. diuidua et indiuidua haberi poſſunt permiſſiue ita, vt licitum ſit Principi Imperii ſtabilire primogenituram terrasque indiuiduas conſeruare, ex natura Feudorum regalium, ex vetere conſuetudine Principum *et ex Tit. 25. §. 1. A. B.* Nonnulla Feuda Imperii diuiſa interdum fuiſſe prudenti indulgentia et permiſſione Imperatores paſſi ſunt.

§. 22.

An Electores contra A. B. diuiſiones terrarum ſuarum fecerint?

Argumentum in contrarium adduci non ignoro: tam inualuiſſe in Feudis et Principatibus Germaniæ diuiſiones, vt, etiam contra prohibitionem CAROLI IV. Electores Palatini, Saxonici, Brandenburgenſes et Bauarici prouincias inter plures partiuerint. Hoc quidem verum eſt profecto, quod CAROLVS IV. in A. B. cap. 25. §. 2. ſanciat, *horum Electorum terras, diſtrictus, homa-*

magia, Vaſallagia et alia quauis ad ipſos ſpectantia ſcindi, diuidi ſeu quauis conditione dismembrari non debere, ſed potius in ſua perfecta integritate perpetuo manere. Verum A. B. celeb. Interpres, IO. PETRVS LVDEVVIGIVS *ad modo allegatum* §*phum lit.* (*e. e*) demonſtrauit, *quod hac prohibitio Imperatoris trahenda ſit ſolum ad Electorales Principatus*, non ad alia territoria Principum Electorum. Ad argumenta ICti huius celeberrimi liceat mihi addere hoc argumentum. In fine eiusdem capitis A. B. interdicitur Electoribus dismembratio *Principatus* et pertinentiarum *eius*. Cum vero Electores ſeculares plures Principatus eo tempore, vti hodie, poſſederint: colligendum eſt, quod vnus tantum Principatus ſcil. ille, quem, vt Electores, poſſederint illo tempore, diuidi non debeat. Terras vero Electorales diuiſas unquam fuiſſe, probandum. Proinde non liquet Electores diuiſiones terrarum, quas feciſſe non inficiari poſſumus, contra A. B. inſtituiſſe.

§. 23.

Ex natura fundamentali terrarum Auſtriacar. Impe-

Quanquam itaque, nec conſuetudines Gentium, nec ius feudale publicum Imperii, terrarum Auſtriacarum indiuiduitati, *Sanctione*

CA-

CAROLINA ſtabilitæ, obſint: tamen ſigillatim in vnamquamque terram, quam MAIESTAS CAESAREA in ditione SVA tenet, conſiderationem intendamus et oſtendamus, quod penes IMPERATOREM eas terras omnes indiuiduas conſeruandi, easque ad prolem primogenitam transferendi facultas ſit. Quod vt commonſtrem et digitum, vt fieri debet, ad fontes intendam, expediet formulam, vt vocant, ſeu naturam fundamentalem terrarum hæreditariarum SERENISSIMAE DOMVS AVSTRIACAE perſcrutari penitus et exinde ius IMPERATORIS eum ordinem ſuccedendi, qui in *Sanctione* declaratus, ſtabiliendi, deriuare; quo eo magis conuincamur *Sanctionem Pragmaticam* ex poteſtate IMPERATORIS natam legitime et profectam eſſe.

ratoris ius Sanctionem ponendi Auct. deriuabit.

De terris Auſtriacis Germaniæ Circulis incluſis.

§. 24.

Ordiamur a terris intra fines Germaniæ et Circulos ſitis, de quibus nemini obſcurum opinor, quod ita ſint comparatæ, vt, deficientibus maſculis, ad Fœminam de-

Ex priuilegio Caroli V. ius primogenituræ fœmineæ et alienationis

in terris Auſtriacis probantur. deuolui Primogenitam queant atque etiam alienari et indiuiduæ conſeruari; prouti MONZAMBANO *de ſtatu Imperii* in numero priuilegiorum, a CAROLO V. confirmatorum, ponit. Auctoris huius verba hæc ſunt cap. 2. *Ne obſcurum ſit ipſum* (ſcil. ARCHIDVCEM AVSTRIAE) *nihil iuris Imperio in ſuas ditiones concedere, deficientibus maſculis ad fœminas deuolui easdem cautum eſt, aut ſi ne fœminæ quidem ſuperſint, licebit easdem vltimo poſſeſſori transferre aut alienare quocunque placuerit.* Quod nihil iuris ARCHIDVX AVSTRIAE Imperio in ſuas ditiones omnes concedendum habeat in iis, quæ ratione terrarum hæreditariarum ordinat, indicat Keyſer CAROLI des fünften Conſtitution von Gerechtigkeit des Hauß Oeſterreich in Comitiis Wormatienſibus anno 1522. data, quæ confirmat n. 15. Was der Hertzog zu Oeſterreich in ſeinen Landen und Gepieten thut oder auſſetzt, das ſoll weder Keyſer noch ander Gewalt hernach nit verändern. Quod primogenitura et maſculina et fœminina in ſucceſſione obſeruanda ſit, non ſolum in Archiducatu Auſtriæ, ſed etiam reliquis terris iure hæreditario ad Auſtriacos Principes ſpectantibus, quodque alienari queant, eadem Conſtitutio n. 20. 21.

22.

22. 23. confirmat: Der älteſt unter den Hertzogen ſoll die Herrſchafft des Landes haben, und nach ihm ſein ältiſter Sun, erblich. Doch alſo, daß er von dem Stammen des Bluts nit käm und daß diß Hertzogthum nimmermehr getheilt ſoll werden. Wo aber bemelte Fürſten unerbſam abgiengen, ſo ſoll des Hertzogthum und die Land an ſeine ältiſte verlaſne Tochter fallen. Der Ertzhertzog hat Macht ſein Land zu vergeben und zu verſchaffen, wem er will, ſo er (das GOtt verhüt) ohn Erbkinder abgieng, und ſoll daran durch das Reich nit verhindert werden.

§. 25.

Ad quas terras hoc priuilegium ſe extendat?

Quod hæc Priuilegiorum Confirmatio Carolina ad omnes terras Auſtriacas, certe quod ad primogenituram fœmineam et terrarum indiuiduitatem, extendenda, facili negotio colligere quilibet ex eo poteſt, quod non ſolum das Hertzogthum ſed etiam die Land (quæ nullæ aliæ niſi reliquæ terræ hæreditariæ eſſe poſſunt ſcil. Styria, Charinthia, Carniola, Marchia Vinidorum, Tyrolis, terræque in Sueuia ſitæ &c.) an die ältiſte verlaſſene Tochter fallen ſollen. IMPERATOR

TOR ipſe quoque plane dicit num. 46. **wir meinen, ordnen, ſetzen und wollen auch, daß der vorgemelt unſer lieber Bruder, wie obgemelt iſt, und all unſer beyder Erben und Nachkommen der vorgemeldten Fürſtenthumb / Landt Herrſchafften und Gebiet, ſo wir jetzt habent oder in künfftigen Zeiten gewinnen möchten, mit der Hülff des allmächtigen GOttes, aller ſollicher Freyheit, Recht nnd Gnaden zu ewigen Zeiten gebrauchen und genieſen ſollen.** Atque ita ipſa huius Conſtitutionis verba ſat clare indicant, quod priuilegia *Sereniſſimæ Domus Auſtriacæ* attingant non ſolum terras iure hæreditario ad Domum Auſtriacam tempore Conſtitutionis ſpectantes, ſed etiam terras omnes poſt Conſtitutionem Carolinam adhuc dum acquirendas. Et in principio Conſtitutionis itidem diſtinguuntur terræ, dum dicitur: **daß Hr.** Don **Ferdinand gebeten, daß dem löblichen Hauß Oeſterreich all und jeglich Freyheiten, Gnad und** priuilegia **über was Fürſtenthum Land oder Stück die lautend, die das Hauß von Oeſterreich von allen Kayſern und Künigen treffentlich herbracht hat, confirmirt, beſtetiget und erneuret würden.**

Omnia

§. 26.

Omnia quoque priora Priuilegia, ad quasuis terras ſpectantia, confirmata eſſe n. 44. Conſtitutionis indigitatur. Priuilegia vero Auſtriaca anteriora omnia conſenſu Statuum Imperii munita, adeoque legitime condita et acquiſita a Principibus Auſtriacis eſſe, formulis exemplisque probauit KIEFFERVS in *tractat. de Domo Habsburgo Auſtriaca* quæſt. 466. pag. 227. Quod vero quoque CAROLI V. Conſtitutio, qua Priuilegia Auſtriaca confirmantur, voluntate et deliberato animo Statuum Imperii in Comitiis condita ſit (quamuis vti Priuilegia ipſa, ita Confirmationes Priuilegiorum a ſolo Imperatore proficiſci poſſunt argumento Receſſus Imperii de anno 1654. et artic. 3. ac 4. 5. CAPITVL. IOSEPH. et artic. 18. et 22. CAPITVL. CAROL.) ipſa verba Conſtitutionis indicant, quæ ita ſe habent: Darum haben wir mit wohlbedachten Muth, guten zeitigen Rath unſer und des heiligen Reichs-Churfürſten, Fürſten und Graffen, Herrn und ander unſer treffentliche Räth, ſo darzumahl in guter Anzahl bey einander geweſen ſeyn, und rechten wiſſen, den gemelten unſern lie-

Hoc priuilegium Carolinum et omnia priora conſenſu Statuum munita.

lieben Bruder den Ertzhertzogen Ferdinanden : : ſollich Priuilegien, Gnaden, Freyheiten, Gerechtigkeit und gut alten Gewohnheiten confirmirt, beſtätt, vernewert und beſeſtet. Quam Conſtitutionem reperire licet in GOLDASTI Reichs-Satzungen, parte ſecunda pag. m. 193.

§. 27.

Ex quo Statuum conſenſus in priuilegium Caroli V. colligendus?

Si quem ea res nonnullam in dubitationem adducat, an Conſenſus Statuum in hanc Conſtitutionem adfuerit, cum vocabulum Einwilligung, Conſens, in ea non reperiatur: a me id reſponſum ferat, quod, quamuis hoc vocabulum in Conſtitutione non reperiatur, tamen conſenſus Statuum exinde colligendus ſit, quod ordines Imperii in Comitiis inter alia huius Conſtitutionis gratia bey einander geweſen, und mit ihren rechten Wiſſen ſollich Priuilegien confirmirt, beſtatt, verneuert und beſeſtet. Quæ duæ res ſcil. præſentia et ſcientia illius, quod geritur, conſenſum inducunt (§. 233.). Vt taceam, quod hæc formula tunc temporis in vſu fuerit in omnibus Imperii Conſtitutionibus ad indicandum Statuum Conſenſum: mit wohlbedachten Muth guten zeitigen Rath unſer und des Heil. Reichs Chur-Fürſten, Fürſten, Grafen und Herrn.

§. 28.

§. 28.

Cum itaque Priuilegia Auſtriaca eorumque Confirmatio, in quibus ius primogeniturae femineae et indiuiduitatis terrarum, ad Archiduces iure haereditario ſpectantium, continetur, iuſte ac legitime obtenta: conſequens eſt, vt etiam *Sanctio Pragmatica*, quod ad dictas terras haereditarias, quae itidem diſponit de iure primogeniturae foemineae et indiuiduitatis terrarum, *motu* IMPERATORIS *proprio, iuſte et legitime condita ſit.*

Ex hoc conſenſu in priuilegia eorumque confirmatione iuſtitia Sanctionis proprio motu confecta colligitur.

§. 29.

Quibus in ambiguo eſt, num IMPERATORES AVSTRIACI potuerint Priuilegia eiusmodi Domui Suae dare? illud dubium ex eo ſolui poteſt, quod nullibi in Conſtitutionibus Imperii vlla interdictio reperiatur, quod Domum ſuam ornare Priuilegiis IMPERATORES non debeant, adeoque ea *Priuilegia, quae conſenſu ſtatuum munita* ſunt, *iuſte et legitime* DOMVI AVSTRIACAE *acquiſita* eſſe, *quamuis ab* IMPERATORIBVS AVSTRIACIS *profecta*, nec quisquam dubitare poterit; quippe

An Imperatores Auſtriaci priuilegia Domui Suae inferre potuerint?

tali ratione omnes alii Principes Imperii Priuilegia iuſte adipiſcuntur, cum quibus æquo et pari iure AVSTRIÆ ARCHIDVCES viuunt.

§. 30.

An neceſſe veritatem Conſtitutionis Friderici I. probare, et vnde probanda?

Atque vero cum nouiora Priuilegia SERENISSIMÆ DOMVS AVSTRIACÆ, in quibus ius primogenituræ femineæ et indiuiduitatis terrarum continetur, pro eo, ac oſtendimus, voluntate Statuum Imperii condita, atque ita firmiſſima, ſint: non neceſſe foret, vt ex annalium vetuſtate erueremus iam diu geſta et a memoria noſtra remota, vtque Conſtitutionem FRIDERICI I. de anno 1156. examinaremus, qua Auſtria HENRICO conceſſa eſt in Comitiis Ratisbonenſibus ita, vt fœminæ primogenitæ quoque ſuccedant. Sed tamen, quoniam Scriptores rerum Auſtriacarum referunt hanc Conſtitutionem non ſolum, verum etiam alii boni auctores, quibus facilis, vt opinor, fides habenda eſt: ad liquidum veritatem Conſtitutionis exploratam eſſe cenſeo. Vt aliquos tantum afferam, qui hoc diploma FRIDERICI I. HENRICO datum habent, et Priuilegiorum FRIDERICI I. HENRICO datorum, mentionem faciunt, præ aliis no-

nomino VITI ARENPECKII *Chronicon Auſtriacum et Chronicon Auguſtanum ad annum* 1156. et ANDREAE BRESBTTERIS *Chronicon Bauaricum pag.* 27. *et* 28. Præter duas chartas, quæ idem conteſtantur apud BALVZIVM, iurium Auſtriæ acquiſitorum in comitiis Ratisponenſibus quoque mentio fit in *Auctoris incerti breui chronico Auſtriaco* et quoque *in hiſtoria fundationis Monaſterii Mellicenſis*, quæ eſt in LAMBECII Commentar. de Bibl. Cæſ. lib. 2. cap. 8. cuius verba ſunt: *Præfatus Imperator* FRIDERICVS *collecta Curia in Ratispona de conſenſu et voluntate Principum Marchionatum Auſtriæ a iurisdictione Ducis Bauariæ exemit, et quosdam ei comitatus de Bauaria adiungendo in ducatum vertit, iudiciariam poteſtatem præfato Principi Henrico et ſuis ſucceſſoribus ab Anaſo vsque ſyluam prope Pataviam, quæ dicitur Rotenſal, protentendo.* Quoniam ergo conſenſu et voluntate Principum hæc Iura Henricus ab Imperatore acquiſiuit, nec diſſenſus a Bauaricis proteſtatione declaratus: vti conſtitutio ipſa, ita et exemtio Auſtriæ a nexu Bauariæ legitime facta (arg. §. 233.). Exſtant adhuc alii Scriptores, quibus ſatis certis auctoribus firmatur, Conſtitutionem FRIDERICI I. non fictam eſſe; quos mitto, dum ſatis eſſe autumo diploma-

ta conſequentia Priuilegiorum Auſtriacorum, ac ante omnia illud FRIDERICI II. datum Veronæ 1245. inſpectare, in quo expreſſa mentio Priuilegii FRIDERICI I. fit, his verbis: *Excellentiſſimus Princeps* FRIDERICVS *Dux Auſtriæ et Styriæ - - quoddam Priuilegium D. Auguſti Imperatoris quondam* FRIDERICI, *Aui noſtri* HENRICO *quondam Duci Auſtriæ Proauo ſuo dudum indultum noſtro culmini præſentauit etc.* quod habet PFEFFINGER *in Vitr. Illuſtr. Lib. 1. tit. 16. §. 9. pag. 19.* quem vide ſis ſcriptoresque ibi allegatos. Poſt FRIDERICVM II. RVDOLPHVS I. CAROLVS IV. SIGISMVNDVS, CAROLVS V. FERDINANDVS III. atque etiam LEOPOLDVS hocce priuilegium confirmarunt atque renouarunt. Præterea hoc Priuilegium FRIDERICI I. eſſe habendum authenticum, ſi etiam ab his Imperatoribus non confirmatum et confirmatione Priuilegiorum Auſtriacorum Auguſtanis Comitiis 1530. facta non contineretur, vel ſola vidimata huius Priuilegii Copia, vt vocant, ab Cancellariatu Moguntino anno 1665. in publicas litteras relata ſufficeret ad eiusdem perpetuam validitatem, vt videre eſt in Hörnicks hiſtoriſcher Anzeige der Priuilegien des Ertzhauſes Oeſterreich in Appendice.

Neque

Neque argumentum, quod THOMASIVS ad Monzambani cap. 2. §. 4. lit. f. contra hoc priuilegium FRIDERICI I. adduci poſſe cenſet, firmo nititur fundamento. *Remouetur dubium Thomaſii.* Poſſe, opinatur, aduerſus ea, quæ OBRECHTVS de Priuilegiis FRIDERICI I. Henrico Marchioni Auſtriæ in præmium quaſi ceſſarum prætenſionum in Ducatum Bauariæ conceſſis p. 28. ſeq. affert, dubia moueri: non conceſſa eſſe illa priuilegia prouinciæ et territorio, ſed familiæ HENRICI. Verum priuilegia publica inter iura reipubl. referenda (§. 76.) iura talia vero ab anteceſſoribus acquiſita ſucceſſores cuiusuis generis continuare poſſunt (§. 229.) et territorio acquiſita non familiæ cenſenda ſunt (§. 232.): quare non poteſt non priuilegium FRIDERICI I. HENRICO datum etiam ſucceſſoribus ex domo Habsburgica acquiſitum eſſe. Quod ſi itaque tantum familiæ HENRICI FRIDERICVS priuilegium concedere voluiſſet, hoc verbis exprimendum fuiſſet, quod obſeruatum eſſe videmus in pactis Velauienſibus 1657. quorum ope Elector Brandenburgenſis *Eiusque deſcendentes omnes maſculi* omni prorſus Vaſallagii nexu, quo Regi et Reipublicæ Poloniæ obſtricti fuerunt, liberati, ſed *deficientibus maſculis ex præmemorata linea legitima Electorali deſcendentibus,*

tibus, (vt verba Artic. 6. ſonant). *Sereniſſimis Regibus et Reipublicæ Poloniæ ius ſuum integrum in Ducatum Boruſſiæ a Republ. Poloniæ non auelli debet.*

§. 31.

Obiectio contra legitimam translationem terrarum Auſtriacarum in Albertum, eiusque ſolutio.

Hoc loco mihi obloqui videtur *quidam, qui non cum Imperatore et Auguſta Domo Auſtriaca facit:* hic te teneo, ipſa tibi veritas manum iniicit, quodſi iam FRIDERICI I. et II. tempore ſucceſſio fœminea in Auſtria obtinuerit, iniuria filiabus familiæ Babenbergenſis fuerit facta; cum RVDOLPHVS Auſtriam ad filium ſuum ALBERTVM tranſtulerit, adeoque, auctoritate RVDOLPHI ALBERTVS neceſſario vi in poſſeſſionem Auſtriæ miſſus ſit. Verum, hæc ita ſe non habere, quod RVDOLPHVS et ALBERTVS vi in poſſeſſionem terrarum Auſtriacarum pedem poſuerit, plures auctores nominare poſſem, ſed vnum cedere Auctorem ſufficiet ARENPECKIVM in *Chronico Auſtriaco*, qui *ad annum* 1276. *ita* de RVDOLPHO diſſerit: *nec tamen per violentiam cepit* (ſcil. terras Auſtriacas) *ſed interuenientibus amicis, ea lege reconciliati ſunt, vt Auſtria Cæſari cederet: exin*

datis

datis acceptisque filiabus affinitas vtrinque iungeretur, prouinciæ, de quibus lis eſſet, dotales fierent.

Quod hæc ceſſio OTTOCARO facta libera fuerit, confirmat *Anonymi Leobienſis Chronicon* Lib. 2. ad annum 1273. *in Auſtria Regi Romanorum Rudolpho exiſtenti Rex Bohemiæ* OTAKERVS *Auſtriam, Stiriam, Karinthiam, Carniolam, Portum Naonis cum quibusdam aliis terris ſibi ſubiectis* RESIGNAVIT LIBERE. Neque ſum neſcius, multis perſuaſum eſſe OTTOCARVM nullo iure terras Auſtriacas ſubieciſſe ſibi, ideoque ceſſionem earum Habsburgicæ familiæ factam non adeo firmo nixum eſſe fundamento. Sed mihi neceſſitatem nolo imponere huius rei, vt titulum OTTOCARI oſtendam, (quamuis poſſem eundem ex *Chronico Anonymi Leobienſis ad annum 1251. et ex Paltrami ſeu Vatzonis, Conſulis Viennenſis Chronico Auſtriaco ad annum 1269.* aliisque rerum Auſtriacarum Scriptoribus declarare,) quoniam, ſi etiam velis OTTOCARVM vt vſurpatorem et inuaſorem terrarum Auſtriacarum conſiderare: tamen potuiſſet ex V-

Ceſſio Ottocaro libera, et quod filiæ e familia Babenbergenſi iniuſte non fuerint præterita, vlterius deducitur.

 ſur-

ſurpatore legitimus Princeps fieri (arg. §. 234.) ideoque poſt ceſsionem factam ſucceſſores OTTOCARI ex Domo Habsburgica legitimum titulum et firmum ius acquiſiuerunt (arg. §. 229.), dum nulla proteſtatio interpoſita (arg. §. 231.). Sed non neceſſe eſt, vt Principes familiæ Habsburgicæ, vt tales ſucceſſores OTTOCARI in terris Auſtriacis conſideremus, quæ ex nulla alia cauſſa quam ex ceſſione OTTOCARI iura ſua deriuare queant.

§. 32.

Fundamenta ſucceſſionis Alberti in terras Auſtriacas.

Potius ab ALBERTI I. Coniuge ELISABETHA Domus Habsburgica ius ſuum in terras Auſtriacas deducere contra omnes filias Babenbergenſes poteſt firmisſime. ELISABETHA enim præ omnibus filiabus lineæ Babenbergenſis hæres proxima terrarum Auſtriacarum erat, vt oſtendit hæc tabula Genealogica

Leo-

Leopoldus Glorioſus Dux Auſtriæ † 1230. cuius liberi

Henricus III. † 1227. item Fridericus II. bellicoſus vltimus Dux Auſtriæ † 1246. item Conſtantia Margaretha

Gertraut, Henrici III. filia, hæres Auſtriæ, coniux II. Hermannus, Marchio Badenſis, qui occupat Auſtriam 1247. † 1250.

Fridericus, hæres Auſtriæ † 1269. Gertrautæ filius, item filia

Agnes, Coniux I. Vlricus vltimus, Dux Carinthiæ

II. Mainhardus

Henricus, Dux Carinthiæ, Comes Tyrolinenſis † 1331. filius Agnetis atque eius filia

Eliſabetha, Coniux Albertus I. ex domo Habsburgica et nouus Archidux Auſtriæ.

Secundum hanc tabulam Genealogicam poſt mortem *Friderici bellicoſi* præ ipſius ſororibus earumque filiis HENRICI III. filia GERTRAVT erat proxima heres terrarum Auſtriacarum, quippe in omni lineali ſucceſſione Mortuorum ius ſi præualet, tranſit ad eos, qui ab ipſis deſcendunt pari inter pares præ-

rogatiua ſexus, ac deinceps ætatis, vbi obtinet primogenitura ; iam HENRICI III. ius præualebat iuri ſororum, quare poſt mortem ipſius legitime tranſit ius ſuccedendi in terras Auſtriacas in filiam GERTRAVT præ patris ſororibus earumque filiis. Inde recte quoque argumentatur GROTIVS de I. B. et P. Lib. II. Cap. VII. §. 22. *filia ex fratre, filio ex ſorore præfertur.* Vnde ſucceſſionis huius linealis argumentum ſumendum, ſi lex et exempla deſint, eodem paragrapho continetur. Verum ne deficiebat quidem lex intuitu ordinis ſuccedendi in terras Auſtriacas, ſi linea maſculina familiæ Babenbergenſis extingueretur. Etenim in priuilegio FRIDERICI I. HENRICO dato ita cautum erat: *vt ſi Dux Auſtriæ ſine herede filio decederet, Ducatus ad ſeniorem filiam deuoluatur.* His verbis non expoſite dictum, vtrum ſenior filia Ducis regnantis an quoque illius, qui ius et ſpem duntaxat ſuccedendi habuit, ſuccedere poſſit ; Quod vero illa deficiente etiam hæc præ omnibus reliquis ſuccedendi ius habeat, ex his verbis ſequentibus Priuilegii colligere datur : *Inter Duces Auſtriæ, qui ſenior fuerit, dominium Auſtriæ teneat, ad cuius etiam filiam ſeniorem dominium iure hereditario deducatur.* Quodſi igitur in verbis præcedentibus

tibus paulo ante allatis ſermo non eſſet de filiabus ſenioribus cuiusuis Ducis Auſtriæ, regimen Ducatus habuerit, nec ne, fruſtra eſſet, quod ſigillatim de filiabus ſenioribus Ducis, qui Dominium Auſtriæ tenuerit, diſponeretur, quod ad eas etiam dominium iure hereditario deduci debeat. Quod porro filiæ ſenioris deſcendentes præ collateralibus ſucceſſionem continuandi habeant facultatem, ſecundum eundem, quem modo expoſui ordinem ex his verbis ſubſequentibus huius priuilegii cognoſcere poſſumus, quæ ſic ſe habent, quod Dominium ad filiam ſeniorem iure hereditario deducatur, *ita tamen, vt ab eiusdem ſanguinis ſtipite non recedatur.* Iam poſt mortem FRIDERICI Neapoli capite truncati, AGNES ſtipes ſanguinis erat, a qua ergo non recedendum; cuius heres HENRICVS et poſt eum filia MARGARETHA ſecundum conſtitutionem FRIDERICI I. fuit. His igitur ſine prole extinctis ordo ſucceſſionis tangebat ELISABETHAM filiam Agnetis Stipitis ſanguinis ALBERTI I. coniugem. Et ita habes ALBERTI I. titulum ſuccedendi in terras Auſtriacas conſtitutione FRIDERICI I. adeoque natura terrarum fundamentali fundatum. Nec hic ordo ſuccedendi linealis, qui in terris Auſtriacis ex conſtitu-

ſtitutione FRIDERICI et ex ſanctione pragmatica obſeruandus, ſingulare aliquid eſt, ſed potius in omnibus regnis et ditionibus, in quibus ſucceſsio linealis cognatica viget, vniuerſaliter obſeruatur. Cuius rei auctores, teſteſque producere plures poſſem, etiam Gallos, ex quibus vnum citare BERTRAND D' ARGENTRE iuuat: Liv. XVI. cap. 4. *dans ſon Hiſtoire de Bretagne,* vbi ita de ſucceſsione lineali cognatica loquitur: *En matiere de ſucceſſions les Enfans de l' ainé, ſoit males ou femelles et pareillement les Enfans procréez d' eux, repréſentent, a cauſe de leur droit d' aineſſe, la perſonne de leurs Péres, dans les ſucceſſions des fiefs et parviennent à tels droits de ſucceſſion et d' aineſſe, que ſeroient parvenus leurs Péres, s' ils euſſent vécu, excluant leurs Oncles tant paternels, que maternels, ſelon la coutume generalément reçue et toute notoire, tant pour les ſucceſſions, qui viennent en ligne directe, que pour celles, qui echéent en ligne collaterale.*

Filiae Babenb. non contradixerunt et Alberti ſucceſſionem legi-

Praeter ius ſanguinis et OTTOCARI ceſsionem etiam conſenſu eorum ex familia Babenbergenſi, quorum intereſſe potuiſſet, factum eſt, vt familia Habsburgica dominium

ter-

terrarum Auſtriacarum tene- *timam a-*
ret. Conſenſu factum eſſe exin- *gnouerunt.*
de colligendum, quia illi, qui
ex familia Babenbergenſi reliqui fuerunt, diſ-
ſenſum, pro eo, ac debuerunt, ſi quid ipſis iu-
ris præ Habsburgicis fuiſſet non declararunt
(arg. §. 233.). Sed ne conſenſu quidem eo-
rum, qui ex familia Babenbergenſi ſuperſtites
erant, opus fuit, nec etiam diſſenſus aliquid
proficere potuiſſet, quoniam eos ordo ſucce-
dendi, vti iam oſtendi, nondum tangebat, vi-
uente ALBERTI coniuge ELISABETHA e-
iusque deſcendentibus (arg. §. 231.). *Neque
ita Filiæ Familiæ Babenbergenſis iniuriam paſ-
ſæ ſunt* (arg. §. 28.), quæ ob hanc quoque ra-
tionem, quia iuſtum titulum Habsburgico-
rum eundi in poſſesſionem terrarum Auſtri-
acarum agnouerunt, publice queſtæ non ſunt;
nec etiam vllibi diſſenſus Ordinum Prouin-
cialium exſtat, potius ſumma voluntate, poſt-
quam RVDOLPHVS cum Cognatis eam,
quam ex *Arenpeckii Chronico Auſtriaco* cita-
ui, pactionem fecerat, et ALBERTVS ELI-
SABETHAM in matrimonium duxerat, AL-
BERTVM, vt legitimum ſucceſſorem, reco-
gnouerunt, ſeſe ſubiiciendo (arg. §. 26. et 235.).
Itaque cum nec vi, nec ingratiis Cognatorum
Familiæ Babenbergenſis ALBERTVS Auſtriam
ac-

acceperit, conſenſusque Statuum Imperii et Prouinciarum acceſſerit: *omni iure Auſtria et reliqua terra in Circulo Auſtriaco contenta ad Familiam Habsburgicam peruenerunt.*

§. 33.

Quid exinde colligendum, quod Imperium terras Auſtriacas vt Feuda Imperii aperta contulerit?

In comitiis Auguſtanis anno 1282. Auſtriam, Styriam, Carniolam et Marchiam Vinidorum, conſenſu Statuum Imperii, ALBERTVM gubernandam accepiſſe et anno 1286. iure beneficiario, vt Feuda Imperii aperta, accepiſſe, ſunt teſtes TRITHEMIVS, NAVCLERVS, CHRONICON SALISBVRGENSE, HISTORIA AVSTRIALIS PLENIOR aliique Scriptores Rerum Auſtriacarum, præcipue illi, qui ſunt *in Collectione* PEZII *Scriptorum Rerum Auſtriacarum.* Loca præcipua, quæ huc faciunt, ſunt in Tomo I. *p. 243. 382. 467. 857. 1095. 1229.* Ac quoniam nominatas terras Imperium ALBERTO, vt Feuda Imperii aperta, conferre præ ſe tulit: exinde colligi poſſe reor, quod hæ terræ Auſtriacæ talia Feuda Imperii fuerint, ad quorum ſucceſſionem in defectu maſculorum nati ex fœminis admiſſi fuerunt potius, quam exteri, ea obſeruantia æquali ratione vti olim

in

in ſucceſſione Regni Francici vſu veniſſe oſtendit FABROTTVS in Epiſtola dedicat. præmiſſa libris *βασιλικῶν*: Feuda Auſtriaca olim ante priuilegia ab Imperatoribus accepta eam ob cauſam Cognatis collata fuiſſe, ne turbæ a Cognatis, qui æquum eſſe cenſebant in ſucceſſione, deficiente prole maſcula, ſe aliis plane extraneis præferri, coorirentur.

Quod ſi iure perfecto ſucceſſio cognatica certa fuiſſet, quid opus fuiſſet Decreto Comitiali Cognatis Principibus CONRADINI et FRIDERICI, vltimorum Auſtriæ et Sueuiæ Ducum Succeſſoribus? *Terris Sueuicis eadem eſt conditio, quæ reliquis terris Auſtriacis.* Non vero denegata Cognato ſucceſſio in terras Auſtriacas et Sueuicas eſt, ſed ex vetere conſuetudine adiudicata; vti iisdem Comitiis Auguſtanis illæ, quæ in Sueuiæ partibus ſitæ erant, terræ, præcipue domaniales, extinctorum Sueuiæ Ducum, occaſione Cognationis, ſub Ducis titulo RVDOLPHO datæ. vid. GERHARD. A ROO *in annalibus rerum ab Auſtriacis Principibus geſtarum. lib. 1. p. m. 31.* Quibus terris Sueuicis haud ita multo poſt ad Auſtriacos Duces, Auſtriæ Poſſeſſores, delatis, illas eodem iure per Priuilegia eorumque Confirmationem CAROLI V. quo terræ Circuli

acceperit, conſenſusque Statuum Imperii et Prouinciarum acceſſerit: *omni iure Auſtria et reliqua terra in Circulo Auſtriaco contenta ad Familiam Habsburgicam peruenerunt.*

§. 33.

Quid exinde colligendum, quod Imperium terras Auſtriacas vt Feuda Imperii aperta contulerit?

In comitiis Auguſtanis anno 1282. Auſtriam, Styriam, Carniolam et Marchiam Vinidorum, conſenſu Statuum Imperii, ALBERTVM gubernandam accepiſſe et anno 1286. iure beneficiario, vt Feuda Imperii aperta, accepiſſe, ſunt teſtes TRITHEMIVS, NAVCLERVS, CHRONICON SALISBVRGENSE, HISTORIA AVSTRIALIS PLENIOR aliique Scriptores Rerum Auſtriacarum, praecipue illi, qui ſunt *in Collectione* PEZII *Scriptorum Rerum Auſtriacarum.* Loca praecipua, quae huc faciunt, ſunt in Tomo I. *p. 243. 382. 467. 857. 1095. 1229.* Ac quoniam nominatas terras Imperium ALBERTO, vt Feuda Imperii aperta, conferre prae ſe tulit: exinde colligi poſſe reor, quod hae terrae Auſtriacae talia Feuda Imperii fuerint, ad quorum ſucceſſionem in defectu maſculorum nati ex foeminis admiſſi fuerunt potius, quam exteri, ea obſeruantia aequali ratione vti olim

in

in ſucceſſione Regni Francici vſu veniſſe oſtendit FABROTTVS in Epiſtola dedicat. præmiſſa libris *βασιλικῶν*: Feuda Auſtriaca olim ante priuilegia ab Imperatoribus accepta eam ob cauſam Cognatis collata fuiſſe, ne turbæ a Cognatis, qui æquum eſſe cenſebant in ſucceſſione, deficiente prole maſcula, ſe aliis plane extraneis præferri, coorirentur.

Terris Sueuicis eadem eſt conditio, quæ reliquis terris Auſtriacis.

Quod ſi iure perfecto ſucceſſio cognatica certa fuiſſet, quid opus fuiſſet Decreto Comitiali Cognatis Principibus CONRADINI et FRIDERICI, vltimorum Auſtriæ et Sueuiæ Ducum Succeſſoribus? Non vero denegata Cognato ſucceſſio in terras Auſtriacas et Sueuicas eſt, ſed ex vetere conſuetudine adiudicata; vti iisdem Comitiis Auguſtanis illæ, quæ in Sueuiæ partibus ſitæ erant, terræ, præcipue domaniales, extinctorum Sueuiæ Ducum, occaſione Cognationis, ſub Ducis titulo RVDOLPHO datæ. vid. GERHARD. A ROO *in annalibus rerum ab Auſtriacis Principibus geſtarum. lib. 1. p. m. 31.* Quibus terris Sueuicis haud ita multo poſt ad Auſtriacos Duces, Auſtriæ Poſſeſſores, delatis, illas eodem iure per Priuilegia eorumque Confirmationem CAROLI V. quo terræ Cir-

culi

culi Auſtriaci fruuntur, gaudere cenſendum eſt, hoc eſt, vt indiuidua, maſcula prole deficiente, ad Filiam Primogenitam transferri queant. Argumenta, quod tam late pateant Priuilegia Auſtriaca, ſupra iam attulimus; qui vult præter illa alia argumenta, eaque ſingularia, habere, legat KIEFFERVM *quaſt. 45. de Domo Habsburgico-Auſtriaca pag. 225. et 226.* Quibus hoc vnum addo: quoniam Auſtriaca Domus terras Sueuicas iure cognationis partim, partim iure emtionis, acquiſiuit (vti Sueuiæ Landuogtiam cum aliquot oppidis LEOPOLDVS probus emit ab Imperatore WENCESLAO, quod diploma habet FVGGER im Spiegel der Ehren des Ertz-Hauſes Oeſterreich *lib. 3. c. 8. p. 359.*) *nibil impedire poteſt, quo minus etiam fœminæ hodie ſuccedere in illis terris Sueuicis queant*, non ſolum in terris, in quibus olim ſucceſsio Cognatica valuit, verum multo magis in his, quæ titulo emtionis ad *Domum Auſtriacam* peruenerunt; quoniam idem ius, quod WENCESLAVS habuit in has terras, ſcil. ius in quemuis eas transferendi, in LEOPOLDVM eiusque Succeſſores translatum ſtatuendum eſt.

§. 34.

§. 34.

In terris Auſtriacis matrimonium fuit modus acquirendi eaſdem.

Vt etiam ſingillatim ad terras Charinthiacas, Tyrolinenſes et Taruiſias, in quo ſtatu ante Conſtitutionem CAROLI V. fuerint, deueniamus, de illis vna cum reliquis locis vicinis Auſtriacis apud Rerum Auſtriacarum Auctores relatum legimus, quod earum poſſeſſio iisdem Auguſtanis Comitiis, quorum modo mentionem feci, MAINHARDO confirmata fuerit, ac quidem, quod ad Charinthiam, propter Vxorem AGNETEM.

§. 35.

Nec non iure ſanguinis ex cognatione et ius ceſſionis.

Deinde quoque anno 1335. morte HENRICI Ducis Charinthiæ, *Duces Auſtriæ* terram eam ab Imperatore LVDOVICO IV. obtinuerunt iure ſanguinis materni, dum mater filia MAINHARDI Ducis Charinthiæ fuit, vt eſt *in cap. 6. lib. 5. Chronici Anonymi Leobienſis.* Eidemque laudato MAINHARDO terra Tyrolinenſis et Taruiſia obtigit propter matrem ADELHEIDAM, ita quidem, vt nouis pactis in omnes terras, quas MAINHARDVS habebat, Auſtriæ ius certum conſtitueretur. Quæ terræ tandem

quo-

quoque ad *Duces Auſtriæ*, extinctis maſculis, partim ob aliquod ius cognationis, partim ob pactiones factas, peruenerunt.

Exempli cauſa, vt paucis nos expediamus, vnam *Ceſſionem Tyrolis plenariam Domui Auſtriacæ a* MARGARETHA per donationem inter viuos *factam* nomino; cuius Ceſſionis diploma eiusque confirmatio in fauorem *Auſtriacæ Domus* de anno 1363. extat in Lünigs Reichs-Archiv *in Part. ſpec.* unter Kayſer und Königl. und Ertz-Hertzogl. Hauſe Oeſterreich 762. et *contin. 1.* unter Tyrol. 228.

§. 36.

De ceſſione Ottocari, Rudolpho facta.

Ac ne ea res in dubium veniat, num quoque eius generis ceſſio plenaria reliquarum terrarum, quæ in Circulo Auſtriaco continentur, iam tempore RVDOLPHI Domui Habsburgicæ facta ſit: iuuabit *laudum concordiæ inter Imperatorem* RVDOLPHVM et OTTOCARVM adiungere, quod eſt apud *LEIBNITIVM Tom. 2. Codicis diplomatici iuris gentium in mantiſſa* §. *9. p. 100. ſeq.* in quo legitur: *Quod Dnus OTTOCARVS Rex Bohemiæ cedat ſimpliciter et præciſe omni iuri, quod mini-*

habebat vel habere videbatur in terris et hominibus, cuiuscunque conditionis exiſtant, Auſtria videlicet, Styria, Charinthia, Carniola, Marchya Vinidorum et Gœritia ac Portusnab (Portus Naonis, Fori Iulii) et paulo infra, quod *Dnus* OTTOCARVS *tradat ſuam filiam in vxorem filio Domini* RVDOLPHI *Regis Romanorum; et idem Rex Bohemiæ dabit ſeu etiam reſignabit ſimpliciter et præciſe Domino Romanorum Regi terras et poſſeſſiones in Auſtria, quas hactenus, proprietatis vel feudi titulo tenuit, vel ſua pecunia comparauit, et easdem terras et poſſeſſiones Dnus Rex Romanorum ſuo filio obligabit pro quadraginta millibus marcis argenti, quas eidem filio ſuo in donationem propter nuptias deputabit.*

§. 37.

Ex ceſſione ſola Ottocari non dependet Habsburgicum ius in Auſtriam.

Ex qua Ceſſione, ab OTTOCARO et MARGARETHA facta et ex argumentis paulo ante allatis, videre licet, quid ſit cauſæ legitimæ, cur RVDOLPHVS Filio ſuo Primogenito Ducatum Auſtriæ vna cum Styria et ceteris terris vicinis iuſte conferre Comitiali Conſenſu potuerit, ac quare nulla iniuria Familiæ Babenbergenſi facta ſit (arg. §. 217.) ſcilicet, vt

fun-

fundamenta iuris ſuccedendi domus Habsburgicæ in terras Auſtriacas repetam et in arctiſſimum contraham, illa, vt in ſuperioribus planum feci præter ceſſionem OTTOCARI nituntur 1) iure ſanguinis, dum Albertus I. proximam heredem fauſtis ſibi iunxit nuptiis. 2) Conſenſu ordinum imperii. 3) Conſenſu ordinum ditionum hereditariarum. 4) Conſenſu cognatorum familiæ Babenbergenſis, quem ex diſſenſu non declarato publice colligere licuit (arg. §. 233.). Atque ſi etiam fundamentis his non nixa eſſet cauſa Habsburgicæ Domus, ſufficeret ad titulum legitimum probandum ſola præſcriptio (§. 233. et 234.), dum nulla proteſtatio publica contra ſucceſſionem Habsburgicæ familiæ eo tempore, quandoquidem ego ſcio, interpoſita nec interponi legitime potuit, vt ſilentio prætereeam plenitudinem poteſtatis Imperatoris et Imperii, qua Imperator RVDOLPHVS conſenſu Imperii terras Auſtriacas contulit et conferre potuit legitime ALBERTO, vt conteſtantur *Chronicon Salisburgenſe ad annum 1281. Chronicon Clauſtro-Neoburgenſe ad annum 1283. Anonymi Leobienſis Chronicon ad annum 1286. Arenbeckii Chronicon Auſtriacum, Germanicum Auſtriæ Chronicon etc.*

Quæ cum ita ſint; aſſequi id quilibet poteſt

poteſt, quod ab initio *terræ et Auſtriacæ et Suenicæ legitime in poteſtatem Habsburgicæ Domus peruenerint.*

§. 38.

Cur terræ Auſtriacæ ad fœminas transferri queant?

Quæ terræ cum eximiis Priuilegiis non ſolum ab *Imperatoribus Auſtriacis*, verum etiam ab aliarum Familiarum Cæſaribus, præcipue intuitu ſucceſſionis fœmineæ, ornatæ fuerunt: (quorum Priuilegiorum Codex aliorumque Diplomatum ad hanc hiſtoriam Domus Habsburgo-Auſtriacæ facientium *in Bibliotheca Vindobonenſi* ex teſtimonio LAMBECII *Comment. lib. 3. p. 329. et 330.* ſeruatur), conſequitur, vt illæ, quamuis in nexu Feudali cum Imperio ſint, nihilo ſecius, extinctis Maſculis, ad Filiam vltimi Poſſeſſoris Maſculi, eamque Primogenitam, omni iure pertineant; prouti quoque CAROLI V. Confirmatio Priuilegiorum Archiducibus Auſtriæ conceſſorum n. 22. declarat.

§. 39.

Cur adeo Sanctione Pragmatica in his terris ſucceſſio fœminea ſtabi-

Quoniam itaque iam ante *Sanctionem Pragmaticam* natura fundamentalis terrarum Auſtriacarum ita fuit conſtituta, vt illæ Filiæ Primogenitæ, deficiente Prole

liri potuerit iuſte ? maſcula, indiuiduæ conferendæ ſint: nullam video rationem, ob quam HODIE PRVDENTISSIME REGNANTIS IMPERATORIS declaratio eiusdem ordinis ſuccedendi in terras hæreditarias Germanicas in Conſultationem Imperii venire debuerit. Quibus rebus adductus, *inconſulto Imperio, motu proprio, iure ſancire, lege perpetua, ſucceſſionem fœmineam ſecundum ordinem primogenituræ* CAROLVM VI. *potuiſſe, quod ad terras in Circulo Auſtriaco et Sueuico ſitas*; *ſtatuo.*

§. 40.

Sanctione ſtabilitum ius primogenituræ opus habet nec confirmatione Imperatorum.

Nec me commouet id, quod iuris publici Doctores interque eos inprimis *Auctor Meditationum* ad CAPITVL. IOSEPH. pag. 284. SVPREMVM IMPERII CAPVT ob terras IPSIVS, in nexu Imperii contentas, Membrum Imperii habere volunt et exinde concludunt, quod eum modum in primogenituræ declaratione, quem alia Imperii Membra adhibere ſolent, obſeruandum habeat. Regerere enim mihi liceat, quod, quamuis IMPERATOR iure ordinario in id quoque, in quod alii Status Imperii, intuitu terrarum SVARVM hæredita-

ria-

riarum, obligatus ſit, (excepto eo, quando beneficio priuilegiorum Domui Auſtriacæ competentium a communi obligatione aliorum Principum Imperii liberatus): tamen in declaratione Primogenituræ id fieri nullo modo poſſit, licet IMPERATOREM ob terras hæreditarias, vt Membrum Imperii, conſideres. Namque Imperii Membra in Primogenituræ introductione adhibere ſolent id, vt illius Confirmationem ab IMPERATORE petant; quo auctoritate Confirmationis Cæſareæ ius primogenituræ eo magis corroboretur. Verum, quandoquidem Confirmatio omnis in eo conſiſtit, vt quis in alterius negotium non prohibitum, quod valere debeat, conſentiat (§. 149.): facili negotio intelligitur, quod fieri non poſſit, vt MAIESTAS CÆSAREA *Sanctionem* SVAM, quæ declarat ordinem primogenituræ, confirmet. Vt taceam, quod in ſupervacuum Confirmatio, ſi fieri poſſet, foret; quoniam declaratio voluntatis IMPERATORIS, quod acta SVA valere debeant, eo ipſo, quod quidquam diſponit, adeſt.

§. 41.

Nec confirmatione

Si inſtas ad minimum neceſſe eſſe, vt *Sanctio* ab Imperio confir-

Statuum Imperii. metur: hoc idem eſt, ac Caput Imperii deterioris conditionis, quam Membra Imperii, reddere. Neque enim vlla Conſtitutio Imperii ab Statibus, vt confirmationem introducti iuris primogenituræ ab Imperio expetant, poſtulat, nec etiam Obſeruantia adeſt. Potius confirmandi ius ad Reſeruata IMPERATORIS referendum eſſe nobis planum facit LAMPADIVS *de Republ. R. German. pag. 5. cap. 13. §. 5. et cap. 16. §. 1.* Cuius rei, quod Imperii confirmatio in primogenituræ introductione non neceſſaria ſit, teſtimonium perhibent acta apud *Perill. Dnum de* LVDOLPH *in tractatu de introductione iuris primogenituræ in app.* Vbi hanc certe rem per nouiſſimum exemplum introductionis iuris primogenituræ in Domo Saxo-Iſenacenſi illuſtrat. Quod cæterum, maioris cautionis gratia, conſenſus Ordinum Imperii interdum adhibeatur, oſtendit DIETERICVS *ad A. B. tit. 24. et* MAVRITIVS *part. 2. conſ. Kil. 1. n. 23. ſeq.* Proinde recte quoque *ius Primogenituræ*, quod iam ob naturam fundamentalem terrarum nominatarum eſt fœmineum, *Sanctione Pragmaticæ ſine Confirmatione et Conſenſu Imperii ſtabiliri in* AVGVSTISSIMA DOMO AVSVRIACA poteſt. Ac ſi et-

ſi etiam reliqui Status Imperii in primogeniturae introductione confirmationem Imperii adhibere tenerentur: tamen *argumento Capitulationum* LEOPOLDI *art. 30.* IOSEPHI *art. 29. et* CAROLI VI. *art. 11.* IMPERATOR primogenituram in Suis Feudis Imperii ſine Conſenſu et Confirmatione Imperii ordinare poſſet. Namque in enumeratis Capitul. articulis continetur, quod SVA MAIESTAS CÆSAREA *Feuda Imperii ſine Conſenſu Statuum nemini tradere velit, exceptis terris Auſtriacis* hæreditariis, prouti verba ſonant: doch Uns, wegen Unſerer Erblanden, Rechten und Freyheiten unſchädlich. Quo ex hoc argumentum duco, quod ſine Conſenſu adeoque ſine Confirmatione Statuum IMPERATOR terras Suas hæreditarias in quemuis transferre queat. Atque vero cum per ea, quæ diximus, *Feuda Imperii Auſtriaca ſua natura ſunt fœminina:* conſequitur, vt ea *in fœminam, atque adeo quoque in Filiam Suam Primogenitam*, SVA MAIESTAS CÆSAREA *transferre* eique ius indiuiduitatis terrarum concedere iure *queat ſine Imperii Confirmatione.* Atque ob hanc rationem prudenti conſilio SVA MAIESTAS CÆSAREA ab Imperio non Confirmationem *Sanctio-*

ctionis, ſed duntaxat *Guarantiam*, requiſiuit obtinuitque.

§. 42.

Nec confirmatione Statuum et ditionum haereditariarum.

Quanquam itaque exploratum nobis ſit, quod SVÆ MAIESTATI CÆSAREÆ ſine vllo Statuum Imperii conſenſu et confirmatione licuerit ius primogeniturae foemineae et indiuiduitatis terrarum haereditariarum, intra Circulos Germaniae ſitarum, in *Domum Auſtriacam* non dicam introducere ſed ſtabilire: ſcrupulus tamen reſidere aliquis poteſt, annon Statuum Prouincialium conſenſus requiratur? Equidem inficiandum non eſt, quod, diſſentientibus Statibus, qui, ſub certo pacto et lege ſucceſſionis, cuidam Principi ſumma iura detulerunt, illa lex ſuccedendi, inuitis Statibus non mutanda, ſed ſeruanda ſit (arg. §. 223.). Itaque ratio conſtitutionis terrarum et an lex ſuccedendi exiſtat, habenda eſt, et praeterea in cauſam, ob quam alius ſucceſſionis ordo a Principe conſtituatur, conſideratio intendenda.

§. 43.

Quando Princeps

Quodſi terrae, quas Princeps in ſua poteſtate et ditione tenet, ſunt

allo-

allodiales, aut Feuda hæreditaria, aut ſi iure belli acquiſita, aut ſi conſeruatio et ſalus publica mutationem ſucceſſionis requirat: tunc mea quidem ſententia, *penes Principem facultas eſt, quemuis ſucceſſionis ordinem, et* ex conſequenti etiam *ius primogenituræ fœmineæ, inſtituendi, ſine adbibito Statuum conſenſu.* Has ſpecioſas cauſas habeo, illas quidem iuſtas.

poſſit ſine Ordinum conſenſu quemuis ordinem ſuccedendi, adeoque et fœmineum introducere.

1. Quod natura terrarum allodialium aut Feudorum mere hæreditariorum facultatem alienandi, et ita quemuis ſucceſſorem ſibi eligendi, poſſeſſori eiusmodi terrarum largiatur; vti iuris Feudalis doctores vno ore confirmant et in eo conueniunt, quod *Feuda hæreditaria* ea *ſint, in quibus ordine ſucceſſionis allodialis ſiue ciuilis ſucceditur ita, vt ex diſpoſitione vltimi poſſeſſoris ad quemcunque, etiam extraneum hæredem, peruenire queant.* STRVV. in Syntagm. iur. feud. cap. 4. §. 12. VVLTEIVS in Libris de feudis Lib. I. c. 8. n. 25. DNVS FLEISCHERVS in Inſt. iur. feud. cap. 4. §. 61.

2. Quod idem liceat Principi, qui iure belli terras ſibi vindicauit, ex ſtatu belli patet; Victor enim in cauſa ſucceſſionis in Regnum

victoria acquirit iura imperantis (§. 237.), ob eamque cauſam praeſcribere quoduis, quod non contra conſeruationem reipubl. eſt, poteſt (arg. §. 28.) quid? quod iure belli in Imperantem ius omne abſolutum ac plenum tranſit, populo de Imperii et ſuperioritatis iuribus non tantum non participante, ſed et nulla penes ipſum iuris parte manente, vt probat HOVTVYN in *Politica generali contracta* in notis ad §. 28; ego vero latius deduxi et argumentis confirmaui firmioribus in paragrapho 261. Iuris publici vniuerſalis; atque ita etiam ordinem eum ſuccedendi, qui conſeruationi non aduerſatur, qualis praecipue ſucceſſio ſecundum ordinem primogeniturae eſt, victor ſtabilire poteſt isque ſolus, dum nec quidquam iuris in cauſa ſucceſſionis penes populum eſt (arg. §. 261.).

3. Quod penes Imperantem ſolum, ob ius gubernandi Rempublicam (§. 25.), ius conſeruandi eandem eſſe oporteat (§. 28.), nec non ſaluti publicae proſpiciendi (§. 85.). Si itaque finis alicuius Sanctionis conſeruatio Reipubl. et ſalus eſt, facultas huius generis ſanctionem ferendi denegari Principi nequit.

§. 44.

Iam ad terras omnino omnes, ad AVGVSTISSIMAM DOMVM AVSTRIACAM pertinentes, ſi non omnes hæ tres proprietates coniunctim adaptari, certe vna aut altera, poſſunt. Nempe enim pars terrarum hæreditariarum Auſtriacarum ſunt feuda hæreditaria, pars bello occupata paceque obtenta; accedit, quod *ob hanc cauſam gloriandam* BONO PVBLICO NATVS IMPERATOR *Sanctionem confecit, qua nexus terrarum*, vti hucusque, ita in poſterum, *conſeruetur.* Ea Feuda, quæ IMPERATOR intra Circulos Germaniæ tenet, eſſe mere hæreditaria, aut illas terras, quæ non ſunt Feuda, Allodiales, ex eo probare licet, quod, beneficio *Confirmationis Priuilegiorum* CAROLINÆ *Archiduces Auſtriæ ius terras ſuas hæreditarias Germanicas alienandi habent.* Alienandi autem ius proprietas terræ aut Allodialis aut Feudalis mere hæreditariæ eſt. Quapropter manifeſta ac conceſſa res eſt, quod terræ *Domus Auſtriacæ*, Circulis Germaniæ incluſæ, mere hæreditariæ haberi queant.

Antecedentis generalis ſententiæ adplicatio ad terras Auſtriacas.

§. 45.

Quando ratio terrarum ita comparata eſt, tunc ad ordinem ſuc-

Hinc Imperator ſolius

ces-

in terris hæreditariis Auſtriacis ſine Statuum earundem conſenſu Sanctione ordinem ſuccedendi firmare potuit.

ceſſionis quem in iure ciuili præceptum videmus, Principes eam ob cauſam, quia ſupra leges ciuiles ſunt, non obligantur (§. 47.). Ac cum præterea in iure publico vniuerſali aut Gentium de ordine ſuccedendi nec quidquam ſancitum ſit: reſidua *Principi* hæc *poteſtas eſt in terris mere hæreditariis, vt ipſe poſſit ordinare, quem ſucceſſionis modum adhibere velit.* Quocirca in terris Auſtriacis, in Germanicis circulis contentis, IMPERATORI eandem facultatem legitime tribuere licet. Ac quoniam ordo ſuccedendi argumentum vniuerſum *Sanctionis Pragmaticæ* eſt, etiam illa SANCTIO CAROLINA *ab arbitrio ſolo* IMPERATORIS *proficiſci iure potuit, quod ad terras modo nominatas, ſine vllo eorundem terrarum Statuum conſenſu.*

§. 46.

Nec obeſt exemplum Rudolphi et Matthiæ, qui conſenſum Statuum requiſiuerunt.

Huic ſententiæ contradicere videtur exemplum RVDOLPHI et MATHIÆ, qui conſenſum Statuum Auſtriacorum adhibuerunt, cum hic FERDINANDO Auſtriam cederet. Verum hoc non ex obligatione quadam, iuribus Statuum re-

reſpondente, ſed potius ex cautione, factum eſſe, ex eo pateſcit argumento: RVDOLPHO et MATHIA conſentientibus, vt FERDINANDVS Auſtriam regeret, idem fuit, ac ſi abdicaſſent iuri ſuo, (quod Principi cuiuis licet,) (§. 216.) Auſtriam regendi. Itaque ratione FERDINANDI vna eademque res erat, ac ſi nemo ex *Familia Auſtriaca*, qui ius ipſo viuente, haberet ſuccedendi, reliquus fuiſſet (§. 219.). Quod ſi autem nec quisquam *Archiducum Auſtriacorum* ſuperſtes fuiſſet, niſi FERDINANDVS, FERDINANDVS ſine conſenſu Statuum Auſtriacorum in Auſtria iure ſuo ſuccedere potuiſſet. Quapropter *non obligatio adfuit, vt in illa Ceſſione Auſtriæ* FERDINANDO *facta conſenſus Statuum Auſtriacorum adhiberetur.* Ex quo cogi puto, quod in eo caſu, vbi ille, qui ius ſuccedendi a natiuitate habet, ſuccedit, penes Status et penes quemuis populum, nec vllum ius ratione ſuccedendi ordinis huius eſſe poſſit. Quoniam omnium Principum permagni intereſt firmiter eſſe hanc rem ſtabilitam et communitam, quod penes ordines aut populum nullum ius reſideat, quod ad ordinem ſuccedendi, ſi Principes, qui ius ſuccedendi ex lege ſucceſſoria habent, ſibi inuicem cedunt iura aut renunciant; placet ad maio-

rem

rem huius rei confirmationem addere has rationes: Fundamentum primum ſucceſſionis hereditariæ et diuerſorum ſucceſſionis modorum eſt pactio cum populo facta expreſſa vel tacita de ordine ſuccedendi (§. 215.) ergo non poteſt facto vnius partis paciſcentis lex ſucceſſoria ſeu hoc pactum ſucceſſorium tolli (arg. §. 53.), ideoque conſenſus partium paciſcentium adeſſe et alteri ius ſuum quæſitum ſaluum manere debet (§. 210.). Hoc iure ſuo ſuccedendi, ſi quis Princeps vtatur, cum nemini faciat iniuriam (arg. §. 28.): multo minus non vtendo iure ſuo ſuccedendi Princeps cuidam facere iniuriam poteſt; ob eamque cauſam, quia is, qui cedit aut renunciat iuri ſuo ſuccedendi, nihil aliud agit, quam quod non vtatur iure ſuo ſuccedendi, non poteſt populo aut ſtatibus iniuria ceſſione aut renunciatione fieri. Quocirca ſi populi aut ordinum conſenſus ad ceſſionem aut renunciationem non adhibetur, de iniuria populus queri non poteſt; conſenſus populi ad eiusmodi ceſſiones et renunciationes ideo cenſendus non neceſſarius, quia vi pacti primi adhuc tenetur alteri, quem ordo ſuccedendi poſt ceſſionem et renunciationem vocat, ſaluum relinquere (§. 71.).

§. 47.

§. 47.

Contra ſucceſſionem primogenitæ Carolinæ proteſtari legitime non poſſunt Status prouinciales.

Secundum quam ſententiam Statibus prouincialibus Auſtriacis non fieret iniuria, ſi PRIMOGENITA CAROLINA, Renunciatione iam ab ARCHIDVCISSIS FILIABVS LEOPOLDI et IOSEPHI facta, ſine eorum conſenſu requiſito, in poſſesſionem terrarum Auſtriacarum, beneficio *Sanctionis*, aliquando iret. Quodſi Status prouinciales terrarum Auſtriacarum hæreditariarum contra hanc *Sanctionem* ex eaque Primogenitæ competentem ſuccesſionem Proteſtatione tueri ſe vellent, illa Proteſtatio illegitima foret; propterea quod Proteſtationes validæ et legitimæ primum ponunt iniuriam quandam proteſtanti imminentem aut factam (arg. §. 231.). Quorum itaque Statuum prouincialium conſenſum adhibere in ſecuritatem *Sanctionis* IMPERATORI placet, iſtud magis cautionis, quam neceſſitatis.

§. 48.

Quo iure Regna Hungariæ et Bohemiæ, terræ Belgicæ et Italicæ ad

Quod ad naturam fundamentalem Regnorum Hungariæ et Bohemiæ terrarumque Italicarum et Belgicarum, illa iure hæreditario per fœminas ad Domum Auſtria-

cam

domum Auſtriacam peruenerint? cam peruenerunt, hæ eodem iure olim Domui Auſtriacæ et Hiſpanicæ obtigerunt, ſed ab *hodie regnante* AVGVSTISSIMO IMPERATORE bello et pace, Fortitudine et Conſtantia, vindicandæ fuerunt.

De terris Belgicis et Italicis.

§. 49.

Belgium Hiſpanicum Imperator etiam ex pace Badenſi accepit ſecundum ordinem ſuccedendi Sanctione ſtabilitam.

Quantum ad ius SERENISSIMAE DOMVS AVSTRIACAE in terras Italicas et Belgicas, illud Pax Raſtadienſis et Badenſis ita exponit, vt iſtud, quod *Sanctioni* repugnans falſo creditur, potius congruens et conueniens eidem ſit. Ope *Art. 19. Pacis Badenſis*, Belgium Hiſpanicum ex hæreditate Hiſpanica cecidit in ſortem SERENISSIMAE DOMVS AVSTRIACAE *iuxta ſucceſſionis ordinem in* DOMO AVSTRIACA *receptum.* Iam vero annus et vltra fuit ante Pacem Badenſem, cum ius primogenituræ fœmineæ in DOMO AVSTRIACA plurium Imperatorum Conſtitutionibus et pactis Familiæ fundatum et ab imperio 1442. 1453. 1530. conſenſu comitiali receptum prout *Acta Publica*, **Die** *Sanctionem*

Pra-

Pragmaticam betreſſend, oſtendunt;) *Sanctione* declararetur atque ſtabiliretur publice. Quare *Belgium Hiſpanicum* iure belli, pace finiti iureque hæreditario fundati, IMPERATOR *accepit ſub eodem ſuccedendi modo et ordine, qui anno 1713. 19. Aprilis publice declaratus fuit*, id eſt, *ſub iure ſucceſſionis Fœmineæ, deficientibus maſculis, et quidem, ſecundum Primogenituræ ordinem.*

§. 50.

Nec obſtat, quod nulla mentio Sanctionis in pace Badenſi facta.

Nec aſſeri poteſt, quod non adeo nota hæc Declaratio tempore concluſæ Pacis Badenſis fuerit; quoniam paucos ante menſes, prius quam pax Badenſis facta, ordo ſucceſſionis declaratus fuerit, cum hæc declaratio menſe Aprilis 1713. facta, et Inſtrumentum Pacis Badenſis menſe Septembris 1714. concluſum et ratificatum fuit; intra quod temporis ſpatium res tam magni momenti Europæ omni exploratiſſima fuit certe. Vbi autem quidquam cuidam notum eſt et tacet, quando loqui ei incumbit; tunc hoc ſilentium pro conſenſu habendum, non tam ex principiis iuris ciuilis, quam ex regula iuris naturæ et Gentium communi, quam etiam iuris naturæ ac Gen-

tium Princeps GROTIVS *de I. B. et P. lib. 2. cap. 4. §. 5.* ita exprimit: *Qui ſciens et praeſens tacet, videtur conſentire*, quam regulam rationibus confirmaui §pho 233. Proinde, quamuis nec vlla mentio *Sanctionis* in Pace Badenſi facta: tamen hoc ſilentium Pangentium pacem ita interpretandum erit, vt, cum, ſecundum ordinem in *Domo Auſtriaca* receptum, ſucceſſionem in Belgio Hiſpanico ordinare voluerint, eo ipſo ſucceſſio, anno 1713. declarata et renouata, intelligenda ſit. Pro praeſentibus enim Paciſcentes Pacis Badenſis habendi, ſiquidem Legati ipſorum eo, quo ordo ſucceſſionis declaratus fuit, tempore, Viennae commorantes, Principes ſuos, tanquam praeſentes, repraeſentauerint. Hanc declarationem ſciuerit quilibet Princeps, oportet, propterea quod, vt eadem ad notitiam Europae omnis perueniret, illa Inſtrumento ſolenni declarata et in monumenta publica relata eſt; quod quidem atteſtantur *artic. 12. Tractatus Viennenſis Caeſareo Hiſpanici de anno 1725.* nec non *artic. 2. Tractatus inter* SACRAM CAESAREAM MAIESTATEM et MAIESTATEM MAGNAE BRITANNIAE *anno 1731. Viennae initi.*

§. 51.

Quoniam ergo pro eo, ac Inſtrumenta publica ipſa loquuntur, *declaratio* IMPERATORIS de ordine ſuccedendi in *Domo Auſtriaca* in publica Inſtrumenta relata: *non poteſt haberi priuata Domus diſpoſitio*, ſed publica. Quæ cum ita ſint: iterum iterumque ſtatuendum eſt, quod de SANCTIONE CAROLINA ſilentium Pangentium Pacem Badenſem, id eſt, æque Imperii ac Regis Galliæ, ſine vlla excuſatione, conſenſus in *Sanctionem* haberi debeat; qui hac formula: quod ſucceſſio in Belgio Hiſpanico, iuxta ordinem in *Domo Auſtriaca* receptum, fieri debeat, declaratus fuit. Quæ *Sanctio* cum ſtabiliat in *Domo Auſtriaca* ſucceſſionem fœmineam, proxime poſt Maſculos, pro ordine primogenituræ: facile eſt ad colligendum, quod *primogenitura fœminea, etiam conſentiente Pace Badenſi, in Belgio Hiſpanico locum habeat* atque ita in eo non diſſentiat, adprobetque potius huius generis fœmineam ſucceſſionem.

Sanctio eſt publica diſpoſitio et ſilentium de ea in pace Badenſi pro conſenſu habendum.

§. 52.

Eandem certo certius confirmant *Tractatus Londinenſis pro*

Ordo ſuccedendi in pa-

Belgium Sanctione declaratus conuenit tractatui Londinenſi 1718. Vienneuſi 1725. natura fundamentali Belgii, a cuius ordinibus etiam acceptatus.

pacificatione Europæ etiam cum Rege Galliæ *anno 1718. concluſus* et *Renunciatio PHILIPPI Regis Catbolici Tractatui Pacis Cæſareo Hiſpanicæ Viennenſis 1725. ſubſecuta* atque annexa. Accedit, quod ob naturam fundamentalem antiquam terrarum Burgundicarum et Belgicarum Coniugio MAXIMILIANI cum MARIA Burgundica, vnica herede dictarum terrarum ditiones Burgundicæ et Belgicæ ad *Sereniſſimam Domum Auſtriacam* peruenerint, vt diſcimus ex deductione iurium MARIAE BVRGVNDICAE apud LEIBNITIVM in *Mantiſſa Codic. I. G. Dipl. pag. 1. vsque 61.* et ex OLIVARII VREDI libro de *Sigillis Comitum Flandriæ*, in compendio vero ex Dni DIETHMARI *animaduerſione in Deductionem iurium ſucceſſionis in Ducatus Iuliæ, Cliuiæ et Montium pro Sereniſſima Domo Palatina-Soliſbacenſi ſub lit. G.* Addo, quod Status prouinciarum Belgicarum iamiam *Sanctioni Pragmaticæ* CAROLI V. *anno 1549.* ratione ſucceſſionis fœmineæ aſſenſum præbuerint, nec non voluntate ſumma hodiernam *Sanctionem* CAROLINAM acceptarint, atque ita primogenituram fœmineam conſenſu ſuo confirmarint.

Quod quidem factum ita, vt dixi, eſſe, in ipſa *Sanctione Pragmatica Viennæ 6. Xbris 1724.* litteris conſignata relatum legimus. Hanc certe *Sanctionem Pragmaticam* magnis ſolennitatibus Bruxellæ 15. Maii 1725. promulgatam et acceptatam eſſe inter alias relationes fide dignas refertur *in Appendice Tomi IV. Vitriarii illuſtrati pag. 112.*

§. 53.

Eundem ſucceſſionis fœmineæ ex iure Primogenituræ ordinem in Regno Neapolitano et Ducatu Mediolanenſi adprobant Pax Raſtadienſis et Badenſis ceterique pacis Tractus ſubſequentes.

Idem ordo ſuccedendi in terras Italicas Pace Raſtadienſi et Badenſi confirmatur.

Equidem ſecundum Pacem Raſtadienſem et Badenſem diſcrepare videtur harum terrarum ſucceſſio ab Belgica; *Inſtrumenta Pacis* enim memoratæ *Art. 19.* volunt, quod *in Belgio Hiſpanico ſucceſſio obtinere debeat ſecundum ordinem in Domo Auſtriaca receptum; in Regno Neapolitano vero et Ducatu Mediolanenſi ſuccedi debeat ita, vti tempore CAROLI II. Regis Hiſpaniarum fuerit.* Vt verbis *Inſtr. P. B.* ipſis vtamur, ſecundum *Artic. 30. relinquitur SVA CÆSAREA MAIESTAS in poſſeſſione omnium Statuum et locorum, quæ*

in Italia tenet, videlicet Regni Neapolitani, Ducatus ſimiliter Mediolanenſis - - cum omni iure, quod dictis Statibus Italiæ a SACRA CÆSAREA MAIESTATE poſſeſſis adhæret, quodque Reges Hiſpaniæ a PHILIPPO I. vsque ad Regem vltime defunctum exercuere. Verum, quod hic tantum diſcrepantia verborum, non rerum, ſit, indicat *Artic. 19. Inſtrumenti Pacis Badenſis*, in quo ſucceſſionis et iurium ratio, qua *Domus Auſtriaca* et Rex quondam Hiſpaniarum CAROLVS II. terras aliquas Belgicas poſſedit, connectuntur, adeoque *in Domo Auſtriaca* recepta, aut qualis tempore CAROLI II. fuit, pro vna eademque re habentur. Ope huius *Artic. 19.* terræ quædam Belgicæ Regi Boruſſiæ cedunt ita, vt *pertineant ad dictum Regem Principesque VTRIVSQVE SEXVS, Ipſius heredes et ſucceſſores eadem qualitate et ratione, qua Domus Auſtriaca et preſertim Rex quondam Hiſpaniarum CAROLVS II. eas poſſedit.*

Quoniam ergo Boruſſiæ Rex *Principesque vtriusque ſexus ſuccedunt* in terris quibusdam Belgicis, quando eadem qualitate et ratione, qua *Domus Auſtriaca* et Rex Hiſpaniarum CAROLVS II. eas poſſedit, easdem tenent: conſequens eſt, vt, vbicunque in Tractatibus

formula, *ſecundum ordinem ſuccedendi in Domo Auſtriaca receptum*, aut *prouti Rex quondam Hiſpaniarum CAROLVS II. terras poſſedit*, reperitur, ſub illa formula, vna eademque res intelligatur, nec alia qualitas intuitu iuris ſuccedendi, quam ius tale, ſecundum quod, deficiente prole maſcula, Fœmina proxima ſuccedere queat. Quod eius generis ordo in *Domo Auſtriaca* receptus quoque ſit, ex Priuilegiis et Conſtitutionibus plurium Imperatorum probare occupauimus.

§. 54.

Quod colligitur ex formula ſuccedendi apud Reges Hiſpaniarum recepta.

Quando etiam ſecundum ſolam Formulam, *prouti Reges Hiſpaniarum a PHILIPPO I. usque ad Regem vltimo defunctum Neapolim et Mediolanum poſſederunt*, terras has Italicas IMPERATOR teneret: IPSVM eas ita tenere, vt ad Filiam Primogenitam aliquando tranſire debeant, ex lege Hiſpanicæ ſucceſſionis manifeſtum eſt. Ordo enim ſuccedendi apud Reges Hiſpaniarum receptus, vti omni tempore, ſic etiam a PHILIPPO I. vsque ad CAROLVM II. ita fuit comparatus, vt ſucceſſio in terris omnibus ad Hiſpaniam pertinentibus fuerit Caſtiliana, ſiue, quod idem, Cognatica linealis, be-

beneficio cuius fœminæ, deficientibus maſculis, ſecundum ordinem Primogenituræ in proxima Linea ſucceſſionis capaces ſunt (§. 214.). Id quod conteſtatur exemplum ipſius *PHILIPPI I.* qui per Coniugem ſuam *IOHANNAM*, *FERDINANDI CATHOLICI* Filiam, Monarchiam Hiſpanicam cum omnibus prouinciis, etiam extra terminos Regni Hiſpaniarum ſitis, *Domui Auſtriacæ* acquiſiuit (§. 233.). Idem comprobat ac confirmat *LVDOVICVS MOLINA de Hiſpanorum primogenituræ origine et natura lib. 1. cap. 1. n. 10. Quamuis lex*, inquit, *de ſola regni Caſtellæ ſucceſſione diſponat, idem de omnibus aliis regnis, quæ regno Caſtellæ adiuncta ſunt, dicendum erit; cum, ſiue ex regnorum lege, ſiue ex conſuetudine, eundem ſuccedendi ordinem* (ſcil. ordinem primogenituræ, deficientibus maſculis, fœmineæ) *ſequuntur, vt plus quam notiſſimum eſt.* Ac quoniam Neapolis Siciliaque et Ducatus Mediolanus olim partes acceſſoriæ fuerunt Monarchiæ Hiſpanicæ, dum in iis idem ſucceſſionis ordo, qui in Regno Hiſpaniæ, fuit (arg. §. 261.): conſequitur, vt *ſucceſſio fœminea ex iure Primogenituræ in has terras Italicas optimo iure fundata* ſit (arg. §. 233.).

§. 55.

§. 55.

Vt taceam, quod diſpoſitioni SVAE CAESAREAE MAIESTATIS ordo ſuccedendi in his nominatis terris ſubiiciendus quoque eam ob cauſam ſit, quia illæ iure belli et pacis in IPSIVS poteſtatem peruenere. Quo in caſu Principi quemuis ordinem ſuccedendi inferre licet, quoniam in eius generis terras nemo niſi victor ius quæſitum habet (arg. §. 237.), ideoque nec in harum terrarum ſucceſſionem penes vllum quidquam iuris eſt; modo pace et pactis ſubſecutis non aliud quid ſtatutum ſit (arg. §. 261.); namque, ſi de ſucceſſionis ordine pactis quidquam diſpoſitum ius aliquod perfectum ſuccedendi in eos, in quorum gratiam pactio aut pax facta, transfertur (§. 32.). Diſpoſitioni IMPERATORIS vero de ordine et iure ſuccedendi in terras Suas hæreditarias pacem ſubſecutam Raſtadienſem et Badenſem non aduerſari ex ante dictis pateſcit. Conuenit quoque cum ſucceſſione, in *Domo Auſtriaca* ſtabilita, *Tractatus Londinenſis artic. I.* §. *4. et Viennenſis de anno 1725. artic. I.* §. *5.* in quibus §phis nulla diuerſitas ſucceſſionis in Regna, Prouincias et Ditiones, quæ vel quas SVA MAIESTAS CAESAREA in Italia vel Belgio poſſidet, ſed, vti Bel-

Accedit, quod dictæ prouinciæ iure belli acquiſitæ ſint.

gicæ Prouinciæ, ita vniuerſim omnia iura, Regna et Prouinciæ in Italia, quæ olim ad Monarchiam Hiſpanicam pertinuerunt, SVAE MAIESTATI CAESAREAE EIVSQVE Succeſſoribus, Hæredibus et Deſcendentibus, Maſculis et *Fœminis*, renunciantur. In Italicarum terrarum numero cum etiam Neapolis et Mediolanum reperiatur, in iisdem ſucceſsio fœminea obtineat quoque neceſſe eſt.

§. 56.

Neque obſtat, quod Mediolanum feudum imperii eſt.

Nec dixerit quiſpiam, quod ob id, quia Ducatus Mediolanenſis Feudum Imperii eſt, Fœmina ſuccedere non queat. Iam olim enim Imperator MAXIMILIANVS I. Galliarum Regi LVDOVICO XII. Eiusque liberis maſculis deficientibus, *filia CLAVDIAE*, ſi in *Familiam Auſtriacam* nuberet, Mediolanum dedit; quod ex diplomate de anno 1505. quod exhibet FRIDERICVS LEONARDVS *collect. fœder. Paris. Tom. 2. pag. 41. ſeq.* diſcimus. Quæ litteræ clientelares, beneficio Fœderis Cameracenſis, in defectu maſculorum, ad filias omnes anno 1509. extenſæ ſunt. Tandem Conſenſu Confœderatorum Ducatus Mediolanus ad familiam Sfortiadam peruenit pro eo, ac *GVICCIARDINVS in ſua Hiſtoria lib. II.* aſſerit: *Conſen-*

tiua-

tiuano tutti i Confederati vnitamente, che nel Ducato di Milano entraſſe Maſſimiliano Sforzia. Denique, ob quas rationes iuſtas Ducatus Mediolanus FRANCISCO I. ademtus, habet idem *GVICCIARDINVS lib. 13. pag. 165. et 182.* inter quas præcipua eſt, quod FRANCISCVS I. inueſtituram non petierit, adeoque Mediolanum ex cauſa Feloniæ CAROLVS V. reuocauerit et in Feudum Sforziadis contulerit, idque iure I. f. 21. pr. II. f. 23. 24. 26. c. 2. 55. c. firmiter, cum præterea FRANCISCVS iuribus in Ducatum Mediolanenſem foedere Cameracensi renunciauit. FRANCISCO II. SFORZIA nullo hærede Feudi capace poſt ſe relicto, eaque de cauſa ipſo Statu et Dominio Mediolanenſi ad Imperatorem et Sacrum Romanum Imperium pleno iure deuoluto, dictum Statum et Dominium Mediolani et Comitatum Papiæ et Angleriæ Principi PHILIPPO, Filio ſuo, CAROLVS V. in Feudum concesſit et animo bene deliberato, ſano et maturo Imperii Sacri Fidelium accedente conſilio, *Auream Bullam de iure et ordine ſuccedendi in Ducatum Mediolanenſem anno 1549.* confecit, in qua ita ordinata ſuccesſio eſt, vt, *deficiente linea maſculina, ſuccedat et ſuccedere debeat in dicto Mediolanenſi Dominio et Comitatibus Papiæ*

et

et Angleriæ cum earum pertinentiis Filia Primogenita. Quod diploma in LVNIGII Codice Italiæ P. I. pag. 535. eſt.

§. 57.

An Imperator inueſtituram Ducatus Mediolanenſis petere neceſſe habuerit?

Nec argumentum in contrarium adducatur, ſi inter alias cauſas ob neglectam inueſtituram FRANCISCVS I. Mediolanum amiſerit, cur IMPERATOR HODIERNVS in illius poſſeſſione permaneat, cum obſcurum ſit, an IPSE ſolennia inueſtituræ Ducatus Mediolanenſis vnquam celebrauerit? Eſt enim res peruulgata pro heredibus vtriusque ſexus nomine SACRÆ CÆSAREÆ MAIESTATIS, vt Archiducis Auſtriæ inueſtituram feudorum imperii iure hæreditario ad *Domum Auſtriacam* ſpectantium, et in Italia et circulo Burgundico ſitorum, adeoque ex neceſſaria conſecutione etiam Ducatus Mediolanenſis anno 1728. die 9. Aprilis re et actu factam eſſe. Ac ſi etiam inueſtitura Ducatus Mediolanenſis nondum interueniſſet: attamen ob eam cauſam intuitu Imperatoris Mediolanum, vt feudum Imperii caducum, declarari non poſſet, propterea quod, quanquam Mediolanum Feudum Imperii adhuc dum ſit, in quo ordina-

nario iure, mutato ſucceſſore, inueſtitura petenda eſt, tamen ad inueſtituram SVA CÆSAREA MAIESTAS non tenetur, vt reliqui Principes, qui Feuda ab IMPERATORE et IMPERIO tenent. In Capitulatione enim nouisſima *artic. 10.* SVA CÆSAREA MAIESTAS ſibi ita proſpexit: Wenn die Lehns-Empfängniß von Uns nicht bequemlich geſchehen könte: So wollen Wir deswegen dem Reich zu deſſen Verſicherung gebührenden Reuers und Recognition zuſtellen. Conf. MVLLERI Reichs-Tags *Theatrum Tom. I. cap. 51. pag. 495. LVNIGS Corpus Iuris Feudalis Germanici pag. 210.*

§. 58.

Quando itaque IMPERATORI non fuiſſet commodum inueſtituræ ſolennitatem celebrare, quod ad feuda Imperii in Italia et Circulo Burgundico ſita, et Imperio litteras reuerſales non denegaſſet: nullum exinde Imperio oriri potuiſſet præiudicium ſeu iniuria; propterea quod remisſio inueſtituræ, vti reliquarum terrarum, hæreditario iure ad IMPERATOREM ſpectantium, ita et Ducatus Mediolanenſis, ſum-

Imperium ipſum agnoſcit Ducatum Mediolanenſ. vt feudum Imperii fœmineum, ſecundum ordinem primogenituræ.

ſumma Imperii voluntate, facta eſt in modo citato Capitulationis Articulo. IMPERATOR enim vſus eſſet iure ſuo, et ob hanc quoque rationem imperium intermiſſione inueſtituræ nullam iniuriam accepiſſet (arg. §. 28.). Ceterum voluntatem, quod Mediolanum Feudum fœmininum ſit, Imperium clarius declarat in Pace Badenſi, dum expreſſe Ducatum Mediolanenſem, vt Feudum Imperii fœmininum, agnoſcit. Ea pax enim nomine Imperii coagmentata eſt, vt et Raſtadienſis. Ac cum in his Pacis Tractatibus ſuccesſio in terris Italicis et ſigillatim in Ducatu Mediolanenſi talis, qualis apud Reges Hiſpaniæ obtinuit, (quæ eſt fœminea ex iure primogenituræ ſecundum ea, quæ iam demonſtraui) agnita *Artic. 30.*: manifeſto tenetur, quod ea ipſa pace Imperium agnoſcat Mediolanum, vt Feudum Imperii fœmininum, ad Filiam Primogenitam IMPERATORIS, deficiente prole maſcula, deuoluendum, qualis agnitio ſufficeret etiam ſola ad legem omnem, adeoque et ſuccesſionis mutandam et ex conſequenti ad ſuccesſionem maſculinam fœmineam in Feudis Imperii maſculinis reddendam (arg. §. 44. 45. et 56.). Sed iam Ducatus Mediolanus a CAROLO V. in aurea bulla conſenſu Statuum Imperii Feudum Im-

Imperii fœmininum fuit declaratus, ideoque et vi aureæ bullæ Carolinæ, et ob factam de integro in pace Badenſi ab Imperio recognitionem, is ducatus deuoluendus ad hæredes CAROLI VI. eſt, ac quidem ad hæredes vtriusque ſexus ſecundum ordinem Primogenituræ. Proinde Mediolanum non poteſt vacare, vt cum Imperio reuniri posſit, niſi poſt defectum vtriusque ſexus (arg. §. 250.) iam demum SVA MAIESTAS CÆSAREA in 2. Artic. *Capitul.* promiſit, quod Feuda Imperii maiora in caſu vacationis reunire cum Imperio velit ad ſuſtentationem imperialis dignitatis; quare Sanctio, quæ in defectu maſculini ſexus filiam primogenitam ad ſucceſsionem vti reliquarum terrarum, ita et ducatus Mediolanenſis vocat, non pugnat contra artic. 2. CAPITVL. CAROL. Filia autem ſuccedere præ imperio in Mediolanum poteſt; eam ob cauſam, quia is Ducatus ex hæreditate Hiſpanica ad CAROLVM VI. peruenit, non quia IMPERATOR, ſed quia fuit Proximus, ſanguine Regibus Hiſpaniæ coniunctus.

§. 59.

Ex quo colligendum, quod Domui Auſtriacæ, non Imperio, do- *An Mediolanum do-*

mi-

manium Imperii ſit? minium vtile Ducatus Mediolanenſis competat, quodque adeo *Ducatus Mediolanenſis, vt Domanium Imperii, haberi nullo modo queat.* Quodſi enim Domanium Imperii foret, tunc dominium vtile Ducatus oporteret ad IMPERATOREM, quatenus Caput Imperii, pertinere, non quatenus Princeps Domus Auſtriacæ. Quod autem IMPERATOR, quatenus Princeps Domus Auſtriacæ, poſſeſſionem, vti omnium terrarum Italicarum, ita quoque Ducatus Mediolanenſis, pace obtinuerit, indicat *Artic. 30. Pacis Badenſis;* in qua Rex Galliæ promittit, *quod in hac poſſeſſione* (ſcil. terrarum Italicarum et ſigillatim Ducatus Mediolani) IMPERATOREM et DOMVM AVSTRIACAM *neque directe neque indirecte vnquam turbare aut ſub quocunque prætextu vel quocunque modo inquietare velit nec poſſeſſionem vllatenus impedire, quam* SVA SACRA CÆSAREA MAIESTAS *et* DOMVS AVSTRIACA *habet.* Ex quo ſatis clare abundeque patet, *quod* IMPERATOR *et* DOMVS AVSTRIACA, *non* IMPERIVM, *terrarum Italicarum dominium vtile et poſſeſſionem habeat.*

§. 60.

§. 60.

Domus Auſtriacæ fœmineæ in Ducatum Mediolanenſem ſucceſſioni opponi non ignoro, tunc, quando Filia IMPERATORIS Primogenita in matrimonium eat, hunc Ducatum in manus Peregrini ſcil. Coniugis venturum; cum tamen hæc terra æque, ac Monarchia Hiſpanica, peregrinum Succeſſorem non patiatur. Verum quod Ducatus Mediolanenſis Coniugem Primogenitæ non admittat, nego, iterumque pernego quod Coniuges fœminarum, quæ ius ſuccedendi habent, Peregrini in legibus, vt vt per ſe Peregrini ſint, habeantur; niſi expreſſe cautum legibus ſit, quod illi, qui peregrini ſanguinis ſunt, iure coniugis, quæ ad ſucceſſionem alias admittitur, ſucceſſionis non capaces ſint, vti in Portugallia lege fundamentali Lamecenſi anno 1181. ita ſucceſſio definita, vt filiæ extraneo nuptæ non ſuccedant, vti habet huius legis artic. 5. *Sit iſta lex in ſempiternum, quod prima filia Regis accipiat maritum de Portugalle, vt non veniat Regnum ad extraneos.* Quod vero Ducatus Mediolanenſis coniugem Primogenitæ, cuiuſuis gentis ſit, ad ſucceſſionem vocet, id ex eo inter alia manifeſtum eſt, quod Mediola-

Ratione Ducatus Mediolan: Coniux Primogenita, non eſt peregrinus.

num Territorium dependens ab Hiſpanica Monarchia fuit quondam, dum huius Regni Conſtitutionem ſecutum eſt ex *Aurea Bulla* CAROLI V. (arg. §. 261.). Nunc vero Principes Auſtriæ, quamuis per ſe Peregrini intuitu Hiſpaniæ, ob Coniugium PHILIPPI AVSTRIACI olim in Hiſpanicam Monarchiam ſucceſſerunt; quare non video, quas quis rationes proferre in medium poſſit, quo minus CONIVX FVTVRVS PRIMOGENITÆ FILIÆ CAROLINÆ cuiusuis nationis ſit, ius ſuccedendi in Ducatum Mediolanenſem habeat.

§. 61.

Coniux in ſucceſſione non habetur peregrinus, vnde non obſtat lex Hiſpaniæ ſucceſſionis, quæ peregrinum excludit.

Hoc quidem verum eſt profecto, quod ad ſucceſſionem Regni Hiſpaniarum ob Conſtitutiones Regni Peregrinis aditus non pateat. Sed hoc ita intelligendum, vti *le BARON DE LISOLA dans ſon Bouclier d' Etat et de Iuſtice* interpretatur *pag. 83.* ſcil. quod proprium Regem Regnum habere velit, non eum Peregrinum, qui alieno Regno vnire aut incorporare Hiſpaniam ſe poſſe præſumat. Verba huius Pragmatici, cui facilis, vt opinor, fides erit, ſunt: *Vne*

des

des plus anciennes conſtitutions de la Monarchie d' Eſpagne, ſur laquelle ils mettent tout le Fondement de leur domination, eſt, que le Royaume ſoit inalienable, qu'ils vivent toujours ſous leurs propres Rois, et que leur Couronne ne puiſſe etre annexée ny incorporée à aucune autre.

Atque hæc Lex Fundamentalis cauſa atque fons fuit, cur coniunctio Regni Hiſpanici et Gallici ſubſecutis Pacis Tractatibus interdicenda et interdicta fuit *in Artic. 1. §. 2. Tractatus Londini 1718. concluſi.* Hæc vero lex non impedit, quo minus, vti Monarchia Hiſpanica, ita terræ Italicæ, quas quondam in Sua poteſtate ac ditione Reges Hiſpaniæ tenuerunt, ad Coniugem ſuum fœminæ transferre queant. Namque in Iure et Publico et Feudali translatio terrarum in Coniugem, in quas ſuccedendi fœminæ ius habent, non habetur alienatio in peregrinum. Quod eius generis translatio non habeatur alienatio in peregrinum, hoc duco argumentum: Secundum ius publicum vniuerſale Imperantes, quamuis poteſtatem ciuilem omnem habeant in republ. tamen non habent ius rempublicam in peregrinum alienandi (§. 201.); niſi expreſſe ipſis hæc poteſtas lege Imperii conceſſa eſt (§. 205.). Eadem ratio eſt Feu-

dorum, quæ ſecundum ius feudale omne a Vaſallo alienari in peregrinum non queunt; niſi itidem ſigillatim hoc ius ſibi reſeruauit Vaſallus. Iam vero in Regnis ſucceſſoriis fœmininis et in Feudis fœmininis transferri terras ad maritos, quamuis peregrini ſint, vides. Ex obſeruantia Gentium et conſuetudine prouinciarum; quam ex facta mariti ſuccesſione in regna et prouincias, in quibus fœminæ ius ſuccedendi habent, colligere licet (§. 233.) de conſuetudine in Belgio teſtatur PETRVS GVDELINVS de *feud. P. III. cap. 5. 11. 12.* quod ibi coniuges in feudis fœmininis ſuccedant. De Auſtria teſtatur *Chronicon Zvvetlenſe ad annum 1253.* De Bohemia et terris incorporatis COSMVS PRAGENSIS *Lib. I. in principio Chronici Bohemici.* De terris Italicis in ſolo Longobardico ſitis paulo ante argumenta protuli, ſigillatim de Regno Neapolitano et Sicilienſi MARC. ANTON. MARCELLVS de *iure ſaculari Romanor. Pontificum cap. 13.* Quod in Hungaria coniux ſuccedendi ius habeat exemplum Sigismundi, qui ob matrimonium cum ANNA IAGELLONICA in Hungariam ſucceſſit, oſtendit (§. 233.), vt et exemplum ALBERTI cum filia SIGISMVNDI, quem Ordines Regni quoque vt legitimum Regni ſucceſſorem

agno-

agnouerunt, vt indicant literæ Reuerſales de anno 1439. Quæ conſuetudo igitur, cum in omnibus terris hæreditariis Auſtriacis firmiter fundata, quod coniux in eas ſuccedendi ius habeat, non poteſt, quod ad feuda ad Domum Auſtriacam pertinentia textus I. Feud. 15. et 2 Feud. 13. quibus coniux a ſucceſſione Feudali excluditur, obſtare. Conſuetudo enim et obſeruantia certa derogat iuri ſcripto contrario anteriori, ob id, quod conſuetudo et obſeruantia vim legis habet (§. 141.), quam iuri et legibus prioribus contrariis derogare, iuris expediti eſt: Quocirca *in Iure Publico et Feudali translationes terrarum in maritos non habentur translationes in peregrinos.* Hinc cum terræ Italiæ, et Ducatus Mediolanus ſigillatim, Filiam Primogenitam vltimi Poſſeſſoris maſculi ſuccedere ſinant, eorum translatio in coniugem non poteſt translatio in peregrinum haberi et ex obſeruantia antiquâ et certa non poſſunt non quoque ad Coniugem Primogenitæ legitime transferri.

De Regno Bohemiæ et terris incorporatis.

§. 62.

De natura fundamentali Regni Bohemiæ et Sileſiæ intuitu ſucceſſionis.

Eodem, quo in his terris Italicis, ordine, ſuccedendum quoque in Regnum Bohemiæ cum ſuis terris acceſſoriis, nempe enim Sileſia, Morauia etc. eſt. Quod Sileſia eandem naturam fundamentalem, quam Bohemia, habeat, iſtud teſtantur Chartæ Subiectionis, quibus terræ Sileſiacæ ſingulæ libera voluntate Poſſeſſorum incorporatæ fuerunt Bohemiæ; quæ Chartæ ſunt in **Lünigs/Reichs Archiv** *in contin. 1. ſpic. Eccl. 278. 279. in Suppl. vltim. 280. Part. ſpec. Contin. 1.* **unter Schleſien** *281. 282. 283. 284. 285. 288. 289. 292. 294. 234. Part. ſpec. Cont. 2. 304. 305. 307.* Vniuerſalis Sileſiæ incorporatio eluceſcit ex Transactione inter Regem Bohemiæ IOHANNEM et Regem Poloniæ CASIMIRVM anno 1335. facta, nec non ex Diplomate CAROLI IV. de anno 1355. quo iterum Sileſia Bohemiæ fuit plene incorporata, Eiusdemque ſubſecuta Conſtitutione, quod Sileſia et Marchionatus Luſatiæ perpetuo Regno Bohemiæ ſint indiuiſibiliter coniun-

iunctæ; quæ Conſtitutio reperitur in *GOLDASTI appendice Commentariorum de Iuribus ac Priuilegiis Regni Bohemiæ pag. 83. ſeqq.*

§. 63.

De incorporatione terrarum eadem natura fundamentalis colligitur.

Ex terrarum incorporatione ſequi, vt eandem Conſtitutionem fundamentalem, quam terra principalis habet, territorium incorporatum conſequatur, hoc pateſcit ex ea, quam animo conſignatam habemus, incorporationis notione; quippe quæ nihil aliud ſignat, quam terram aliquam in eum ſtatum redigere, vt induat eandem naturam fundamentalem, quæ in illa, cum qua eſt vnita, republ. ineſt (arg. §. 261.).

§. 64.

De natura fundamentali Morauiæ et terrarum affinium intuitu ſucceſſionis.

De Morauia et quibusdam terris affinibus, quod ibidem ordo ſuccedendi fœmininus, iam ab antiquioribus temporibus, locum habuerit, nemini ſcrupulus reſidere vllus poteſt ob id, quod Marchionatus Morauiæ, Ducatus Oppauiæ et reliquæ ad *Sereniſſimam Domum Auſtriacam* pertinentes, terræ vicinæ ſunt Feuda hæ-

reditaria fœminina Regum et Regni Bohemiæ; quod quidem *declaratio CAROLI IV. anno 1348. facta* oſtendit, *quæ eſt in Supplemento actorum publicorum ex BALBINO;* et confirmat quoque *VITI ARENPECKII Chronicon Auſtriacum ad annum 1421.* quod *SIGISMVNDVS Rex Romanorum et Hungarorum vnicam filiam ſuam ELISABETHAM Duci ALBERTO in matrimonium copulauerit et pro dote filiæ Marchionatum Morauiæ dederit et iure hereditario eum et poſteros ſuos illo inueſtiuerit.* Si paucis itaque nos, ratione terrarum harum acceſſoriarum, expedire volumus, oſtendendum nobis ſolum de Regno Bohemiæ, vt terra principali, erit, quod ibidem, deficiente prole maſcula, fœminæ ſucceſſerint iuſte hactenus, ideoque et hodie in defectu ſexus maſculini legitime ſuccedere queant.

§. 65.

Exempla probantia, quod fœminæ earumque coniuges ius ſuccedendi in regnum Bo-

Ex Hiſtoriarum monumentis ſatis ſuperque notum eſt, quod Regnum Bohemiæ ad fœmininum ſexum tranſierit. Exemplo nobis ex antiquioribus temporibus ſit LIBVSSA, quæ CROCO Patri, ſine virilis ſexus prole defuncto, in Bohemi-

hemiam ſucceſſit, tanquam vna legitimaque Hæres Regni, vt loquitur ALEXANDER GVAGNINVS et conteſtatur inter alios ÆNEAS SYLVIUS *in Hiſt. Boh. lib. 1. in fine.* Quæ LIBVSSA PRIMISLAVM maritum ſibi et Regni Hæredem fecit; quem quoque iure vxorio ad principatum perueniſſe oſtendit ZASIVS in *tract. de Feud. part. 5. n. 29.* et ex Hiſtoricis Bohemicis confirmant vno ore *COSMVS PRAGENSIS lib. 1. in princip. Chronici Bohemici, KRANZIVS, SYLVIVS aliique plures.* Nec putet quisquam exempla nihil iuris probare ob eamque cauſam hoc exemplum LIBVSSÆ non poſſe probare ius ſucceſſionis fœmineæ in Regno Bohemiæ. Verum ego contra puto et cenſeo exempla eiusmodi tam firmiter euincere ius aliquod, quam eæ probationes certæ ſunt, quæ in debitis circumſtantiis a poſteriori ducuntur. Namque dum exemplum ſucceſſionis fœmineæ in regno aliquo extat, id indicat fœminas non ſolum habere facultatem ſeu ius ſuccedendi, ſed etiam talem facultatem ſeu ius in actum deductum eſſe populo conſentiente; quod colligendum ex diſſenſu non declarato (§. 233. et 33.). Vt vero iſtius, quod exſtitit, veritatem nemo ſanus in dubium vocare poteſt: ſic

bemiæ habeant.

quoque exempla ſucceſsionis fœmineæ in Regno Bohemiæ planum faciunt fœminas ius ſuccedendi in Regnum habere, quod inter alia exemplum LIBVSSÆ ſatis ſuperque oſtendit, quæ cum marito ſucceſsit iure hæreditario in Regnum, ordinibus non diſſentientibus, adeoque conſentientibus (§. 233.). Iam cum quoque per fœmininum ſexum Regnum Bohemiæ in ipſam Domum Auſtriacam illatum fuerit, et ex hoc iure vxorio Auſtria per aliquod ſecula hoc Regnum rexerit: non video, quid ſit cauſæ, cur non hodie eadem ratione in id Regnum ſuccedi debeat, et cur non per Fœminam Primogenitam, extinctis maſculis, hocce Regnum in Coniugem transferri queat?

§. 66.

Huic ſucceſſioni non repugnat ordo ſuccedendi in Electoratus, qui fœminas excludunt.

Equidem repugnare ſucceſsioni fœmineæ in Regno Bohemiæ videtur ordo ſuccedendi in Electoratus, in quos nemo, niſi maſculus, ſuccedere iuraque electoralia exercere poteſt. At ego exiſtimo, quod Bohemia intuitu obligationis, qua alii Electoratus tenentur, non poſſit, vt Electoratus ſemper conſiderari, ſed potius ratione iurium Electoratibus annexorum.

Quod

Quod a reliquis Electoribus ad Regem Bohemiæ ex ea parte, quatenus obligationes in cenſum veniunt, non poſſit tuto argumentum duci, indicat *A. B. cap. 6. 7. 8.* vbi Reges Bohemiæ a pluribus obligationum vinculis, quibus alii Electores tenentur, vindicati ſunt. Proinde ex eo, quod Poſſeſſores reliquorum Electoratuum maſculi eſſe debeant, non ante hæc concludi concluſio poteſt, quod etiam Succeſſorem Regni Bohemiæ maſculum oporteat eſſe, quam hoc probatum eſt, leges et Imperii et Regni Bohemiæ, Regem Bohemiæ maſculum poſtulare. Quod hucusque nemo vnus probare potuit, nec in poſterum poterit, cum facile oſtendam, fœminas ius ſuccedendi in regnum Bohemiæ omni tempore ſaluum retinuiſſe.

§. 67.

Fœmina in ius eligendi Imperatorem ſuccedere non poteſt.

Nunc quidem in Germania moris non eſt, vt fœmina in ius eligendi Imperatorem ſuccedat idque exerceat; ob eamque cauſam fit, vt, quando Elector ſub tutela eſt, Tutor legitimus, vel potius Adminiſtrator Iurium Electoralium, quidam Agnatorum ſit; Mater vero, nomine Filii ſui Minorennis, iura territorialia exercere at-

que

que educationi præeſſe queat. Secundum ſententiam illuſtris COCCEII diſtinguentis in diſſert. *de tutela illuſtrium* Sect. 3. n. 7. ſq. inter tutelam officii Electoralis et perſonæ terrarumque Pupilli. Cui ſententiæ adeſt exemplum in Domo Bauarica, in qua ſecundum pactionem inter FERDINANDVM III. et MAXIMILIANVM Electorem anno 1647. factam, quam *L' Hiſtoire des Traités Tom. 2. p. 203.* indigitat, *ALBERTVS* Patruus Electoris partes, nomine Minorennis Electoris, gerebat publicaque Imperii negotia adminiſtrabat, vti ex ſubſcriptione *R. I. de anno 1654.* pateſcit; Mater vero prouinciis atque educationi præerat. In quo caſu iterum ſingulare ius præ aliis Electoratibus extat in Regno Bohemiæ, quod exercitum eo, quo CAROLVS V. in Imperatorem eligebatur, tempore, fuit. Hunc Imperatorem eligendi ius non exercebat proximus Agnatus Regis Bohemiæ minorennis, vti, quando reliqui Electores Minorennes ſunt, ſecundum *A. B. cap. 7. §. 4.* fieri et debet et ſolet, ſed Status Regni Bohemici, nomine ipſorum Regis Minorennis LVDOVICI, has partes in ſe ſuſcipiebant.

§. 68.

Sed tamen Status regni Ex hoc, quod Status Regni Bohemiæ ius eligendi Imperatorem, quan-

quando illorum Rex Minor annis eſt, habeant, argumentor, quod nihil impediat, quo minus, quando fœmina in Regnum ſuccedat, Status Regni interim iura Electoralia Regno connexa exercere queant, donec iura Regni in Maritum translata. Poſſe vero iure transferri iura Regni Bohemiæ ad Maritum, huius rei exempla in Hiſtoriæ Bohemicæ Scriptoribus reperire plura licet. Hac de re Coniugium PRIMISLAI et LIBVSSÆ ex antiquitate iam iam protuli; inſtar omnium vero exemplorum vnum Coniugium FERDINANDI I. cum ANNA IAGELLONICA, filia LADISLAI Regis Hungariæ et Bohemiæ, ſit, quo Coniugio poſt mortem LVDOVICI, ad Mohazim interemti, præter Regnum Hungariæ etiam Regnum Bohemiæ iure hæreditario fœminino plene in Auſtriam peruenit; prouti SLEIDANVS, HEVTERVS, THVANVS aliique hiſtoriarum Scriptores conteſtantur. Ac ne dubites de iure FERDINANDO iam legitime quæſito, *legas diſpoſitionem LADISLAI de anno 1502. in qua ANNA, deficiente prole LVDOVICI, Heres Regni declarata*; quam diſpoſitionem reperire licet in

Bohemiæ, donec fœminá ſuccedens iura Regni in maritum transtulerit, quod iure fieri poteſt.

Lün

Königs teutſchen Reichs Archiv *part. ſpec. contin. 1.* unter Böhmen.

§. 69.

Quo fundamento nitatur ſucceſſio fœminea in Regno Bohemiæ.

Neque vero ſola hac diſpoſitione LADISLAI ſuccedendi ius vtriusque ſexus in Regnum Bohemiæ fundatum eſt, ſed quod huius generis ſuccesſio natura fundamentali Regni Bohemiæ nitatur, exquiſitis rationibus confirmat GOLDASTVS *de Regno Bohemiæ lib. 6. fere integro*; ad quas quidquam addere ratio inſtituti iam non poſtulat; quem auctorem itaque perpendat is, qui vult ab eo diſcere, quod omnes Reges et Duces Bohemiæ ex iure ſanguinis, non electionis, ſucceſſerint, quodque, ſi Status quandam ſibi electionem præſumſerint, ea magis vi, quam iure, facta ſit, ideoque nulla habenda.

§. 70.

Cur Imperator Sanctione de ordine ſuccedendi in regnum Bohemiæ diſponere potuerit, ac quidem

Cum itaque omni tempore iure ſanguinis etiam Fœminæ in Regnum Bohemiæ ſucceſſerint Iusque ſuum Coniugi condonarint, ac præterea vltimi poſſeſſores maſculi de Regni ſuccesſione ſine vlla contradictione diſpoſuerint: quid

quid eſt, cur non hodie iterum Fœmina ſuccedere per eamque ius ſuccedendi Coniux acquirere et HODIERNVS IMPERATOR de ſucceſſionis ordine fœminino diſponere poſſit: Atque ita obtentus, quod Bohemia Electoratus ſit, adeoque fœminam non admittat, infirmum propugnaculum eſt, eam ob cauſam, quia ea obligatione, qua Electoratus, Regnum Bohemiæ non tenetur. Quid? quod Bohemia ne Electoratus quidem Legibus Imperii habetur; verum, quod Reges ius Electoratus habeant, duntaxat in Monumentis publicis dicitur. Exempli loco adducere mihi liceat *RVPERTI I.* Comitis Palatini Rheni et Ducis Bauariæ S. R. I. Electoris *Diploma de iure Electoratus in Romano Imperio Regibus Bohemiæ competente de anno 1356.* nec non *Atteſtationes RVDOLPHI et CAROLI R. Regum et RVPERTI Palatini Senioris 1486.* Hinc in legibus Imperii terra Bohemica Electoratus vocari non ſolet, ſed titulo Regni honorari.

femineo, quamvis iura Electoratus habeat?

§. 71.

Quod quidem etiam *in A. B. cap. 7. §. 5.* obſeruatur; in quo loco præterea ſingulare ius, præ

Prærogatiua regni Bohemiæ præ

Ele-

aliis Electoratibus. Electoratibus, Regno Bohemiæ conceditur. Quapropter intereſt huncce locum, qui ita ſe habet, referre; ſcil. *quod Imperium nec poſſit nec debeat de REGNO BOHEMIÆ, ſi vacare contingeret, prouidere, ſed quod ſalua ſemper conſeruanda Priuilegia, Iura et Conſuetudines Regni Bohemiæ ſuper Electione Regis in caſu vacationis per Regnicolas, qui ius habent eligendi Regem, facienda.* Ex quo §pho in fauorem Statuum Regni Bohemiæ id probari poteſt, quod eligendi Regem ius habeant, ſi quando vacet Regnum.

§. 72.

RegnumBohemiæ non vacat, niſi poſt vtriusque ſexus defectum, quod probatur ex conſtitutione regni Hungariæ adiacentis. Exiſtit itaque quæſtio, quando Regnum vacet? Ad quam quæſtionem hoc cape reſponſum: Regnum Bohemiæ eſt regnum hæreditarium fœmininum. In Regno Hungariæ eadem ſucceſsio fœminea obtinet ſecundum *decretum Poſonienſe de anno 1723.* Proinde eandem rationem Vacationis Regni Bohemiæ et Hungariæ oportet eſſe. Iam in Regno Hungariæ non niſi poſt omnimodum vtriusque ſexus defectum Vacatio eſt Regni prærogatiuaque

que Statuum et ordinum in Electione Regum locum habet, teſtante *articulo 2. ex articulis Statuum Regni Hungariæ in Conuentu generali Poſonienſi anno 1723. concluſis et a CAROLO VI. IMPERATORE confirmatis.* Quare non poteſt Regnum Bohemiæ vacare, nec ius eligendi Regem penes Ordines Regni Bohemiæ eſſe, niſi poſt vtriusque Sexus Auſtriaci defectum. Vnum atque idem ſentire præ ſe fert *ARVMÆVS ad A. B. diſc. 4. concl. 18.*

§. 73.

Ex iure publico vniuerſali.

Si deſideras rationes, ob quas æque in Regno Hungariæ ac Bohemiæ non ante vacet Regnum, quam poſt vtriusque ſexus defectum, illæ de iure publico vniuerſali depromi poſſunt. In quo ſi verum inuenire conceptum vacationis volumus, conſiderandæ variæ respubl. ſunt, in quibus videmus, quod ante Regnum vacare non dicatur, quam ſi legitimus Succeſſor deficit (§. 241.). In Regnis autem fœmininis non deficit legitimus Succeſſor, quamdiu poſt maſculos vlla fœmina regnatricis domus ſupereſt (arg. §. 250.). Proinde quoque in Regnis Bohemiæ et Hungariæ, quæ ſecundum ſuam naturam fundamentalem fœminina ſunt, Regnum vacare non poteſt, niſi poſt vtriusque ſexus defectum.

§. 74.

Ex Conſtitutionibus regni Bohemiæ, in quibus ius fœminarum hæreditarium continetur.

Hæc, quæ ex Conſtitutionibus Regni Hungariæ et ex principiis iuris publici vniuerſalis ad Regnum Bohemiæ in cauſa, quando vacet, accommodaui, confirmant ipſæ Regni Bohemiæ Conſtitutiones; quas inter principem locum obtinet Imperatoris CAROLI IV. Confirmatio der Priuilegien und Freyheiten des Königreichs Böheim anno 1348. quæ eſt in GOLDASTI *Tomo 2.* der Reichs-Satzungen *pag. 39.* vbi diſpoſitio de Vacatione Regni Statuumque Electione ita ſe habet: Was die Wahl eines Böheimiſchen Königs aufm Fall anlanget; nemlich, wenn ſichs begebe, daß aus dem Geſchlecht der Böheimiſchen Könige kein Erb noch Erbin - - gezeuget würde oder bey Leben bleibe, oder wie ſich des ſonſten begeben möchte, dadurch denn das Königreich ohne ein Haupt wäre, als haben Wir hierumb geſchloſſen und wollen es mit dieſen Unſern Brieffe geändert und publicirt haben, daß eine ſolche Wahl den Prælaten, Fürſten, Herrn, Ritterſchafft und der gantzen Gemein gedachten Böhmiſchen Königreich zu verſehen eigentlich und

aufm

aufm Fall, wie obbemeldt, und nicht anders in künfftigen ewigen Zeiten gebühren und zugehören ſolle. Quod, quamdiu fœmina Regiæ Stirpis Bohemicæ ſuperſtes ſit, Regnum non vacet, nec Electio penes Status ſit, exemplum ANNÆ confirmat, quæ iure hæreditario ſine vlla Electione ſucceſſit, vti declarat König Ferdinands Declaration wegen der Königlichen Wahl in Böheim de anno 1445. *apud* GOLDASTVM in Reichs-Satzungen ander Theil *pag.* 249. vbi aſſeritur; Daß das Königreich Böheim, ſampt den incorporirten Landen, als Marggraffthum Merherrn Fürſtenthum Schleſien, Marggraffthumb Ober und Nieder-Laußnitz mit allen ihren Ehren, Freyheiten Ein und Zugehörungen an die Durchlauchtigſte Fürſtin Frau ANNA - - als eine rechte natürliche Erbin gefallen. Eam quoque, vt legitimam Hæredem, agnouiſſe Ordines Regni ac quidem vi ordinationum et legum fundamentalium regni Bohemiæ ex eadem Declaratione intelligere datur, dum FERDINANDVS ait: Daß die Stände unſer Cron Böheim obbemelter Unſer freundlichen lieben Gemahl, als dieſes Königreichs rechte Erbin und Königin / vermög obberegter

des Königreichs Böheim rechten Ordnungen und Freyheiten, gehorſamlich erkennt und angenommen, und darneben auch Uns zu ihrem regierenden König und Herrn, Unſerer Perſon halben, guter freyer Wohlmeynung erwählt und angenommen. Quodſi quis ex hac profeſſione FERDINANDI, quod electus fuerit, perſuadere ſibi velit, Regnum Bohemiæ electiuum habendum, ille reputet ſecum, quod eius generis Electio valde impropria ſit, quid? quod nulla, vel ſi mitius ſentire volumus, magis verboſa et ritualis, quam realis et formalis, fere vt olim in ſucceſſione regni Germaniæ vocabulum electionis adhibebatur, cum reuera electio non erat, vt collligi poteſt ex diplomatibus 11. 12. 13. 14. a LEIBNITIO in *Prodromo Codic. Iur. Gentium adductis.* Namque electionem ab ordinibus factam eſſe tunc demum dici poteſt, quando ordines ex pluribus in illum, qui ipſis complacitus eſt, ſuffragio transferre queunt ciuilem poteſtatem. Vbi ergo ordines ex pluribus ſibi ſumere arbitratu ſuo Principem nequeunt, ſed vnum qui ipſis a Rege nunc regnante deſignatur, Regem ſibi futurum adſciſcere tenentur, ibi nulla electio mente concipi poteſt et ex conſe-

quenti

quenti Regnum non eſt electiuum (§. 213.), quamuis vocabulum erwählt abuſiue adhibeatur. Atque vero ordines Regni Bohemiæ tenentur in demortui Regis locum capere aut fœminæ hæredis Coniugem aut vnum ex agnatis vltimi Poſſeſſoris.

§. 75.

Maritus per vxorem ius ſuccedendi in regnum Bohemiæ acquirit, omnesque cognati habent ſucceſſionem.

Quod ad maritum fœminæ hæredis, modo allatum FERDINANDI exemplum huius rei nos conuincit (§. 233.). Quod ad agnatos exemplo nobis poteſt eſſe, Kayſer Rudolhp des zweyten Reuers, daß die Wahl ſeines Herrn Bruders Ertz-Hertzogs MATTHIÆ zu Oeſterreich zum Expectanten, als König in Böheim, denen Ständen an ihren Priuilegiis unſchädlich ſeyn ſolle, de anno 1608. Ibi RVDOLPHVS ait: Wir haben von den Ständen gnädigſt begehren laſſen, daß wohlbenandter Ertzhertzog MATTHIAS von Oeſterreich, als Unſer ältiſter Herr Bruder nach Uns ein Expectant des Königreichs Böheim ſeyn und keiner ausserhalb ihme nach Un-

 ſern

ſern Abſchied aus dieſer Welt zum König in Böheim nicht erwehlet werden möchte. Quapropter Regnum Bohemiæ haberi electiuum non poteſt, quamuis in regni Conſtitutionibus reperiatur formula, daß die Stände zu König und Herrn ſich den Gemahl der Erbin des Reichs erwählt und angenommen.

§. 76.

Hinc primogenita eiusque coniux futurus ius ſuccedendi in regnum Bohemiæ habent, nec ordinum conſenſum in electione coniugis primogenitæ adhibere tenetur.

Quæ ſi accommodare ad ſtatum hodiernum volumus, apertum eſt, quod Ordines Regni Bohemiæ non ſibi eligere quempiam Regem, ne Cognatum quidem, PRIMOGENITA FILIA CAROLINA exiſtente, queant; præcipue cum iam renunciatio in Filiam Primogenitam facta. Multo minus Ordines poterunt notionem poſtulare, vtrum CONIVX PRIMOGENITÆ Feudi ſit capax, nec ne; cum hoc foret negotium ad Dominum directum, pertinens, hoc poſito, eſſe eiusmodi ius penes Dominum directum, quod recte cum RHETIO negat HORNIVS c. VI. §. 12. qualem Status Regni Bohemiæ non eſſe certum eſt. Hinc alienum a iuribus horum Statuum eſt, quod PRIMOGENITA CAROLINA Conſen-

ſenſum eorum in eligendo ſibi Coniuge adhibere debeat.

Cuius generis quæſtionem, vtrum fœmina, quæ ius ſuccedendi habet, in Ordinum conſenſum, quod ad electionem Coniugis, teneatur, an illi liceat quem velit, ex animi ſententia, virum ſumere, pertractauit THVANVS *lib. 37. hiſtor.* ad *annum 1564.* eamque *horridæ libertatis plenam* vocauit, exemploque coniugii MARIÆ, Reginæ Scotiæ, cum HENRICO STVARTO oſtendit, quod, Scotis non ſatis æquis, HENRICO nupſerit. De eadem quæſtione, reſpectu terrarum Imperii, in quas feminæ ſuccedunt, egit MYLERVS *cap. 24. de Princ. Imper.* §. 3. quæ vero facile diiudicari ex argumentis meis, modo allatis, poteſt. Generatim vero omnibus in Regnis femininis feminam inconſultis ordinibus nubere viro, cui velit, poſſe, nulla eſt ratio dubitandi, ſi ipſa imperium retineat; quodſi vero cum nuptiis ſimul poteſtatem ſummam transſcribat; tunc hoc quidem verum eſt profecto, quod talem virum eligendum fœmina hæres regni habeat, in quo dotes inſunt, quas leges fundamentales in Rege poſtulant (§. 224.), alias ob naturam Regni fundamentalem ipſo iure Regni incapax eſt (eodem). Ideoque conſenſus ordinum

in coniugium fœminæ hæredis fruſtraneus eſt, maritus requiſita Regis habeat, aut minus; atque ita ſine vllo argumento conſenſus ordinum in coniugium feminæ hæredis creditur neceſſarius, qui conſenſus in iis regnis eo minus requirendus, in quibus iam exempla extant, quod feminæ nupſerint Viro ſine adhibito Ordinum conſenſu, vti iam in ſucceſſione Regni Bohemiæ vſu venit, quod vel vnicum exemplum ANNÆ, quæ denupſit in *Domum Auſtriacam* ſine requiſito ordinum conſenſu, comprobare poteſt (arg. §. 233.). Sic hæc res etiam ex hoc argumento pateſcit, quod PRIMOGENITA CAROLINA non neceſſe habeat in eligendo coniuge conſenſum ordinum vllius Regni aut ditionis, multo minus Regni Bohemiæ adhibere, ſed quod vna cum coniuge futuro præterea absque ordinum conſenſu, vti in omnia, ita in regnum Bohemiæ, vt Regnum hæreditarium ſuccedere queat.

§. 77.

Domus Auſtriacæ ius hæreditarium in regnum Bohemiæ probandum

Præterea illos, qui a partibus AVGVSTISSIMÆ DOMVS AVSTRIACÆ alieni, falſa opinio tenet, quod Bohemia, vt Regnum conſiderata, ne Regnum quidem hæ-

hæreditarium ſit, ſed electiuum. Hæc opinio quod falſa ſit, GOLDASTVS in libro paulo ante laudato nos docet. Certe ius hæreditarium in Regnum Bohemiæ, non dicam poſtremo bello Bohemico a FERDINANDO recuperatum eſſe, ſed patet ex Ipſorum Ordinum Regni Bohemiæ Atteſtationibus propriis de hæreditaria Regiæ Prolis ac Stirpis ſucceſſione, quæ ſunt *lib. 6. cap. 15.* apud *GOLDASTVM de Bohemiæ Regno incorporatarumque prouinciarum iuribus ac Priuilegiis; nec non de hæreditaria Regia Bohemorum Familiæ ſucceſſione.* *ex ordinum regni Atteſtationibus propriis.*

§. 78.

Ac ſi etiam expreſſa Bohemorum agnitio iuris hæreditarii, eiusdem fœminini probari non poſſet: illa tamen agnitio ſatis colligenda foret ex obedientia et ſubiectione poteſtati ciuili AVSTRIACORVM ARCHIDVCVM, *qui iure Coniugii Regnum acquiſiuerunt*, et iure ſanguinis ſecundum ordinem primogenituræ inde a ſeculis nonnullis ſucceſſerunt ſibi inuicem et continens Imperium vsque ad nos habuerunt (arg. §. 26.). *Ex obedientia et ſubiectione.*

Quod autem ius hæreditarium pro firmato ſtet, ſi parentes patiuntur imperium illius

Principis, qui ſe fundat iure ſuo hæreditario in ſucceſſione, ex principiis iuris publici vniuerſalis id mihi pro vero conſtat.

Namque is, qui patitur imperium et imperatum facit, actu libero et voluntario eo ipſo, dum paret et dicto audiens eſt, non poteſt non agnouiſſe alterius, cui paret, imperium; propterea quod inter obſequium ciuile et imperium neceſſaria eſt relatio (§. 26.), adeoque, exiſtente obſequio, etiam imperium exiſtit (§. 32.). Quod hæc relatio ita ſe habeat, etiam exinde cognoſcimus, quod obſequium conſiſtit in actu morali id eſt, libero et voluntario, quo Imperantis præcepta exequimur (§. 278). Imperans habet imperium (§. 23.); adeoque, exiſtente obſequio agnoſcit imperantis præcepta, agnoſcit eius imperium actu libero et voluntario. Actu autem libero parentium vti omne ius Principibus (§. 32.), ita et ius hæreditarium (§. 252.) legitime conſtituitur; quare, quamuis nulla declaratio voluntatis expreſſa Bohemorum extaret, quod ius hæreditarium *Domus Auſtriacæ* in Regnum agnoſcerent, illius iuris agnitio voluntaria ex eorum obſequio et ex imperio quod ARCHIDVCES AVSTRIÆ ex iure ſucceſſionis, non electionis, exercuerunt in eos, colligenda ſatis foret (§. 233.),

§. 79.

§. 79.

Ex pactis reciprocæ ſucceſſionis inter Regiam Bohemiæ et Archiducalem Auſtriæ familiam.

Verum hoc ius hæreditarium non hoc ſolo conſenſu tacito Ordinum Regni Bohemiæ nititur, ſed expreſſum eorum conſenſum in hoc ius hæreditarium, præter ipſorum *atteſtationes de hæreditaria regiæ prolis ac ſtirpis ſucceſſione ex* GOLDASTI *lib. 6. cap. 15.* iam citatas, oſtendunt *pacta reciprocæ ſucceſſionis inter Regiam Bohemiæ et Archiducalem Auſtriæ Familiam mutuis ſtipulationibus 1366. contracta, ab Imperatore et Imperio confirmata, Ordinumque Regni Bohemiæ conſenſu corroborata.* Quæ pacta ita, vt dixi, legitime facta, ex GOLDASTO *de Regno Bohemiæ lib. 6. cap. 18.* diſcimus. Hæc pacta reciprocæ ſucceſſionis quo confirmatiora ſint; Duces Auſtriæ Regno Bohemiæ et reliquis terris acceſſoriis CAROLVS IV. inueſtiuit, vt indicat Kayſers CAROLI IV. Brieff, Krafft deſſen er die Hertzoge zu Oeſterreich vergliechene succesſion in euentum mit dem Königreich Böhmen und was dem mehr anhängig, beliehen, de anno 1366. Quæ charta extat in LVNIGII *Corpore iuris feudalis Germanici*, pag. 701. et ſeqq. Ac quidem

tam

tam pactio reciprocæ ſucceſſionis, quam infeudatio facta eſt in fauorem vtriusque ſexus (auf ihrer beeder Leibes Erben, Süne und Töchter, vti verba chartæ huius ſonant). Cum itaque Ordines Regni Bohemiæ in hæc pacta reciprocæ ſucceſſionis inter Regiam Bohemiæ et Archiducalem Auſtriæ Familiam conſenſerunt, conſenſerunt eo ipſo in id, vt Regnum ipſum ſit ſucceſſorium femineum, non electiuum, vtque adeo ius hæreditarium Auſtriacorum Principum in Regnum ſit legitimum. Quoniam ergo imperium hæreditarium *Domus Auſtriacæ* in Bohemos eſt legitimum: non poteſt *Sanctio*, in qua ius hæreditarium, iam olim ordinatum, declaratur, naturæ regni fundamentali aduerſari.

§. 80.

Sanctio non aduerſatur naturæ regni Bohemiæ fundamentali, etiam ſi olim regnum electiuum fuiſſet.

Hic mihi maxime refragari videntur ii, qui hoc argumentum in contrarium adducunt: iam olim Regnum Bohemiæ fuiſſe electiuum, ſique eo, vt dixi, modo hæreditarium fuiſſet factum, per id naturam Regni fundamentalem mutatam eſſe; naturam autem Regnorum fundamentalem immutabilem eſſe; itaque

itaque mutationem Regni Bohemiæ olim electiui in regnum hæreditarium,ſecundum ordinem primogenituræ fœmineæ, quam quoque *Sanctio Pragmatica* vellet, illegitimam eſſe. Verum Bohemiam ſua natura nunquam Regnum electiuum fuiſſe,iam oſtendit REICHARDVS STREINEN in ſua *Informatione* von des hochlöblichen Hauſes Oeſterreich erblichen *Succeſſion* der Cron Böheim und welcher Geſtalt auch ſonſt die *Succeſſion* daſelbſt erblich ꝛc. vbi auctor demonſtrat dilucide, quod in prima Regia Familia durauerit ſucceſſio in quingentos annos in deſcendenti et collaterali linea,quodque itidem ſucceſſio continua penes Familiam Luzelburgicam fuerit, et ex conſequenti eadem ſucceſſio in *Familia Auſtriaca* obſeruanda ſit. Quanquam hæc ita, vt docuit auctor, ſint: tamen pone Bohemiam fuiſſe Regnum electiuum et naturam Regni fundamentalem mutatam eſſe. Hæc vero mutatio in Regnum hæreditarium ſi acciderit, accidit certe, Ordinibus Regni, non ſolum tacite, ſed etiam atteſtationibus expreſſis et pactis, conſentientibus. Supra enim iam docuimus conſenſum Bohemorum in ius hæreditarium *Domus Auſtriacæ* in Regnum competens, quem ex eorum obſequio, ex eorum atteſta-

teſtationibus, et ex pactis reciprocæ ſucceſſionis, collegimus.

§. 81.

Naturam Reipublicæ fundamentalem mutare licet.

Nihil itaque mihi aliud faciendum puto, quam vt doceam, naturam cuiusque Regni fundamentalem legitime poſſe mutari, ac ſingillatim ex electiuo ſucceſſiuum fieri, ordoque adeo ſucceſſionis, qui maxime placet, introduci. Rempublicam ordinari ab iis, penes quos ius gubernandi ſeu ordinandi rempublicam eſt, plane perſpicua nec dubitanda res eſt. Iam mutatio reipubl. cum nihil niſi alia reipubl. ordinatio ſit: conſequens eſt, vt is, qui habet ius ordinandi rempubl. habeat etiam facultatem legitimam, naturam fundamentalem reipubl. mutandi. Ob eamque cauſam penes quos eſt ius gubernandi rempublicam, illi mutare naturam reipubl. fundamentalem queunt, et ex regno electiuo ſucceſſiuum efficere (§. 223.).

§. 82.

Primogenitura fœminea iure in Regno Bohemia San-

Quocirca, ſi etiam Bohœmia olim Regnum electiuum fuiſſet; tamen legitime in hæreditarium mutari potuiſſet (arg. §. 223.), præci-

cipue cum conſenſus ordinum in hæreditariam ſucceſſionem eamque femininam manifeſta ac confeſſa res ſit. Sed vt vt eſt, hoc certum eſt, iam antiquiſſimis temporibus Regnum hæreditarium femininum fuiſſe Bohemiam; vt ex diuerſis ſucceſſionibus fœmineis, pluries iam factis, Conſenſuque Ordinum, elucet (arg. §. 32. et 233.). Proinde nihil impedit, quo minus primogenitura fœminea ab IMPERATORE HODIE PROVIDENTISSIME REGNANTE in hoc Regno ſtabiliri potuerit, etiam ſine vllo Statuum Bohemiæ Conſenſu nouo, cum iam ante *Sanctionem* hic ordo ſuccedendi in Regnum Bohemiæ vſu obtinuit. Addo, quod poſt Renunciationes factas, omne ius ſuccedendi, vti in reliquas terras, ſic etiam in Regnum Bohemiæ, eiusque prouincias acceſſorias ſupra nominatas recidit in PRIMOGENITAM FILIAM CAROLINAM (§. 220.); quod ILLI eripere Status Regni nequeunt, ob ius IPSI quæſitum (§. 210.), atque etiam ob eandem rationem, quam ſupra, cur Conſenſus Statuum Auſtriacorum in Ceſſionem terrarum, quam MATTHIAS FERDINANDO fecit, non neceſſarius fuerit, adduximus.

ctione ſtabiliri potuit, ſine Ordinum conſenſu.

De

De Regno Hungariæ.

§. 83.

An natura fundamentalis regni Hungariæ mutari ob priuilegium Andreæ potuerit?

Dictu magis ſpecioſa eſt dubitatio: *an natura fundamentalis Regni Hungariæ mutari potuit legitime, ob clauſulam Priuilegii ANDREÆ Regis de anno 1222?* ſed itidem re inanis. Verba clauſulæ ſunt hæc: *Quodſi vero nos vel aliquis ſucceſſorum noſtrorum huic diſpoſitioni noſtræ* (in qua natura Regni fundamentalis continetur) *contradicere voluerit: Ordines liberam habeant harum auctoritate ſine nota alicuius infidelitatis - - reſiſtendi in perpetuum facultatem.* At quoniam parentibus non eſt licitum Imperanti reſiſtere, ob id, quod parere Principi, quod proprium eſt parentis (§. 27.), et Principi reſiſtere, inter ſe pugnant (§. 36.): hæc clauſula per ſe ipſo iure nulla eſt (§. 57.), adeoque, contra quam clauſula vult, iuſte et legitime ob ius mutandi naturam fundamentalem reipubl. quod penes omnes Imperantes ſaluum manere debet, vt docuimus (§. 223.), Regni quoque Hungariæ natura fundamentalis mutari iuſte potuit; præcipue Statibus conſentientibus (arg. §. 44. 72. 62.).

At-

Atque ita *in eius generis Regnum hæreditarium, in quo ſecundum ordinem primogenituræ fœminea poſt maſculos ſuccedıtur, conuerti Hungariam licitum fuit.*

§. 84.

Ordines regni Hungariæ obligati ſunt ad ordinem ſuccedendi Sanctione ſtabilitum ſeruandum.

Hinc illi fruſtrantur, qui in animum ſuum inducunt, hac clauſula omnem mutationem Priuilegii ANDREÆ interdictum eſſe, et ex conſequenti, cum *Sanctio Pragmatica* mutationem Priuilegii poſt ſe trahat: *Sanctionem Pragmaticam* Ordines Regni non obligare, ſed *Sanctionis* executioni reſiſtere poſſe. Verum ex clauſula colligere licet, quod Ordines habere debeant reſiſtendi facultatem, ſi quis Succeſſorum diſpoſitioni contraire voluerit abſque Ordinum Conſenſu (arg. §. 66.); iam vero ad *Sanctionem* ſtabiliendam Ordinum Conſenſus acceſſit; quare, ſi etiam largirer, Ordines habuiſſe reſiſtendi licentiam, ſi quidquam ex diſpoſitione ANDREÆ mutatum; tamen, poſt interpoſitum Conſenſum ipſorum in *Sanctionem Pragmaticam*, obligati ſunt ad ſeruandum ordinem ſuccedendi in Regnum, in *Sanctione* ſtabilitum (arg. §. 71.), adeoque illius executioni reſiſtere nequeunt

(arg. §. 273.), nec prætexere Ordines Regni Hungariæ vllam cauſam reſiſtendi poſſunt. Dum enim conſenſerunt in ordinem ſuccedendi SANCTIONE declaratum in Conuentu Poſonienſi anno 1723. art. 2: declararunt eo ipſo voluntatem, quod Regnum Hungariæ, Regnum hæreditarium fœmininum, non electivum, habendum ſit. Ipſis autem volentibus iniuria fieri ob id nequit, quod eis iniuria fit, quibus inuitis ius aliquod temere adimitur; proinde nulla cauſa eſt, quæ ordinibus Regni Hungariæ ius tradat reſiſtendi *Sanctionis* executioni.

§. 85.

Præcipue, cum conſenſu ordinum acceptatus.

Quæ cum ita ſint, illi vehementer errant, qui opinantur, Hungaros ius electionis et priuilegia amiſiſſe eam ob cauſam, quia rebellarint; quamuis hoc cauſæ ſumi ab IMPERATORE potuiſſet in adimendis priuilegiis (arg. §. 77.). Per modum pœnæ (§. 170.) ob crimen læſæ Maieſtatis commiſſum (§. 103.). Quoniam vero cauſa rebellionis perodioſa eſt: potius Conſenſu Ordinum Hungaricorum formulam Regni mutandam duxit CIRCVMSPECTISSIMVS ET PRVDENTISSIMVS PRINCEPS IMPERATOR

CA-

CAROLVS, priuilegiumque illud falſo creditum, quod ad licentiam reſiſtendi, quam merito cum SCHVRZFLEISCHIO diſſ. de *ſuperioribus Vngariæ conuerſionibus* p. 26. Cyclopicam dixeris, dum cum iure gubernandi Regnum conſiſtere nullo modo poteſt (§. 36.), nullum declarauit in Diplomate, quod continetur in Articulis in Conuentu Statuum Regni Hungariæ, Poſoniæ 1714. habito, concluſis et a *Cæſarea Regia Maieſtate CAROLI VI.* confirmatis anno 1715. *artic.* 2. in verbis; *Excluſa tamen et ſemota Artic.* 31. *Decreti diui ANDREÆ Regis ſecundi de anno* 1222. *Clauſula incipiente: quod ſi vero Nos etc. vsque ad verba: in perpetuam facultatem.* Cuius quidem Clauſulæ Argumentum modo recenſui, quam relege ſis. Quæ Clauſula vti iuſte Conſenſu Ordinum tolli potuit (arg. §. 53.); ita quoque Hungariam legitime conſenſu ordinum tale Regnum hæreditarium conſtitui fas fuit, in quo ſuccedituer ſecundum ordinem eum, qui conueniens ordini ſuccedendi, in *Sanctione Pragmatica* ſtabilito, eſt (arg. §. 66.). *De Regia hereditaria SACRATISSIMÆ CÆSAREÆ et REGIÆ MAIESTATIS ſexus fœminei Auguſtæ Domus Auſtriacæ in ſacra Regni Hungariæ Corona et partibus eidem ab antiquo annexis continua ſucceſſione, et quidem ſecundum or-*

dinem primogenituræ, diſponit *Artic. 2* qui eſt *in Articulis Statuum Regni Hungariæ in Conuentu generali Poſonienſi concluſis, et a CAROLO VI. IMPERATORE confirmatis anno 1723.* cuius Articuli verba ita ſonant: *quod (ſcil.* Ordines) *in defectu ſexus maſculini SACRATISSIMÆ CÆSAREÆ et REGIÆ MAIESTATIS (quem defectum Deus clementiſſime auertere dignetur) ius hereditarium ſuccedendi in Hungariæ Regnum, et Coronam ad eandemque partes pertinentes, prouincias et Regna, iam diuino auxilio recuperata et recuperanda, etiam in ſexum Auguſtæ Domus Suæ Auſtriacæ fæmineum - - iuxta ſtabilitum per* SACRATISSIMAM CÆSAREAM ac REGIAM REGNANTEM MAIESTATEM *in aliis quoque ſuis Regnis et Prouinciis hereditariis in et extra Germaniam ſitis, primogenituræ ordinem, iure et ordine præmiſſo, indiuiſibiliter ac inſeparabiliter, inuicem, et inſimul, ac vna cum Regno Hungariæ et partibus, Regnis et prouinciis eidem annexis, hereditarie poſſidendis regendam et gubernandam transferant et memoratam ſucceſſionem accepient etc.*

§. 86.

Ac quidem conſenſus in

Cum itaque hic Conuentus Statuum Regni Hungariæ, in quo ſuc-

ſucceſſionem fœmineam, ſecundum ordinem primogenituræ, adprobarunt, vniuerſalis ſeu generalis fuerit: et Statuum Conſenſum vniuerſalem in Sanctionem fuiſſe conſequitur; atque ita ordinem ſuccedendi firmiter ſtabilitum (arg. §. 52.). Ac quoniam hic Conuentus ita, vt fieri ſolet, habitus, adeoque nullus defectus comitialis conſenſus probari poteſt: non poteſt ſub obtentu, quaſi turbulenter res acta ſit in eo, valor *Sanctionis*, quod ad Regnum Hungariæ, in dubium vocari. Proinde ius hæreditarium Domus Auſtriacæ ſecundum ordinem primogenituræ vtriusque ſexus firmiter fundatum eſt. Ac ſi etiam turbulenter res in hoc conuentu Statuum Regni acta foret: tamen concluſum totius Corporis ordinum Regni Hungariæ, in forma vniuerſitatis factum infirmari contradictione nonnullorum Regni Ordinum non poſſet (arg. §. 55. et 231.); præcipue antiqua Regni Hungariæ natura fundamentali fœmineæ ſucceſſioni non repugnante. Superuacaneum exiſtimo, ex hiſtoriæ Hungaricæ Monumentis hoc ius hæreditarium Auſtriæ in Hungariam oſtendere; cum id ſatis ſuperque oſtendit vel vnum ex-

conuentu generali, pro eo, ac debuit interpoſitus, proinde et ſanctio firmiter fundata in regno Hungariæ.

emplum FERDINANDI I. (arg. §. 233.), qui ducta ANNA, LVDOVICI Hungariæ Regis Sorore, Regnum Hungariæ hæreditario iure feliciter accepit, vti habet HEVTERVS *Auſtr. lib. 8. cap. 11.* Equidem in Hungaria Rex FERDINANDO, iam inaugurato Regi, oppoſitus IOHANNES Tranſiluaniæ Princeps, quam *hiſtoriam geſtarum rerum inter* FERDINANDVM *et* IOHANNEM, *Hungariæ Reges*, IOH. ZERMEGH narrat: verum quoniam anno 1535. conuentum, quod poſt mortem IOHANNIS illa pars Regni Hungariæ quam IOHANNES tenebat, ad FERDINANDVM aut eius heredes recideret: eo firmius fuit huius FERDINANDI, eiusque Succeſſorum, ius hæreditarium in Coronam Hungariæ, ex quibus et aliis argumentis hocce ius hæreditarium defendi poſſit, hoc pro eo, ac hæc res poſtulauit, comprobatum legimus in *D. Beati* Widmans ꝛc. *Information* von des Hauſes Oeſterreich Erbgerechtigkeit zu der Cron Hungern und deren *incorpori*rten Königreich, Fürſtenthümern und Lande *de anno 1527.* Qui hanc informationem non ad manus habet, atque adeo de antiquo iure hæreditario Domus Auſtriacæ in Hungariam ex ea erudiri non poteſt, ille perpendat ſolum illam

pactio-

pactionem ſucceſſoriam, quam MAXIMILIANVS, vt Archidux Auſtriæ, cum Rege Hungariæ anno 1515. Viennæ confecit, in qua eſt conuenta reciproca ſuccesſio in prolem vtriusque ſexus. Iure quoque matrimoniali et hæreditario Regnum Hungariæ Domui Auſtriacæ obtigiſſe documento ALBERTI Coniugium cum Filia SIGISMVNDI eſſe poteſt, quo Regnum Hungariæ acquiſiuit, eumque ex hoc iure, vt legitimum Regni ſucceſſorem Ordines Regni agnouerunt, prouti indicant litteræ reuerſales in confirmationem Priuilegiorum Hungaricorum anno 1439. datæ. Mitto plures Scriptores, ex quibus probare vlterius poſſem iure matrimoniali et hæreditario olim ſucceſſum in Hungariam et hodie ſuccedi poſſe; vnum liceat mihi nominare GOLDASTVM, ex quo lib. 6. cap. 6. ſeqq. de Regni Bohemiæ iuribus ac priuilegiis hoc ius hæreditarium, tam in regno Hungariæ, quam Bohemiæ firmiſſimis confirmari poteſt argumentis.

§. 87.

Quibus fundamentis validitas ſanctionis

Ex quibus probatis videre licet, quod non ſolum ius publicum vniuerſale et Gentium commune, ſed etiam Formulæ et Conſtitu-

pragmatica nitatur. tiones, tam Imperii, quam omnium terrarum hæreditariarum Auſtriacarum, *Pragmaticæ Sanctioni*, proprio motu IMPERATORIS confectæ, non aduerſentur, eandemque potius Ordines, vel expreſſe, vel tacite, comprobarint, conſeruatione et ſalute publica ita poſtulante.

§. 88.

An iura cognatorum aut aliorum Principum Sanctioni refragentur. Refragari tamen huic Sanctioni falſo opinantur ius Cognatorum aliorumque nonnullorum Principum. Inter illas referri video Reginam Portugalliæ, et FILIAS IOSEPHINAS; nec non Secundogenitam CAROLINAM FILIAM; inter hos Papam ob nexum, quo ipſi Neapolitanum Regnum tenetur, quid? quod Regem Galliæ ob pacta prætexta. Singula Argumenta, quæ aduerſarii ad dubitationem aliis mouendam in medium proferunt, enumerabo perſoluamque.

§. 89.

Et ſigillatim Reginæ Portugalliæ et filiarum Ioſephinarum. Quod ad Reginam Portugalliæ et Principes IOSEPHINAS, contra Earum iura *Sanctio Pragmatica* non pugnare poteſt, quia hære-

dita-

ditariæ ſucceſſioni omni, linea CAROLINA exiſtente, renunciarunt. Ex conſuetudine Domus Auſtriacæ facienda fuit Renunciatio MARIÆ ANNÆ Reginæ Portugalliæ, ſereniſſimæ Archiduciſſæ MARIÆ IOSEPHÆ, deſponſatæ *Sereniſſimo* FRIDERICO AVGVSTO, Principi Regio Poloniæ et Electori Saxoniæ anno 1719. et ſerenisſimæ Archiduciſſæ MARIÆ AMALIÆ deſponſatæ ſerenisſimo CAROLO ALBERTO, tum Principi Electorali Bauariæ, anno 1722. Confirmatæ ſunt hæ Renunciationes per Auguſtos Coniuges Eorumque Auguſtos Parentes. In his Renunciationibus Archiduciſſarum Ioſephinarum, cum *Sanctio Pragmatica*, anno 1713. publice declarata, expresſis verbis agnoſcitur valida; ea non poteſt eo obtentu, quod pugnet contra iura Archiduciſſarum, inualida reddi, dum fieri non poteſt, vt ius, cui renunciatum, quodque, renunciatione facta, non amplius renuncians habet (§. 249.), contra ius renunciantis pugnet.

§. 90.

Qua renunciationes valeant et habeant ta-

Quod ſi ſcrupulus aliquis reſideat, an renunciationes valeant et obligent, atque annon renunciationes omnes ſignent ius, quod

citam iuris agnitionem. quis habeat: ille excuti poterit ei, qui cogitat, quod ſecernendæ ſint renunciationes factæ in eos, qui iamiam ius ſuccedendi aliquod habent, ab iis, quæ in amorem plane extranei fiunt; illæ habent firmitudinem (§. 220.), etiam ex Principiis Gallicorum ICtorum; non vero hæ; propterea quod in his ſit alienatio (§. 200.), quæ in Regnis licita non eſt (§. 201.), niſi Ordinum omniumque, qui ius ſuccedendi poſtulare queunt, conſenſu (§. 217.). In illis vero renunciationibus nulla alienatio, nec etiam mutatio ſtatus publici aut naturæ fundamentalis accidit, ſed tantum eſt declaratio pactitia, quod quis nec quicquam iuris ſuccedendi poſtulare velit, illis exiſtentibus, in quorum fauorem renunciatum, qui, aut æquale, aut proximius, aut etiam remotius ſuccedendi ius per ſe habent (§. 32. et 220.).

Dixerit fortaſſe quiſpiam: tunc tamen, quando in fauorem alterius, præcipue illius, qui ius ſuccedendi remotius habet, renunciatur, aliquam ſtatus publici mutationem adeſſe, quam ſine populi ordinumque conſenſu fieri non debere; ſed quoniam ſupra occaſione Ceſſionis, FERDINANDO a MATTHIA factæ, oſtendere occupaui, ordines, ſi is,

is, qui ius ſuccedendi quæſitum habet, ſuccedit, nihil iuris in ordinanda ſucceſſione habere: facile patet, quod etiam renunciationes eiusmodi, proprio motu factæ, ſine ordinum conſenſu ſint legitimæ, adeoque et multo magis *iuſta ſit ſucceſſio*, *IMPERATORIS proprio motu ordinata in Pragmatica Sanctione*, dum in fauorem proximioris heredis ſcil. prolis primogenitæ renunciatum, cuius generis renunciationes, ſi verum fateri volumus, ne ſunt quidem neceſſariæ. Quid? quod non renunciationes veræ haberi poſſunt, quando Perſonæ illius gratia, quæ proximius ius ſuccedendi habet, renunciatur; ſed ſolum eo conſilio eamque ob cauſam fiunt, quo omnis prætextus poſtulandi ſucceſſionem, antequam eos, qui renunciant, ordo tangit, præſcindatur.

§. 91.

Adplicatio §phi antecedentis ad renunciationes Archiducisſarum Auſtriacarum.

Aſſentientes habeo Renunciationes Archiduciſſarum ipſas, in quibus profitentur, *quod, quamdiu ex Maieſtatis Cæſarea deſcendentibus proles aliqua ſiue maſculina ſiue fœminina ſuperuixerit, vllam vnquam ſucceſſionem aut ſuccedendi ius prætendere NON POSSINT nec debeant.*

Pro-

Proinde non indicant Renunciationes Archiduciſſarum Ioſephinarum, Ipſis profitentibus, titulum ſuccedendi, linea Carolina exiſtente, nec adeo habent tacitam ſuccedendi agnitionem; niſi in eo caſu, quando ordo ſuccedendi ad eos veniat, quod ius ſuccedendi per eiusmodi Renunciationes non adimitur, potius confirmatur; conteſtantibus iisdem Renunciationibus, in quibus ARCHIDVCISSÆ SERENISSIMÆ aiunt; *quodſi proles* A SVA MAIESTATE *progenita prorſus deficere vnquam accideret, ſibi ius omne omnesque actiones ad ſuccedendum pleno iure per expreſſum reſeruent*

§. 92.

Renunciatio et Reginæ Portugalliæ et Archiduciſſarum Ioſephinarum ipſas obligant earumque liberos et omnes poſteros.

Quod ad effecta Renunciationum, quia ſunt declarationes pactitiæ, hoc eſt, promiſſiones, ad quas renuncians ſeſe obligat: facile ſecundum principia iuris naturæ et gentium concludi poteſt, quod, vti omnes promiſſiones pactitiæ; ita quoque Renunciationes, validam ac perfectam producant obligationem (arg. §. 32. et 220.), quodque ita quoque Renunciationes,

ab

ab *Archiduciſſis Auſtriacis* factæ, obligationem eas ſeruandi pariant, non ſolum in ipſis Auguſtis Perſonis Renunciantibus, ſed etiam in Ipſarum Deſcendentibus et Succeſſoribus. Quippe ſecundum ius publicum vniuerſale Succeſſores omnes, Deſcendentes, Aſcendentes aut Collaterales ſint, nihil intereſt, facta, id eſt, obligationes Anteceſſorum, in quorum iura intrant, præſtare debent (§. 31. et 228.). Anteceſſores autem, i. e. illæ perſonæ, quæ ſucceſſioni renunciarunt, ad ſeruandas Renunciationes obligatæ pro eo, ac oſtendi, ſunt; quapropter earum Succeſſores Liberique, æque ac ipſæ renunciantes, renunciationi ſtare tenentur; modo Liberi Renunciantium tempore Renunciationis nondum nati fuerint. In terris enim ſucceſſoriis et hereditariis ſimul atque exiſtere liberi cœperunt, eis quæſitum eſt ius ex lege ſucceſſoria (§. 220.); quod itaque ſine eorum conſenſu poſtea in alium remotiorem transferre renunciatione ſua Parentes non queunt (arg. §. 210.); probe vero id licitum eſt Parentibus et valere debet Parentum renunciatio ratione liberorum naſciturorum. Rationem in medium profert GROTIVS *de I. B. et P. lib. 2. cap. 7. §. 26. Illud intereſt*, inquit, *inter natos et naſcituros, quod naſcituris nondum quæſitum ſit ius,*

ius, atque adeo auferri poſſit populi voluntate, ſi etiam parentes, quorum intereſt, ius ad filios tranſire, ius illud remiſerint. Nunc cum renunciatio Archiduciſſarum coniugio anteceſſit: Liberi omnesque poſteri ea ſunt ad renunciationes factas obligati ſunt.

§. 93.

Vnde et ſeruare tenentur ordinem ſuccedendi Sanctione ſtabilitum.

Quæ renunciationes quia eo conſilio, quo Ordo ſuccedendi in *Domo Auſtriaca* receptus et *Sanctio* eo magis confirmaretur, factæ ſunt: Ordinem quoque ſuccedendi in *Sanctione Pragmatica* ſtabilitum ſeruare tenentur, et Perſonæ Ipſæ Renunciantes, et omnes Hæredes Archiduciſſarum. Quod quoque ſatis innuunt verba Renunciationum Archiduciſſarum Ioſephinarum, quæ profitentur, et promittunt; *quod præſcriptum in Sanctione Pragmatica cum maritis tum fœminis ſuccedendi ordinem linealem pro SE SVISque POSTERIS et HÆREDIBVS tenere, obſeruare eique firmiter inhærere velint, quodque pro SE SVISque POSTERIS cedant, renuncient et abdicent iura et ditiones ad MAIESTATEM SVAM CÆSAREAM pertinentes.*

§. 94.

§. 94.

Contra validitatem harum renunciationum non proferat aliquis id argumentum, quo Gallici ICti nonnulli vſi ſunt ad infirmandum robur renunciationum præcipue intuitu ſucceſſorum et ad defendendam ſucceſsionem Domus Andagauenſis in Hiſpaniarum regnum, quamuis eidem renunciatum fuerit; ſcil. ſucceſſores ſuum ius ſuccedendi non ab anteceſſoribus, ſed a populo deriuare inquiunt; proinde ſi a populo et maſculis et fœminis ſecundum quendam ordinem ſuccedendi deſtinata ſit ſucceſsio, non poſſe deceſſores poſteris ſuis absque populi conſenſu nocere. Verum ſupra oſtendimus occaſione ceſsionis Auſtriæ FERDINANDO a MATHIA factæ, quod Status adeoque et populus, quippe Statuum collegium populum repræſentat (§. 23.), in ordine ſuccedendi necquicquam iuris habeant, ſi illi, quibus ius ſuccedendi ſuo tempore eſt ex genitura, de ordine ſuccedendi inter ſe conueniant et ſibi inuicem cedant iura ſucceſsionis, (conf. §. 203.). Iam renunciationes quando in fauorem remotioris fiunt aut etiam cognati æquale ius habentis, nihil niſi ceſsiones ſunt (arg. §. 217.); quare valeant neceſ-

Reſolutio dubiorum contra validitatem renunciationum.

ſe

ſe eſt, renunciationes etiam ſine populi ordinumque conſenſu factæ obligentque non renunciantes ſolos (§. 32. et 220.), ſed etiam renunciantium ſucceſſores (§. 228.) Verum fingamus renunciationes abſque populi conſenſu non valere; nihilominus tamen renunciationes hucusque a fœminis Domus Auſtriacæ tam lineæ Ferdinandeæ, quam Carolinæ intuitu Regni Hiſpaniarum, ita ſunt comparatæ, vt populo non contradicente, ſed tacente factæ ſint, hoc eſt dicere, populo conſentiente (§. 233.); ob eamque cauſam ſi etiam ſtudio placendi dicis gratia fingam vera eſſe principia ICtorum Gallicorum: renunciationes abſque populi conſenſu non valere; attamen ob conſenſum populi tacitum volebant renunciationes fœminarum Domus Auſtriacæ et Hiſpanicæ, obligantque et renunciantes omnesque earum poſteros et heredes (§. 228.).

§. 95.

Regina Portugalliæ ſervare ſanctionem tenetur, quamuis antequam ea ex-

Equidem Regina Portugalliæ ante, quam *Sanctio Pragmatica* extitit, renunciandum habuit; ſed tamen, quoniam *Sanctio* de ſucceſſionis ordine, in Conſtitutione CAROLI V. iam declarato et in *Do-*

Domo Auſtriaca recepto, diſponat; iuri ſucceſſionis autem Regina Portugalliæ renunciauit generatim: Illi per *Sanctionem* iniuria fieri non poteſt, quippe iniuria eſt læſio iuris alterius; Verum ius ſuccedendi aliquod Ipſi competens, cum illi renunciarit, lædi nequit (arg. §. 220.). Ob eamque cauſam *ſub obtentu læſionis ſui iuris ſuccedendi, nec Regina Portugalliæ, nec eius Heredes, infirmam reddere Sanctionem Pragmaticam queunt.* Itaque etiam ratione Portugalliæ Reginæ eiusque hæredum valida eſt, quinimo valida foret, etiamſi non renunciauerit, quia eſt heres remotior terrarum hereditariarum Auſtriacarum tam ex lege ſucceſſoria Domus Auſtriacæ pactis familiæ et priuilegio CAROLI V. nixa, quam ex argumento ſucceſſionis linealis, ſi lex deſit, quod habet GROTIVS de I. B. et P. lib. 2. cap. 7. §. 22.

titit, renunciauerit.

§. 96.

Multo magis valida pronuncianda *Sanctio* ratione Auguſtæ Filiæ ſecundogenitæ Carolinæ MARIÆ ANNÆ, quamuis ea nondum renunciauerit; ob id, quod ea nondum nata erat, cum iam

Secundogenita Carolina ſeruare ſanctionem tenetur, quamuis

non renunciauerit. *Sanctio Pragmatica* in *Domo Auſtriaca* ſtabilita exiſteret. Proinde cum in *Sanctione* primogenitura fœminea in *Domo Auſtriaca* ſtabilita ſit: Secundogenita nullum ius ſuccedendi quæſitum per natiuitatem, Primogenita exiſtente, accepit. Potius Primogenitæ, ſimulatque naſceretur, omne ius ſuccedendi quæſitum fuit, GROTIVS de I. B. et P. Lib. 2. cap. 7. §. 26. nec quicquam reliqui iuris Secundogenitæ reliquit. Quæ cum ita ſint, nec opus eſt renunciatione Secundogenitæ adhuc minorennis per Procuratorem, nec etiam, quando maiorennis ſit, niſi maioris cautionis adhibendæ gratia, renunciatio eſt neceſſaria (arg. GROTII Lib. 2. cap. 7. §. 22.).

§. 97.

An ſanctione ſtabiliri primogenitura fœminea potuerit ſine Papæ conſenſu.

Nec eſt, quod Papæ Primogenitura fœminea in Regno Neapolitano iniuriam fieri dicas ob id, quod Neapolis Feudum Sedis Papalis ſit, cuius ordo ſuccedendi ſine Conſenſu Papæ, vt Domini directi, ad Fœminam Primogenitam transferri non queat. Ac ſi etiam quis pertinax in eo defendendo foret, quod Neapolis Feudum regulare et proprium Papæ ſit: attamen

tamen Illius Conſenſus ad *Sanctionem Pragmaticam* pluribus ex cauſis non foret neceſſarius. Miſſum facere poſſum, quod obligatio feudalis non demat Regi ius ſummi Imperii; GROTIVS de I. B. et P. lib. 1. cap. 3. §. 23. (§. 235.), quodque feudalia Regna ea ſucceſſione deferantur, quæ in Gente recepta fuit, quo tempore data eſt prima Inueſtitura, GROTIVS Lib. 2. cap. 7. §. 21. qualem HVBERVS de I. C. lib. 1. ſect. 7. cap. 6. inſtitutiuam vocat. In Regno Neapolitano vero receptam ſemper fuiſſe ſucceſſionem fœmineam ſecundum ordinem primogenituræ ex natura huius Regni fundamentali mox ego probabo. Nec itaque huc facit, quod ex ſententia CONRINGII *de finibus Imperii* feuda Italica ordinario iure non habenda fœminina; vt taceam, quod Papa, pro eo, ac debuit, bello vltimo non defenderit Regnum, et ad Pacem ſubſecutam, quam cum Europa omni ſciuiſſe oportet, voluntarie tacuerit, adeoque per id, ſi quid iuris, ratione ſucceſſionis, habuerit, dereliquerit et ita amiſerit (arg. §. 247.). Namque ex Regula GROTII *de I. B. et P. lib. 2. cap. 4. §. 5.* hæc duo requiruntur, vt ad derelictionem præſumendam valeat ſilentium ſcil. *vt ſilentium ſit ſcientis et libere volentis*, quam quoque regulam §. 233. conſtabili-

ui demonſtratione. Quibus rebus coactus IMPERATOR armis Suis et Sociorum Iure Belli et Pacis Neapolim ſibi vindicauit. In terris vero hoc modo vindicatis, niſi expreſſa pacta cum iis, quorum intereſt, aut cum ſubditis, interueniant, ſucceſſionis modus pro eo, ac docui, a voluntate victoris proficiſcitur (§. 261.), ob eamque cauſam etiam ordo ſuccedendi ex iure primogeniturae foemineae; atque ita ad primogenituram foemineam in Regno Neapolitano obſeruandam, quae *Sanctioni* inſerta eſt, Conſenſus Papae non requirendus. *Sanctionem* ergo Papa in Regno Neapolitano ob id, quod Feudum ipſius ſit, infirmare nequit.

Proferre argumenta alia concludentia placet, ac quidem ex natura Regni Neapolitani fundamentali factisque indubiis deſumta. Neapolis olim Prouincia Monarchiae Hiſpanicae fuit, dum iure belli a FERDINANDO Catholico poteſtati Regni Hiſpaniarum ſubiecta, Papa tacente et nullis pactis de modo habendi ſubſecutis (argum. §. 261.). Proinde eadem ſucceſſio in regno Neapolitano, quae in Regno Hiſpaniae (conf. §. 261.), vbi quidem ſucceſſio feminea ex iure primogeniturae valet. Quam quidem

quidem conditionem regnorum Hiſpaniæ connexorum facta hiſtorica et antiqua et recentiora confirmant comprobantque (arg. §. 233.). Exemplum ex antiquitate vnum HENRICI VI. Imperatoris ſufficiat, cuius Coniux CONSTANTIA Hæres vtriusque Siciliæ 1194. fuit, et hæcce regna HENRICO ita acquiſiuit, vt ea ex arbitrio ordinaret, idque iure, ſiquidem M. ANTONIVS MARCELLVS de *iure ſaeculari Romanorum Pontificum, capite 13, de iure et actione, quam Pontifices habent in Regna Neapolis et Siciliæ p. m. 131. Reges,* inquit, *qui his Regnis poſſeſſione inſederunt, illa, vti libitum eſt, liberorum Dominorum more - - modo ad fœminas, modo ad exteros transtulerunt.* Quæ nouiſſimis noſtris temporibus acciderint Ceſſiones et Permutationes Regni Siciliæ, nemini ignotum. Ex quo argumentor: qui poteſt extraneo Regnum cedere, iterumque permutare, ille ob id, quod eius generis ceſſio et permutatio eſt ſpecies alienationis (§. 217). poteſt eiusmodi Regnum alienare, et ex conſequenti Succeſſorem quemuis ſibi eligere, adeoque Fœminam Primogenitam declarare Hæredem. Nunc vero cesſio Siciliæ Domui Sabaudicæ facta, teſte vniuerſa Europa, per *Tractatus Traiectenſes*, et Domus Sabaudica

iterum Siciliam pro Sardinia permutauit, ope *Fœderis Quadruplicis a. 1718.*; quæ permutatio *Pace Vienneñſi 1725.* iterum confirmata; quid? quod in Tractatu Londinenſi non minus, quam in pace Viennenſi, cuncta iura, quæ Hiſpania olim, non ſolum, in Belgio, ſed etiam in Italia, adeoque in Neapoli poſſedit, *renunciat* PHILIPPVS SVÆ MAIESTATI CÆSAREÆ, EIVSque *Succeſſoribus, Heredibus et Deſcendentibus, et maſculis et* FOEMINIS. Quid igitur impedit, quo minus IMPERATORI liceat, vnam ex Suis Filiabus Hæredem æque in Neapoli ac Sicilia declarare? Præcipue cum Regnum Neapolis et Siciliæ ſub vno eodemque Principe et vtriusque Siciliæ appellatione ſtetit diu, et communes vtriusque Regni rationes fuerunt. Communes vtriusque Regni rationes eſſe et fuiſſe, ipſæ Conditiones Tractatus Londinenſis de anno 1718. art. 1. oſtendunt. Ac cum IMPERATORI ius fasque eſt, Regnum Siciliæ, ob ius alienandi, cuiuis, atque ita etiam Primogenitæ Filiæ, motu proprio tradere: vindicandum quoque SVÆ CÆSAREÆ MAIESTATI ius eſt, declarandi Filiam Suam Primogenitam et Siciliæ et Regni Neapolitani Hæredem, ob communes vtriusque Re-

Regni rationes. Dum igitur, in Declaratione ordinis ſuccedendi in Regnum Neapolitanum, IMPERATOR vſus eſt iure ſuo; nullam iniuriam Papa per eam paſſus eſt (arg. §. 28.), nec adeo queri poteſt de eo, quod ipſius conſenſus ad *Sanctionem Pragmaticam*, in Regno Neapolitano ſtabiliendam, non fuerit adhibitus.

§. 98.

An pax Badenſis Vltraiect. Londinenſ. et Viennenſ. concludi potuerit, quod ad ordinem ſuccedendi in regnum Neapolit. ſine Papæ conſenſu?

Sed quæret aliquis, vtrum Pax Badenſis, Vltraiectenſis, Londinenſis et Viennenſis iure concludi ita potuerint, vt iis pacificationibus ſtatus publicus, vti reliquarum prouinciarum olim ad Hiſpaniam pertinentium, ita et Regni Neapolitani ordinaretur, et quidem, quod ad Neapolim, ſine Conſenſu Papæ Statuumque Neapolitanorum? Statuendum, quod omnes hæ pactiones iuſte et legitime ſine Conſenſu Papæ Statuumque Regni concludi potuerunt. Namque *Sereniſſima Domus Auſtriaca* et *Andagauenſis* de iure ſuccedendi in terras Hiſpanicas diſceptabant, et nemo hanc Controuerſiam, niſi arma et ſubſecuta

pax, decidere poterat. Propterea quod, vti de controuerſia inter Principes orta omni, ita de ſucceſſione Regni iudicari iudicio iuriſdictionis nequit, ſed ea in ſtatu naturali manet, vt ait GROTIVS de I. B. et P. lib. 2. cap. 7. §. 27. (arg. §. 42.), dum ſolo iure naturæ regenda, argumento ex GROTII lib. 2. cap. 11. §. 5. ducto (arg. §. 38. et 41.) in ſtatu vero naturali ius belli locum habet (§. 237.), quod decidit conſtituendo legitimum modum acquirendi imperium (eodem). Inde recte ſentit HVBERVS de *iure ciuitatis* lib. 1. ſ. 7. cap. 7. num. 52. in *controuerſia de ſucceſſione orta, non poteſt alius eſſe index, quam ferrum, vtique cum decidendi poteſtate, quæ ſuccumbentem obliget ad parendum.* Proinde Regna et Ditiones Monarchiæ Hiſpanicæ, quorum in numero Neapolis eſt, iuri belli ſubiacuerunt. In ſtatu belli ergo penes belligerantes ſolos ius ordinandi per pacem, quis ſuccedere, et quomodo ordinari reſpubl. debeat, eſt. Quare ſtatus publicus, vt reliquarum ditionum, ita et Neapolitanus, ſine conſenſu Papæ Statuumque Regni, ſubſecutis Tractatibus ordinari, et ordo ſucceſſionis *Sanctioni* conformis ſtabiliri, potuit. Accedit, quod ordo ſuccedendi, in nominatis Pacis Tractatibus declaratus, ita interpretandus, ob rationes

nes ſupra allatas, ſit, vt conueniat cum ordine ſuccesſionis, *Sanctione Pragmatica* ſtabilito. Hic vero ordo itidem congruens ſucceſſioni Caſtilianæ eſt, ſecundum quam iam antiquiſſimis temporibus, in Regno Neapolitano, nec non in reliquis ad Monarchiam Hiſpanicam pertinentibus terris, ſucceſſum fuit. Quapropter eo minus reſtat dubii, quod non ſolum ratione Regni Neapolitani, ſed etiam reliquarum terrarum Italicarum et Belgicarum, modo laudati pacis Tractatus *Sanctioque Pragmatica* firmiſſimo nitantur fundamento. Quæ cum ita ſe habeant, ſuccesſio fœminea in Pace Badenſi, Vltraiectenſi, Londinenſi et Viennenſi declarata, ſecundum ordinem Primogenituræ, in terris olim ad Monarchiam Hiſpanicam pertinentibus, et ab IMPERATORE iam poſſesſis, validitatem habet; quamuis Papæ Conſenſus non fuerit ratione Neapolitani Regni requiſitus.

§. 99.

An Papa Dominus directus Regni Neapolit. habendus, et ob id eius conſen-

Equidem veri ſimile videtur, quod eius generis principia ad regna feudalia accommodari nequeant, quoniam vti diſpoſitio de feudo aliqua ex parte ad iura Domini directi pertinet, ita et cauſa

ſus in ſtabiliendo ordine ſuccedendi, adhibendus? ſucceſsionis controuerſæ. Verum ob id, quod Regnum Neapolitanum non poteſt feudum regulare et proprium haberi, non poteſt etiam Papa iura Domini directi in Regnum Neapolitanum ſibi tribuere; Mitto et prætereo quod Dominus directus cauſam ſucceſsionis controuerſæ in regnum feudale, ne decidere quidem iudicio iurisdictionis queat ob rationes §. 235. et 237. 38. 41. et 42. conf. GROTIVM de I. B. et P. lib. 1. c. 3. § 23. Lib. 2. c. 7. §. 27. c. 11. §. 5. adeoque nec Papa quidquam iuris in ordinem ſuccedendi in regnum Neapolitanum etiam vt Dominus directus tribuere ſibi poſſit. Sed ne Dominus directus quidem Papa habendus, ipſi enim fidelitas ea, quam alias Vaſalli præſtare obligantur, nec promittitur, nec etiam inueſtitura interuenit, ſed tantum legatus cum charactere repræſentatitio mittitur, qui nomine Regis Neapolitani ſalutem plurimam Papæ dicit et Canonem offert, quo acceptato, Papa ſe bonam Regis voluntatem exinde cognoſcere reſpondere ſolet. Hic actus vero nec inueſtitura eſt, nec fidelitatem vaſalliticam continet, nec adeo Vaſallum indicat, et ob neceſſariam relationem nec Dominum directum, ideoque Neapolis etiam feudum

curiæ

curiæ Romanæ non eſt ob eamque cauſam nec controuerſia de ſucceſſione in Regnum Neapolitanum nec diſpoſitio de ordine ſuccedendi pacis tractatibus et Sanctione Pragmatica facta iudicio Papæ ſubeſt neque ita eius conſenſu vt confirmaretur, neceſſe fuit.

§. 100.

An Rex Galliæ ex pactis familiæ Auſtriacæ poſtulare quidquam iuris in terras Auſtriacas poſſit.

Accedamus ad diſquiſitionem Pactorum Familiæ inter CAROLVM V. et FERDINANDVM, inter FERDINANDVM II. et PHILIPPVM III. et ALBERTVM, ex quibus exaſciare velle neſcio quis iura Regis Galliæ in terras Auſtriacas videtur. Sed quoniam nemo, induci poterit ad credendum tale pactum Familiæ; ope cuius fœminæ lineæ collateralis, quales ſunt Mater et Coniux LVDOVICI XIV. reſpectu familiæ Auſtriacæ, excludant fœminas lineæ rectæ: ſupervacaneum eſſe reor, de hac re plura verba facere. Satis ſit mihi oſtendiſſe, quod ſi etiam hæc pacta, ita, vt eſſe finguntur in fauorem Regum Galliæ, forent: tamen ex iisdem nullum ius Regibus Galliæ progigni poſſet. Namque et Mater et Coniux LVDOVICI XIV.

iuri-

iuribus Domus Hiſpanicæ, itaque etiam Auſtriacæ, renunciarunt. Præterea LVDOVICVS XIV. Pacem Badenſem, et hodie regnans Rex conſequentes pacis Tractatus, qui non diſſentientes, vt iam probaui, *Sanctioni* et adeo ſucceſſioni in eo ſtabilitæ, ſunt, confecerunt. Vti vero omnia pacta poſteriora, in quibus aliud quid, quam in prioribus poſitum, tollunt priora in iis, in quibus differunt: ita quoque his nouioribus pacificationibus ſublata iura, ſi qua fuiſſent ſucceſſionis Regis Galliæ, forent.

§. 101.

Sanctionem iuſte conſtituere Imperator proprio motu potuit, nec vlla proteſtatio contra eam valida, quamuis Imperii confirmatio non accedat.

Quoniam ergo *Sanctio*, nec contra iura SERENISSIMORVM COGNATORVM *Domus Auſtriacæ*, nec contra iura vllius alterius, nec contra iura Statuum, aut Imperii, aut Regnorum aut Prouinciarum pugnat, conuenitque cum omnibus pactis publicis principiisque iuris Gentium, publici et vniuerſalis et particularis: *illam iuſte* IMPERATOR AVGVSTISSIMVS *conſtituit proprio motu*, nec adeo vlla a parte Proteſtatio legitima contra *Sanctionem* fieri poteſt. Namque Proteſtatio legi-

legitima nihil ſignat aliud, quam declarationem diſſenſus in eo caſu, quando aliquid fit, quod contra iura alterius eſt (arg. §. 231.). Pro eo autem, ac argumentis vel firmiſſimis confirmare licuit, *Pragmatica Sanctio* contra nullius iura tendit; quapropter etiam nemo vnus legitimo modo contra *Sanctionem Pragmaticam*, et ſucceſſionem ei conuenientem, proteſtari, et per Proteſtationem, ſibi ius aliquod ſuccedendi, contra ordinem ſtabilitum, reſeruare poteſt; quamuis etiam nulla Confirmatio Imperii accedat.

Equidem FRIDERICI III. exemplum creditur quod in contrarium adduci poſſit; quippe qui Confirmationem Priuilegiorum *Auguſtæ Domus Auſtriacæ* ab Imperio requiſiuerit, et non proprio motu dederit. Et ſi ego quoque cenſerem, quod Confirmationes Priuilegiorum neceſſariæ habendæ, præcipue publicorum, ideoque nec etiam FRIDERICVS III. potuerit priuilegia noua ſine conſenſu et confirmatione Imperii Domui ſuæ inferre (quamuis NITZSCHIVS ad art. 3. *Capitul.* IOSEPH. cap. 1. §. 7. pag. 178. et 179. ius concedendi priuilegia ſpectare in Imperio ad Imperatorem ſine diſtinctione probat ſeptem argumentis nec non MVLTZIVS Corp. Iur.

publ.

publ. part. 2. cap. 2. §. 11. p. 267. et §. 12. p. 269. in eadem ſententia eſt): tamen *Sanctionis* confirmatio ab Imperio non requirenda eſt eam ob cauſam, quia *Sanctio Pragmatica* non eſt priuilegium. Priuilegia enim ab Imperante in alium proficiſcuntur (§. 76.); Sanctio autem eſt lex publica, quam IMPERATOR, vt Regnator terrarum ſuarum hæreditariarum, ob poteſtatem ſuam ciuilem, et ob Priuilegia Domui ſuæ olim acquiſita, ſtabilire proprio motu pro eo, ac oſtendi, potuit, atque ita ab alio Imperante profecta non eſt, quod quidem proprium priuilegii (§. eodem et 75.). Ex quo manifeſto tenetur, quod, ſi quis etiam argumentum ex artic. 20. 33. 43. etc. CAPITVL. IOSEPH. et artic. 8. 9. 18. 23. CAPITVL. CAROL. duci poſſe ſibi perſuadeat priuilegia publica domus Auſtriacæ Confirmatione egere Imperii: tamen ad Confirmationem neceſſariam *Sanctionis*, ab Imperio petendam, concludi concluſio nequeat. Cum itaque *Sanctio Pragmatica*, etiam ſine Confirmatione, vt lex perpetua, firmo fundamento nixa eſt atque per eam primogenitura: ex neceſſaria conſecutione efficitur, quod indiuiduitatem terrarum omnium omnino *Auguſtæ Archiducali Domo Auſtriaca* cohærentium obtinere oporteat in omne æuum.

§. 102.

§. 102.

Nec ex GROTIO erui poſſe reor diuiſionem terrarum Auſtriacarum iterum faciendam eſſe, caſu eueniente, quem Deus longisſime auertat. GROTII locum de *I. B. et P. Lib. 2. cap. 9.* §. *9.* non modo non eſſe contra nos, ſed maxime cauſam defenſionemque indiuiduitatis terrarum hereditariarum *Sereniſſimae Domus Auſtriacae* confirmare poſterius iſta videbimus; nunc iam ſententiam GROTII in §pho decimo eiusdem libri et capitis expoſitam meis ponderibus examinabo. Si eam arte aliqua volumus expendere, cognoſcemus, quod terræ hæreditario iure ad Domum Auſtriacam ſpectantes in partes diuidi nulla ex cauſa legitima queant. Etenim hoc paragrapho continetur, quod *eueniat, vt, quae vna ciuitas fuerat, diuidatur, aut conſenſu mutuo, aut vi bellica.* Sed conſenſus mutuus, vt diuidantur terræ Auſtriacæ, non adeſt, potius conſenſus eorum, quorum intereſt, renunciationibus ſatis declaratus eſt, vt terræ inpoſterum ſemper permaneant indiuiduæ. Nec quoque vis bellica iuſte adhiberi poteſt hic, propterea quod *Sanctio*, pro eo ac dicere occupaui ſupra, contra nullius iura eſt, atque ita nul-

An ex ſententia Grotii diuiſio terrarum Auſtriacarum caſu eueniente, facienda?

nulla cauſa iuſtifica adeſt belli, quæ ſemper primum ponit iniuriam alteri certo imminentem aut factam (arg. §. 237.). Atque ita GROTII locus non eſt contra noſtram ſententiam, quinimo pro nobis eſſe inuertendo GROTII Argumentum elucet; nempe enim, ſi ex ſententia GROTII ea, quæ vna fuerat ciuitas, diuidatur aut conſenſu mutuo, aut vi bellica; iſtud eſt conſentaneum quod, cum nullus conſenſus mutuus ad diuidendas terras Auſtriacas adſit, neque vis bellica iuſte, vt diuidantur, adhiberi poſſit, terræ Auſtriacæ omnes, quæ vnitæ feliciter ſub poteſtate AVGVSTISSIMI HODIE REGNANTIS IMPERATORIS exiſtunt, non diuidendæ ſint.

§. 103.

An ex deciſione Ludolphina diuiſio facienda?

Nec ea, quam Dnus de LVDOLPH facit, *deciſio accommodare ſe ad caſum, qui in* SERENISSIMA DOMO AVSTRIACA *aliquando euenire poſſet*, contra Sanctionem *finit*. Perilluſtris hic *ICtus conſtituit* duo fratres, quorum quilibet ſeparatas terras in ſua ditione tenet, et quæſtionem pertractat: vtrum, ſi alter horum fratrum in ſua Familia primogenituram introduceret,

poſtea

poſtea vero terræ diuiduæ a fratre illi hæreditate relinquerentur, hæ terræ diuiduæ poſt illius, qui primogenituram introduxit, mortem iterum diuidendæ inter liberos ſint, an primogenitus ſolus terras omnes, etiam diuiduas, hæreditate relictas, accipere debeat.

Ait laudatus magnus ICtus, ac quidem pro more, ſolide *§. 16. n. 69. de introd. iur. primog. Videndum, an ditionum olim diuiſarum, poſtea coniunctarum, vnio rurſus placuerit, nec ne; ſi hoc, ex pacto Familiæ tenebitur primogenitus, cuius tamen eſt electio partem fratri dimittere, perinde ac ſi duo Regna hæreditaria ſub vnius perſona moderamine fuerint coniuncta, manebunt Regna ſeparata, neque Regis primogenitus fratrem ab vtroque excludendi ius babet. Caſu priori ſucceſſio tota primogeniti erit ſolius.* Iam ad *Domum Auſtriacam* hic prior caſus ſe ſinit accommodare; placuit ſcil. vnio et indiuiduitas omnium terrarum Auſtriacarum *AVGVSTISSIMO IMPERATORI* in *Sanctione Pragmatica*; ergo quoque ſucceſſio tota prolis Primogenitæ erit ſolius. Si quando itaque OPTIMVM MAXIMVM IMPERATOREM mors eriperet nobis, quem Deus ſeruet: nullas terras diuiduas relinqueret, cum IPSIVS declaratio,

vt non diuidantur terræ, *Sanctione Pragmatica* contineatur, adeoque illius Ludolphinæ deciſionis caſus hic ad *Auſtriacas terras* adplicari nequit, quæ primum ponit terras olim diuiduas et coniunctas, quarum vero diuiſio rurſus placuit.

§. 104.

An natura feudorum Auſtriacorum in deterius mutetur, ſtabilita per Sanctionem indiuiduitate et primogenitura feminea?

Neque vero ob id, quod *terræ Auſtriacæ* tam Feudales, quam Patrimoniales, indiuiduæ conſeruandæ ſint, et ad ſexum fœmininum ſecundum primogenituram transeant, commutatur natura Feudorum in deterius, neque etiam ex terris independentibus dependentes fiunt. Nihil terrarum per ſucceſsionem fœmininam in peius mutatur, cum ne mutatio quidem ſucceſsionis adſit, quippe Feuda Auſtriaca ſunt ſua natura fœminina, tam, quia aut per fœminas aut pactiones, quibus ſucceſsio fœminea confirmatur, acquiſita, quam, quia Priuilegium CAROLI V. conſenſu Imperii munitum, terras Auſtriacas omnes adeoque et feudales et patrimoniales ſeu allodiales reddidit ad fœminas transeuntes. Atque ita cum ſucceſsione fœminea in terras Auſtriacas nihil demu-

mutatur: non poteſt etiam natura Feudorum in deterius mutata eſſe; niſi illud, quod PRIMOGENITA ope *Sanctionis* tantum ſuccedat, mutationem in deterius vocare velis, quia ex hac indiuidua terrarum poſſesſione dependentia terrarum independentium conſequatur, et iura independentiæ amittantur.

§. 105.

An terræ Auſtriacæ per indiuiduitatem introductam ex indepentibus dependentes fiant et earum natura fundamentalis mutetur?

Verum huic cauſæ, quod vnione ſeu indiuiduitate terrarum nulla iura adeoque nec independentiæ amittantur, præter HOVTVYNVM in Politica generali contracta, not. in §. 24. etiam GROTIVS Patronus exiſtit *de I. B. et P. Lib. 2. cap. 9. §. 9.* *Quodſi quando*, inquit, *vniantur duo populi, non amittentur iura, ſed communicabuntur. Idemque cenſendum de Regnis, quæ non fœdere, aut eo duntaxat, quod Regem communem habeant, ſed vera vnitate, iunguntur.* Addere mihi liceat rationes, ob quas ius ſummitatis ſeu independentiæ per indiuiduitatem non amittatur. Si poteſtas *ſumma*, ſiue quod idem, *independens* (§. 24), teſte GROTIO in *I. B. et P. lib. 1. cap. 3. §. 7.*, illa dicitur, *cuius actus alterius iuri non ſub-*

 ſunt,

ſunt, ita, vt alterius voluntatis humanæ arbitrio irriti poſſint reddi: illa terra tum dependens demum habenda, quæ non propriis legibus et conſtitutionibus gaudet, et alterius iuri ſubiecta (arg. §. 94.), ita vt actus alterius arbitrio poſſint irriti reddi (arg. §. 24.). Quare, cum quodlibet Regnum, quælibet ditio *ad Domum Auſtriacam* pertinens has proprias rationes habeat, vt actus, in vna terra geſti, ab alterius terræ Auſtriacæ Adminiſtratoribus irriti non posſint reddi; ex indiuiduitate et vnione inſeparabili terrarum Auſtriacarum, æque minus earum dependentia colligi poteſt, ac ex vnione Regnorum Angliæ, et Scotiæ, quorum alterum Regnum independens eſt ab altero quamuis communem Regem habeant. Quid? quod terræ Auſtriacæ hereditariæ ne tam arcte quidem ſunt vnitæ, vt Regna nominata ſunt: Hæc Regna enim ita coaluerunt, vt vna ſit Reſpubl. vnum corpus, vna ſumma poteſtas, vnum imperium ſummum, prout indicat tractatus vnionis Angliæ et Scotiæ de anno 1706. Terræ vero Auſtriacæ hereditariæ ita ſunt vnitæ, vt quidem in eas vna ſumma poteſtas, vnum imperium ſummum ſit, ſed tamen in vnam Rempublicam non coaluerunt, verum quodlibet Regnum et ditio ſeparatas ſuas ratio-

tiones a reliquis ditionibus Auſtriacis retinuit etiam poſt latam *Sanctionem Pragmaticam* et ne communicauit quidem cum iis iura ſua, multo itaque minus amiſit. Vnde quamuis inpoſterum terræ Auſtriacæ ſemper Caput commune et Imperantem vnum habebunt et indiuiduæ erunt: tamen non ſunt dependentes, nec adeo earum conditio redditur deterior. Re autem vera ſeparatas Conſtitutiones quasuis terras Auſtriacas, in ſignum independentiæ, tenere, et ab Imperatore vt a ſe inuicem independentes tractari, etiam poſt latam *Sanctionem* argumento eſſe poſſunt ſeparatæ Cancellariæ cuiusque terræ, ſeparatique Conuentus Ordinum in ſingulis Regnis et ditionibus. Quodlibet Regnum, quælibet ditio, vbi ordines collegium conficiunt, ſingulares Conuentus tenet; quorum Conuentuum decreta ad alias terras Auſtriacas non pertinent, neque easdem obligant, atque ex conſequenti terræ, quæ ſua natura fundamentali independentes ſunt, independentes, quamuis in indiuiduo nexu cum aliis terris Auſtriacis ſunt, permanent (argum. §. 261.); nec igitur natura earum fundamentalis *Sanctione Pragmatica* mutatur aut conuertitur.

§. 106.

Sanctio non aduerſatur iuribus Statuum Regnorum et ditionum hereditariarum Auſtriacarum.

Ex quibus ſatis ſuperque elucere puto, ordinem ſuccedendi in *Sanctione* ſtabilitum pugnare, nec contra independentiam, nec contra conſtitutionem terrarum hæreditariarum, nec aduerſum Statibus earundem tenere. *Quod non aduerſum teneat Sanctio Statibus*, indicium ſumi ex eo poteſt, quod *hic ordo ſuccedendi ſubinde ab ordinibus et ſtatibus vniuerſorum Regnorum, Archiducatuum, Ducatuum, Principatuum, Prouinciarum ac Ditionum ad SERENISSIMAM DOMVM Auſtriacam iure hereditario ſpectantium communi omnium voto ſuſceptus ac grato ſubmiſſoque animo agnitus atque in vim legis Sanctionisque Pragmaticæ perpetuo valitura in publica monumenta relatus fuit*; quæ quidem verba integra ex *Artic. 12. Tractatus pacis Cæſareo Hiſpanicæ Viennenſis de anno 1725.* exſcribenda duxi, quo eo minus aliis perſuaderi poſſit, quod vi aut metu Status Regnorum et Prouinciarum ad agnoſcendam *Sanctionem Pragmaticam* addacti fuerint, et quo eo minus ſcrupulus aliquis moueri poſſit, quod Sanctio contra iura Statuum pugnet, ſeu, quod idem, iniuriam Statibus faciat. Tum demum enim

nim ei iniuria fit, cui ius inuito adimitur, quod autem aliquis agnoſcit grato animo, iſtud ipſo non inuito fit; quapropter cum a Statibus vniuerſorum Regnorum et ditionum ad *Sereniſſimam Domum Auſtriacam* iure hereditario pertinentium ordo ſuccedendi *Sanctione* ſtabilitus, communi omnium voto ſuſceptus et grato ſubmiſſoque animo agnitus non poteſt Sanctio contra iura Statuum ob id eſſe, quoniam tali ratione ipſis Sanctione iniuria fieri nequit.

§. 107.

Sanctione Primogenitæ Carolinæ eſt ius quæſitum, atque contra eam ſucceſſionem Status ditionum nec quidquam tentare iure poſſunt.

Quam firmiter igitur *Sanctio* in omnes partes valet; tam recte quæſitum *Primogenitæ Filiæ Sereniſſimæ* CAROLI VI. ius ſuccedendi in terras hæreditarias eſt, nulla maſcula prole exiſtente. Proinde poſt exceſſum IMPERATORIS, qui ſerus ſit! nullum ius Status Regnorum et Prouinciarum hæreditariarum, aut in nexu, aut extra nexum Imperii exiſtentium, recipere poſſunt, alium, quam Primogenitam Eiusque Coniugem futurum, ſucceſſorem ſibi optandi, aut ſe ſeparandi a nexu indiuiduo conſtituto, vel ſe in libertatem vindicandi (arg. §. 250. et 251.).

251.). Hoc cauſæ ſumo, quod pro eo, ac oſtendi, deficiente filio, filia primogenita hæres legitima eſt. Quam diu autem hæredes legitimi adſunt, tamdiu adeſt ſubiectum, in quo eſt Imperium legitimum (§. 215.), cui Imperio ſubiectos remanere omnes Status et ſubditos terrarum hæreditariarum ius fasque eſt; ob neceſſariam imperii et ſubiectionis relationem (§. 26.), et quia *in Regnis fœmininis Imperium non tollitur, niſi donec Familia vtriusque ſexus deficiat*, ſecundum GROTIVM *de I. B. et P. lib. 2. cap. 9.* §. *1. et 2.* et ſecundum principia in meo iure publico vniuerſali §. 250. poſita. Certe quod Status non recipiant libertatem et ius eligendi ſucceſſorem, niſi in eo, quem dixi, caſu pro eo, ac ego §. 251. probaui, ipſi agnoſcunt Status et ordines Regni Hungariæ, alias libertatis acerrimi vindices, *in Articulis in Conuentu generali Poſonienſi concluſis et a CAROLO VI. IMPERATORE confirmatis anno 1723.* ac quidem in fine *Artic. 2. aiunt: nonniſi poſt omnimodum prædicti (i. e. vtriusque) ſexus defectum auitam et veterem approbatamque et receptam conſuetudinem, prærogatiuamque ſtatuum et ordinum in electione et coronatione Regum locum habituram.* Quodſi itaque, eueniente caſu, Primogenita Filia aliquando ſuc-

ſuccedat *Auguſtiſſimo* Parenti, et Status Subditique alicuius Regni aut Prouinciæ hæreditariæ turbas excitare, libertatem prætexere, EAM non agnoſcendo, vt legitimam hæredem, alium ſucceſſorem ſibi optare audeant, aut ſaltem voluntate ſua in poſſesſionem ire ſinant: tunc illi aperte Rebelles forent (arg. §. 103.), debitis pœnis afficiendi (arg. §. 171.), criminisque læſæ Maieſtatis rei (arg. §. 100.).

De Sanctionis Guarantia generali.

§. 108.

An Sanctionis Guarantia a quibusuis Statibus Europæ ſuſcipi poſſit?

Quoniam ergo *Sanctionem Pragmaticam* iure quodam ſuo IMPERATOR conſtituit, et per eam adeo nemini iniuriam fecit (arg. §. 28.): etiam *Sanctionis Guarantiam* a quibusuis Statibus Europæ ſuſcipi poſſe ſtatuendum eſt. *Guarantia* enim *Sanctionis* in nulla alia re, quam *in pacto publico ſeu fœdere conſiſtit inter IMPERATOREM et alios Status, in quo recipientes in ſe Guarantiam promittunt, quod omnibus viribus ſuis tueri manutenere velint ac debeant illum ſuccedendi ordinem, quem SVA MAIESTAS CÆSAREA in forma perpetui et indiuiſibilis fideicommiſſi, primogenitura*

tura affecti, pro vniuerſis SVÆ MAIESTATIS *vtriusque ſexus heredibus, Inſtrumento ſolenni die 19. Aprilis 1713. declarauit ac ſtabiliuit;* definiente ita *Artic. 2. Tractatus inter* SACRAM CÆSAREAM MAIESTATEM et REGIAM MAIESTATEM MAGNÆ BRITANNIÆ *initi 1731.* Nunc pactiones publicas facere de eo, quo nemini fit iniuria, ſecundum Ius Gentium, quiuis Imperans iuſte poteſt. Quapropter etiam omnes *Principes et Reſpublicæ Europæ Sanctionis Pragmaticæ Guarantiam optimo iure in ſe recipere queunt*, dum, vt ſupra probatum dedi, Sanctione nemini fit iniuria.

§. 109.

Regula generalis, ex qua quæſtiones de Sanctionis Guarantia ſoluendæ.

Quicquid adeo de Sanctione ſupra aſſeruimus, iſtud accommodari ad eius Guarantiam poterit; porro, *quicquid de Sanctione negauimus*, iſtud, quia Sanctio eſt fundamentum Guarantiæ, *de Guarantia negandum venit.*

§. 110.

Inde reſolutio, an Guarantia San-

Aſſeruimus, quod Sanctio iuſta ſit et ex poteſtate Imperatoris nata; quare Sanctionis Guarantia iuſta

iuſta ſit, et cuiusuis Imperantis poteſtati conueniat, neceſſe eſt.

ctionis iuſta ſit, an Imperiò ac Statibus terrarum hereditariarum damnoſa, et an contrarius tertii ſit?

Negauimus, Sanctionem aduerſari iuribus tertii quæſitis, naturæ fundamentali terrarum, iuribus Statuum Imperii Regnorum aut Prouinciarum; quapropter quoque negandum eſt, Sanctionis Guarantiam niti contra ius tertii, contra naturam fundamentalem terrarum hæreditariarum, aut contra iura Statuum Imperii Regnorum et Prouinciarum. Ob easque cauſas *Guarantia generalis Sanctionis Pragmaticæ* contra quoscunque ſuſcipi poteſt. Hinc etiam in Renunciationibus iure promiſſum ab *Sereniſſimis Archiduciſſis Ioſephinis* eſt, ſe non admiſſuras eſſe, vt ordinationibus pactis et diſpoſitionibus, præſertim vero declarationi 19. Aprilis anni 1713. editæ a quocunque ſub quo cunque demum prætextu aut colore vllo vnquam tempore contraueniatur, ſed vt potius in debita legitimo Succeſſori vnius alteriusue ſexus fide et obedientia perſeuerent *omnes vires eſſe impenſuras* nec illis, qui contrauenire conantur, aſſenſum, opem vel auxilium vllum præbituras. In quibus renunciationibus itaque cum contineatur, vt vires impendi debeant omnes ad ordinem ſucceſ-

ſionis

ſionis ſeruandum, nec auxilium vlli contrauenienti præbendum, harum vero renunciationum ab Auguſtis Archiduciſſarum Coniugibus acceſſio et confirmatio facta, vt acta publica conteſtantur et inſtrumenta publica loquuntur: eo ipſo Guarantia generalis contra quoscunque ſuſcepta eſt, et ſuſcipi iure potuit, ad eamque Guarantiam adeo obligati ſine vlla noua promisſione non ſolum renunciantes Archiduciſſæ earumque Coniuges, ſed etiam ſucceſſores eorum, quorum auctores et capita Serenisſimi renunciantes exiſtunt (§. 228.); certe hoſtibus Domus Auſtriacæ in caſu belli ob ſuccesſionem orti, nullum auxilium ferendum i. e. neutralitas ſeruanda. Nec generalis Guarantia poteſt damnoſa eſſe; propterea quod damnum malo, ex læſione iurium alterius orto, nititur (§. 28.). Nunc nullum ius aut Imperii aut Prouinciarum hæreditariarum Sanctione, vt ex prioribus notum eſt, læditur, nec etiam Cognatorum aut vllius tertii ius violatur; quocirca Sanctionis Guarantia nec Cognatis, nec Imperio, nec Prouinciis et Regnis hæreditariis, nec Statibus, aut vlli tertio damnoſa eſſe poteſt.

§. 111.

§. III.

An contra Capitulationem Carolinam?

Secundum quæ cum Sanctio eiusque Guarantia nec Imperio damnoſa, nec contra ius tertii ſit: Sanctio eiusque Guarantia non poteſt etiam contra *Artic. 4. 6. et 15. Capitulationis CAROLINÆ* pugnare; ſiquidem horum Articulorum ſumma hæc eſt. Daß Ihro Kayſerl. Majeſtät ſich wolten aller asſiſtenz, daraus dem Reich Gefahr und Schaden entſteht, gäntzlich enthalten, und wenn Sie auch ins künfftige Ihrer eigenen Lande halber einige Bündnüſſe machen würden: ſo ſolle ſolches anderer Geſtalten nicht geſchehen, als umbeſchädiget des Reichs und nach Inhalt des Inſtrumenti pacis, und daß alle declarationes contra ius tertii für null und nichtig zu erklähren.

Equidem fieri poſſet, vt Imperium ob ſuſceptam *Sanctionis Guarantiam* in diſcrimen adduceretur belli diſcidio, quod autem bellum a parte inferentis iniuſtum foret; quia, vt ex ſuperioribus planum eſt, nemo ius ſuccedendi in terras hæreditarias, deficiente prole maſcula, niſi Fœmina Primogenita, poſtulare iure poteſt; ob eamque ratio-

tionem nemo cauſam iuſtificam belli inferendi, ſi Primogenita ſuccedit, huius ſucceſſionis gratia habet (arg. §. 32.). *Si cuidam iniuria per Sanctionem eiusque Guarantiam fieret*, et ſumma Rerum Germanicarum in periculum veniret rueretque in certamina ob iuſta poſtulata eorum, qui a ſucceſſione excluſi: *tunc demum contra modo allegatos Articulos Capitulationis CAROLINÆ Sanctio eiusque Guarantia foret.*

§. 112.

An contra Pacem Badenſem? Nec video Guarantiæ Sanctionis et Pacis Badenſis repugnantiam; quia ſupra res patet, quod Sanctio ipſa et Pax Badenſis inter ſe non pugnent, adeoque nec *Sanctionis Guarantia*, per regulam paulo ante firmatam; *quod aias vel neges de Sanctione, hoc te confirmare liquido de eius Guarantia poſſe.* Quando itaque *Pragmaticæ Sanctionis* et Pacis Badenſis repugnantiam non videas: nec *Sanctionis Guarantia* et Pax Badenſis inter ſe repugnabunt. Venit hic mihi præterea in mentem hæc ratio, quod inter ſe pugnare non queant Pax Badenſis et *Sanctionis Guarantia*, quia in Pace ne verbum quidem eſt, quod contra Sanctionem ſit; prouti aduerſarii eo ipſo, dum

dum aſſerunt, *Sanctionis* in pace nullam mentionem factam, hoc concedunt nobis. Quodſi quæris ex me: quid ſit rationis, cur nulla mentio *Sanctionis Pragmaticæ* in pace Badenſi facta; eandem fuiſſe cenſendum eſt, quam Princeps Oraniæ GVILIELMVS habuit, cur noluit, vt vlla mentio recognitionis IPSIVS, vt legitimi Regis Angliæ in Pacis Ryſvvicenſis Præliminaribus fieret; ſcilicet hoc cauſæ ſumſiſſe hunc principem ait OTTIERI in Iſtoria d'Europa lib. 1. pag. 82.: *Che un Principe riconoſciuto communemente da' Sudditi è che è in pacifico poſſeſſo de ſuoi Regni, non ha biſogno di altra legittimazione alla Corona, è deve da tutti eſſere per tale conſiderato.* E quo ſimilitudinem argumenti ducamus et id accommodemus ad Sanctionem. Ea Sanctio eſt conſenſu omnium, quorum intereſt, confirmata atque etiam ab ordinibus et Statibus vniuerſorum Regnorum et ditionum ad Sereniſſimam Domum Auſtriacam iure hereditario ſpectantium agnita, vt nobis planum facit artic. 12. Tractatus Pacis Cæſareo-Hiſpanicæ Viennenſis anno 1725. Quapropter non opus fuit, vt vlla legitimatio valoris ſanctionis ab alio Principe obtineretur pacis tractatibus; ob eamque cauſam Sanctio vt firma et valida, adeoque et ſuccedendi ordo in

eadem

eadem declaratus ab omnibus debet conſiderari, quamuis eius nulla mentio in pace Badenſi facta. Si inde, quod in Pace Badenſi ob nullam mentionem Sanctionis factam, verbum nullum ſit, quod contra Sanctionem pugnet, ſuſcipimus genus hoc Argumenti, vt conuertamus: exoritur hæc concluſio: ergo *Sanctio* eiusque Guarantia non poteſt contra pacem Badenſem pugnare; potius pacem Badenſem conſentaneam *Sanctioni* eſſe, ex interpretatione formularum: *ſecundum ordinem in Auſtria receptum, aut vti* CAROLVS II. *poſſedit Hiſpanicas* terras, quas IMPERATOR in Italia et Belgio ex Succeſſionis bello reportauit, ſuperioribus collegimus. Pacta Europæ publica, Pacem Badenſem ſubſecuta, non repugnare *Sanctioni*, aut eandem expreſſis verbis confirmare, itidem iam iam oſtendimus.

§. 113.

An Syſtema et æquilibrium Europæ inuertatur?

Cum itaque *Sanctio* eiusque *Guarantia* nec contra Pacem Badenſem, nec contra reliqua pacta publica ſubſecuta contraueniat; Syſtema vero Europæ et ita eius æquilibrium, quippe quod in conſeruatione Syſtematis Europæ nititur, iisdem pactis publicis et fœderibus

ribus nitatur: *non poteſt Sanctio eiusque Guarantia Syſtema Europæ conuertere* tollereque æquilibrium, potius conuenit Syſtemati Europæ et æquilibrio, quoniam conuenit omnibus pactis publicis Statuum Europæ, quæ Syſtema optime conficiunt.

Quid? quod Syſtema et æquilibrium Europæ optime ſuſtinebitur, ſi *Sanctio* conſeruatur; ſiquidem ſecundum Sanctionem terræ hæreditariæ in eo, quo nunc ſunt, ſtatu, permanent & ad vnum Caput recidunt. Proinde mutatio Syſtematis et æquilibrii, quale nunc eſt, ratione SERENISSIMÆ DOMVS AVSTRIACÆ nunquam accidere poteſt; quippe, ſecundum *Sanctionis Pragmaticæ* Ordinem ſuccedendi, Perſona tantum, non potentia Domus Auſtriacæ, quæ præcipuum in Syſtemate Europæ facit, commutatur. Hinc nemo interqueri poteſt, quod per ſuſceptionem *Guarantiæ Sanctionis* Syſtema Europæ conuertatur, et inde cauſa non ſumi poteſt, quod *Guarantia* huius *Sanctionis* recipienda non fuerit, quæ iamiam tractatu Londinenſi de anno 1718. et pace Viennenſi anno 1725. recepta atque etiam pluralitate votorum Statuum imperii Comitiali Conſenſu promiſſa eſt decretumque imperii factum. In tractatu Londinenſi Guarantiam conſeruationis

L terra-

terrarum Auſtriacarum hæreditariarum et ex conſequenti Sanctionis non ſolum a Regia Maieſtate Magnæ Brittanniæ et Statibus Generalibus fœderati Belgii ſed etiam a Rege Galliæ ſuſceptam fuiſſe indicant verba tractatus Art. 1. ſequentia: *Sit maneatque inter ſacram Cæſar. Cathol. Maieſtatem Sacram Regiam Maieſtatem Chriſtianiſſimam, Sacram Regiam Maieſtatem Magnæ Britanniæ celſosque ac potentes Dominos Status Generales fœderati Belgii eorumque heredes et ſucceſſores fœdus arctiſſimum, vigore cuius ſinguli ditiones et ſubditos aliorum tueri nec non pacem manutenere, propriaque ipſorum commoda, ceu ſua mutuo promovere, damna vero et iniurias cuiuscunque generis prævenire auertereque teneantur.* In pace Viennenſi etiam a Rege Hiſpaniarum generalem Guarantiam ſuſceptam fuiſſe plane Art. 8. loquitur his verbis: *Imperator et Rex catholicus ſpondent, mutuoque ſe obſtringunt ad defenſionem ſeu guarantiam reciprocam omnium Regnorum et provinciarum quæ vel quas actu posſident, aut quorum quarumve poſſeſſio ad illos vigore tractatus Londinenſis per hoc pacis inſtrumentum confirmatum pervenit.* Quod ad ſuſceptionem Guarantiæ ab imperio *pluralitate votorum Statuum Imperii Comitiali Conſenſu promiſſa et Decretum Imperii factum eſt.* §. 114.

§. 114.

Quoniam ſunt, qui ſuggerere tendunt, quod in materia *Guarantiæ Sanctionis* pluralitas votorum non ſufficiat ad Decretum Imperii conſtituendum, quod æque, ac Conſtitutio Imperii publica, obligare ad præſtandam *Guarantiam* eos, qui conſenſum ſuum non præbuerunt, queat: faciendum mihi puto, vt ad hæc tela depellenda me accingam. Ad quod perficiendum proderit intueri naturam fundamentalem Imperii eiusque Leges Sacras adcommodare ad negotium *Guarantiæ Sanctionis.*

Regula generalis ex qua diiudicandum, an Sanctionis Guarantia plurium ſuffragiis ab Imperio recipi queat?

Ratio Imperii Germanici, vt viris rei publicæ peritis notum ex Actis publicis Comitialibus, ita comparata eſt, vt plurima pars eorum, qui ſeſſionem et votum in Comitiis habent, Decreta conficere in rebus Imperium Germanicum ſpectantibus queat, minoremque partem diſſentientem in eiusmodi Decreta obligare; exceptis iis negotiis, ad quæ leges fundamentales expreſſe vnanimia ſuffragia requirunt. Quæ negotia excepta ſint, hoc excuſſit SCHWEDERVS in diſp. *de Caſibus a iure maioris partis in Comitiis S. Rom. Germanici Imperii exceptis.* etc. Ac quanquam Aureæ Bul-

læ *Cap. 2. §. 4.* et ipſæ Conſtitutiones Imperii, quas LONDORPIVS *Act. Publ. Tom. 5. lib. I. §. 107.* affert, non extarent: tamen ex ſtructura Imperii, tam ſecundum ius publicum Vniuerſale, quam Germanicum argumentando, nec non ex Obſeruantia conſtanti et certa diſcere liceret, quod in omnibus negotiis, quæ legibus peculiariter excepta non ſunt, etiam grauiſſimis, pluralitas votorum attendatur.

§. 115.

Vnde colligendum, quæ proteſtationes contra decreta imperii pluribus ſuffragiis confecta, validæ?

Exinde vero Obſeruantia, vt incerta, argui non poteſt, quod contra pluralitatem votorum contraque ius maioris partis in diuerſis cauſis litigioſis Comitialibus Proteſtationes plurium Statuum Imperii ante Pacem Weſtphalicam interpoſitæ interdum fuerint referente MVLLERO in Reichs-Tags-Theatro et GOLDASTO *in rebus Imperii.* Namque quoniam ius publicum Imperii hodiernum et præcipue hæc materia, quando pluralitas ſuffragiorum attendenda, Pace Weſtphalica, tanquam fundamento, nititur: non tam Proteſtationes, quæ ante, quam quæ poſt Pacem Weſtphalicam factæ, hic in cenſum venire

venire debent. Quandocunque tamen Proteſtationes contra pluralitatem votorum in Comitiis interpoſitæ fuerint: attamen illæ non prius Obſeruantiam incertam reddere queunt, quam ob oculos poſitum eſt, Proteſtationes ab iis interpoſitas fuiſſe, qui ius mutandi aut tollendi obſeruantiam imperii habent (arg. §. 145.). Penes neminem autem in quauis Republica ius mutandi obſeruantiam eſt, niſi penes quos ferendi leges (§. eodem) ab aliis contra obſeruantiam nec quidquam ſuſcipi, atque ita nec proteſtatio legitima interponi poteſt. (§. 144.). Quapropter cum non niſi ab Imperatore et plurimis Statibus ſuffragantibus leges imperii ferri queant ſecundum inſtrum. P. W. art. 8. §. 2.: non poteſt vlla proteſtatio generatim legem imperii aut obſeruantiam incertam infirmamque reddere niſi ab Imperatore et plurimis ſtatibus interpoſita, qualis proteſtatio, quantum quidem ego ſcio, nunquam in imperio facta. Iam cum ipſa Pax Weſtphalica ab Imperatore et plurimis ſtatibus coagmentata: Pax Weſtphalica recte et iuſte diſponit in fine Art. 17. *vt nec vlla contra ſubſcriptionem*, hoc eſt dicere, validitatem, *Inſtrumenti huius Pacis valeat Proteſtatio aut Contradictio.* Hinc etiam in Capitul: FERDINAN-

DINANDI IV. LEOPOLDI, IOSEPHI, vt et CAROLI VI. atque in hac quidem *Artic.* 2. Proteſtationes omnes, contra ea, quæ Paci Weſtphalicæ conueniunt, inanes iure declarantur; inanes quoque re vera fuiſſe Proteſtationes contra P. W. factas omnes, quas LVNIGIVS in Parte Generali **des teutſchen Reichs** Archivs collegit, docuit euentus, certe hucusque nullus eorum effectus conſecutus eſt. Videamus, quid Pax Weſtphalica de negotiis plurimis Suffragiis conficiendis diſponat, et quid inde intelligi liceat; ex quo deinde, quæ proteſtationes contra Decreta, plurimis votis confecta, legitimæ aut illegitimæ habendæ, facile erit ad colligendum (§. 231.).

§. 116.

Quando pluralitatis votorum ratio habenda et contra eam proteſtationes inualidæ ex diſpoſitione P. W.

In P. W. Inſtrumento *Artic.* 5. §. 52. ita diſpoſitum: *In cauſis religionis omnibusque aliis negotiis, vbi Status, tanquam vnum corpus, conſiderari nequeunt, vt etiam Catholicis & Auguſtanæ Confeſſionis Statibus in duas partes euntibus, ſola amicabilis compoſitio lites dirimat, non attenta votorum pluralitate.*

Ex

Ex quo argumentari licet, quod in iis negotiis, vbi Status, tanquam vnum Corpus conſiderari queunt, et Catholici et Auguſtanæ Confeſſionis Status non in partes eunt, pluralitatis votorum ratio habenda, ibique Proteſtatio contra Decretum, pluribus votis concluſum, illegitima ſit. Quodſi igitur probauero, quod *Sanctionis Guarantia* negotium ſit, in quo Status, tanquam vnum corpus conſiderari queant: probatum etiam tunc eſt, quod pluralitas votorum in cauſa *Guarantiæ* ad Decretum faciendum, quod etiam diſſentientes obliget, contra quod Proteſtatio omnis infirma invalidaque ſit, ſatis ſuperque ſufficiat.

§. 117.

Cur in negotio Guarantiæ ratio plurium votorum habenda et proteſtationes contra eam illegitimæ.

Obſeruare autem licet ex Actis Imperii cuiuscunque temporis, quod Status Imperii in eius generis negotiis, tanquam vnum corpus, conſiderentur, et ex conſequenti pluralitas votorum locum habeat, quæ attingunt Imperium, vt Vniuerſitatem, et quibus nulli ex Statibus peculiaris fit iniuria. Cui ſententiæ quoque adeſt ZIEGLERVS *ad* GROTIVM *de I. B. et P. lib. 2. cap. 5.* *obſ.*

obſ. ad §. 17. Pluralitas votorum, inquit, *tunc demum attenditur, vbi res, de qua ſuffragia colliguntur, pertinet ad Vniuerſitatem, vt Vniuerſitatem.* Ac quoniam a Statibus ex ea parte, quatenus Imperium conſtituunt i. e. Vniuerſitatem, *Sanctionis Guarantia* requiſita eſt, et in ſuperioribus probare occupauimus, *Sanctionem* et ita *Guarantiam* non vllius iuri aduerſari: conſequens eſt, vt in negotio Guarantiæ, quæ ab Imperio, tanquam Vniuerſitate, præſtanda, Status, tanquam vnum Corpus, conſiderandi ſint, ratioque plurimorum votorum in cauſa Guarantiæ habenda, ideoque proteſtatio omnis illegitima.

§. 118.

Obiectio contra pluralitatem votorum in cauſa Guarantiæ eiusque reſolutio.

Neque nos mouet, quod *Guarantia Sanctionis* negotium tam magni momenti ſit, vt ſalus omnis et conſeruatio Imperii in diſcrimen adduci poſſit, quodque res non tantæ reperiantur, in quibus vnanimia vota Statuum requirantur, et ita multo magis in cauſa Guarantiæ neceſſaria ſint. Sed vti non omnis ratiocinatio a minori ad maius concludit; ita inductione confici poteſt res, quod in eius generis Regnis, vti Imperium eſt, concluſio a mino-

minori ad maius concludi non poſſit. Exempli cauſa Regnum Polonicum nomino ac etiam Imperium ipſum, in quibus in negotiis publicis, etiam minoris momenti, ſuffragium unanime ferendum ſecundum reipubl. ſtructuram eſt. Econtrario in Electione Regis, quando Regnum ſuffragio mandandum, quæ certe eſt cauſa vel maximi momenti, eunt Status in ſuffragium et quem plurimi volunt Regem, is Regnum adipiſcitur. Secundum quæ cum in Regno Poloniæ, vti omnia fere per vnanimia ſuffragia decidenda ſunt, etiam minima, illa, quæ grauiora et magna ſunt, plurimis ſuffragiis confici queunt, et adeo argumentatio a minori ad maius non procedit: nonne multo minus ei Argumentationi in Imperio in cauſa *Guarantiæ* ab Imperio ſuſceptæ locus dandus? ob id præcipue, quod in Imperio ordinarie omnia, quæ non legibus excepta ſunt, plurimis ſuffragiis expediri poſſunt. Præterea cum leges non diſtinguunt negotium maioris et minoris momenti, nec noſtrum quoque erit ob grauitatem negotii, in theſi plurimis votis expediendi, vnanimem conſenſum poſtulare.

§. 119.

Aliud argumentum, quod Guarantiæ negotium plurimis ſuffragiis Imperii expediendum, ex iure fœderum deſumtum.

Quod *Guarantia* negotium tale ſit, quod plurimis ſuffragiis confici queat, præter Argumenta iam allata, ex eo probari poſſe reor adhuc clarius. Pax Weſtphalica et conſtans Obſeruantia extra omnem dubitationis aleam ponit, quod in fœderibus, quæ Imperium cum aliis facit, maior pars Statuum minorem vincat et nomine Imperii decretum conficere queat. Siquidem *Artic. 8. §. 2. Inſtrum. P. Art. Gaudeant* ſcil. Status, *ſine contradictione iure ſuffragii in omnibus deliberationibus ſuper negotiis Imperii, praſertim vbi pax aut fœdera facienda aliaue eiusmodi negotia peragenda fuerint, nihil horum aut quidquam ſimile poſt hac vnquam fiat vel admittatur, niſi de comitiali liberoque omnium Imperii Statuum Suffragio et Conſenſu.*

§. 120.

Formula: omnium Statuum conſenſu aliquid conficiendum,

Omnium Imperii Statuum Suffragium et Conſenſum HENNIGES *in Meditationibus ad iſtum ipſum* locum Inſtrumenti ita interpretando explanat, *ut in theſi*

res plurium ſuffragiis confici poſſit. Cuius interpretationis adiutrix Obſeruantia Imperii eſt, ex qua probari poteſt, quod Imperii Fœdera plurimorum Suffragiis facta fuerint; nec vllum exemplum in contrarium afferri poſſe autumo ex Actis publicis, vbi dubitatum ſit, an Fœdera Imperii, in quibus Status, vt vnum Corpus conſiderandi, plurimis Suffragiis pangi poſſint. Ego vero, quando dicatur: *Quod nihil horum negotiorum admittendum ſit, niſi de Comitiali liberoque omnium Imperii Statuum Suffragio et Conſenſu,* tantum de iure ſuffragandi et conſentiendi omnium Statuum intelligendum cenſeo, quodque, ſi pars minor diſſentiat; tamen pro conſentiente haberi poſſit et dici: factum aliquid omnium Suffragio eſſe et Conſenſu, cum tantum plurima pars Conſenſum interpoſuerit.

ſignat tantum pluralitatem votorum.

§. 121.

Quod de iure Suffragii tantum omnium Statuum intelligendum, quando in Legibus Imperii omnium Statuum Suffragia requiruntur, probo ex initio huius paragraphi *gaudeant* et ex clauſula *Artic.* 5. §. 52. vbi con-

Quod probatur ex inſtrumento Pac. et iure publico vniuerſali.

continetur, quod *pluralitas votorum non attendenda ſit in cauſis religionis et quando Status, tanquam unum Corpus, conſiderari nequeant.* Niſi igitur in negotiis, in quibus Status, tanquam unum corpus, conſiderantur, atque ita in Fœderibus Imperii, pluralitas votorum attendenda ſit: nulla cauſa eſſet, cur hæc clauſula poſita. Quod autem Diſſenſus minoris partis pro Conſenſu habendus in Rebuspublicis, quorum negotia plurimis Suffragiis ordinario iure expediuntur, ſeu vt GROTIVS de. I. B. et. P. lib. 2. cap. 5. §. 17 exprimit, in quibus pars maior ius habet integri, demonſtrari ex iuris publici Vniuerſalis principiis poteſt.

Qui Membrum reipubl. in qua ordinario iure plurima Suffragia concludunt, fit, illum ab initio ſtatim, quo Membrum reipubl. fit et in numerum Statuum recipitur, conſentire oportet, quod obligatus eſſe pluralitate votorum, etiamſi diſſentiat, velit. Nam, vt rationibus Grotii de I. B. et P. in Prol. vtar, qui ſe cœtui alicui aggregant, aut homini hominibusque ſubiiciunt, hi aut expreſſe promittere, aut ex negotii natura, tacite promiſiſſe debent intelligi ſecuturos ſe id, quod aut cœtus pars maior, aut hi, quibus delata poteſtas, conſtituant. Neceſſarius enim eſt inter homines aliquis ſe obligandi modus, neque vero alius modus natura-

turalis fingi poteſt inter eos, qui in ſtatum civitatis ſe conferunt, quam vt pactiones conficiant (§. 71.), quibus ſtare tenentur (eodem), quod in negotiis rempublicam ſpectantibus ſequi id velint, quod illi, quibus delata poteſtas, conſtituant, adeoque ſi parti maiori cœtus data facultas regendi rempublicam per ſuffragia ſua, ſi omnia haberi nequeant; ordines reip. omnes ex pacto, id eſt, ex conſenſu (§. 55.) obligantur ad ea, quæ plurima pars confecit. Quare in eiusmodi republ. ſtatus diſſentiens in quadam re ratione obligationis pro conſentiente habendus addas rationes §phi 55. Et ob hanc cauſam in legibus Imperii dici recte poteſt, aliquid omnium Statuum Conſenſu faciendum aut factum eſſe, vbi tantum plurium Conſenſus requiritur, aut reperitur.

§. 122.

Ex obſeruantia et exemplo.

Interpretum itaque non inſcientia ſed compacto male explicari credo *Artic. 2. 10. 12. 17. Capit.* CAROL. formulam: geſammter Churfürſten, Fürſten und Stände Einwilligung, per vnanimem actualem omnium Electorum, Principum et Statuum Conſenſum. Hanc enim interpretationem modo allata argumenta convellere, Obſervantia labefactare, et exem-

exempla plurima obruere poſſunt. Etiam illud exemplum erectionis Domus Brunſuicenſis in Electoralem dignitatem, quæ in *Art. 3. Capit.* CAROL. nominatur ein mit Einwilligung geſamter Churfürſten, Fürſten und Stände eingeführter Electorat non indicat vnanimem conſenſum; namque nemini obſcurum opinor aut abſconditum, quod nonnullis Statibus, præcipue Principibus non conſentientibus, hic nouus Electoratus introductus ſit. Cuius rei teſtimonia præbent Acta publica, quæ *lettres hiſtoriques*, *Fabri* Staats-Canzeley / *Electa iuris publici* aliique libri, de ſtatu publico Imperii circa illa tempora agentes, exhibent. Equidem et occaſione huius novi Electoratus cautum, vt in poſterum, ſi Electoratus inſtituendi, Comitialis omnium Imperii Ordinum Conſenſus adhibendus ſit, vt indicat Præfatio zur gegenwärtigen Verfaſſung der Kayſerlichen Regirung. Verum ob ante dictas et modo dicendas rationes non per unanimem interpretamur. Certe in Pace Bad. ipſa *Artic. 3.* Rex Galliæ agnovit Dignitatem Electoralem Domui Brunſuico-Hannoveranæ collatam a SACRA CÆSAREA MAIESTATE cum Sacri Romani Imperii Conſenſu. Si Conſenſus unanimis fuiſſet, hoc vocabulum quoque Paciſcentes adiecíſſent

ſent. Nec etiam in Actis Comitialibus, quæ habet FABRI Staats-Cantzeley *T. 13. cap. 9. et Electa l. P. T. I. num. l.* ullum verbum invenio, ex quo unanimis Conſenſus eliciendus. In Concluſo et Collegii Electoralis et Principum et trium Collegiorum, negotium hoc introductionis Hanoveriani Electoratus concernente nulla alia formula, quam es iſt dafür gehalten und geſchloſſen worden, reperitur, ac ne vox quidem, geſamter Stände, oder ſämtlich adeſt; acſi etiam adeſſet, tamen differret talis Conſenſus a Conſenſu vnanimi. In quibuscunque Inſtrumentis vox unanimis Germ. einhelliger Conſens non reperitur, ibi Conſenſus pro unanimi non reputandus eſt ob id, quod vox ſämmtlich oder geſamt non ſignat vnanimem Conſenſum, ſed idem eſt, ac coniunctim i. e. collegialiter ita vt maior pars Collegii concludat; quæ eſt Interpretatio præter SPRENGERVM et alios Iuris publici doctores SCHWEDERI *in Inſt. I. P. part. ſpec. Sect. I. cap. 20. §. 3.* eaque interpretatio convenit cum Obſervantia; et etiam ex pacis Weſtphalicæ Articulis modo allegatis argumentando, prout iamiam feci, erui poteſt. Accedit quod aliis exprimi formulis in Conſtitutionibus Imperii ſoleat, quando Conſenſus vnanimis eſſe debet.

bet. Reperire licet tunc non vocem ſämmtlich, aut omnium Statuum, ſed einmüthig, aller und jeder, vti in *Artic. 20. Capitul:* IOSEPH: vbi legimus, daß keine neuen Zölle mehr ſollen ertheilt werden, es geſchahe dann mit einmüthigen Collegial Rath und Bewilligung der ſieben Churfürſten et paulo infra, quod eiusmodi telonia nec augeri debeant ohne Kayſerl. mit obgedachten einmüthigen aller und jeder ſieben Churfürſten collegial-Conſens.

§. 123.

Ex quo fundamento etiam Guarantia Sanctionis plurimis ſuffragiis ſuſcipi poteſt.

Proinde quamuis ope *Sphi gaudeant L. P.* Fœdera omnium Statuum Suffragio et Conſenſu perficienda eſſe intelligimus: tamen ex Interpretum ſententia ſine vlla contradictione plurimis Suffragiis concludi poſſunt, ac etiam reuera concluduntur, vti Acta publica ipſa ſatis ſuperque conteſtantur. Iam vero cum *Guarantia Sanctionis* ſpecies Fœderis ſit, quod a Statibus, qui Imperium repræſentant, ictum eſt cum SERENISSIMA DOMO AVSTRIACA de ea ſecura reddenda ratione ordinis ſuccedendi in *Sanctione Pragmatica* diſpoſiti: facile eſt ad intelligendum, quod *Guarantia*

San-

Sanctionis optimo iure ab Imperio, plurimis ſuffragantibus, recipi; et etiam ab exteris Principibus et Rebuspublicis ſecuritas præſtari queat. Ab Imperio recipi *Guarantia* plurimis Suffragiis poteſt, quoniam ſecundum Pacem Weſtphalicam plurima Suffragia ſufficiunt ad Fœdera, cum aliis facienda; ab Exteris, quia nemini fit iniuria, ſi *Sanctionis Guarantia* præſtatur.

§. 124.

Argumenta non nulla diſſuaſoria Sanctioni eiusqueGuarantiæ oppoſita et reſponſiones ad ea.

Nec vrgeas, Domum Auſtriacam non eſſe ſecuram reddendam, quia per *Sanctionem* plura detrimenta Imperio quam adiumenta importentur; quippe qua aliquot inſignia Imperii Feuda, per Leges Imperii Domanio Imperii incorporanda, retineantur, mutentur, et Fœminæ, tanquam Feuda noua, conferantur, conſolidationis ſpe eximantur, et in quemque alienabilia reddantur. Sed ſupra argumentis iam confirmavi, quod omnes terræ Auſtriacæ, etiam illæ, quæ Feuda Imperii ſunt fœminam in ſucceſſione admittant, nec Domania Imperii ſint, quodque adeo nihil noui fiat, nullaque iniuria Imperio aut tertio inferatur, ſi PRIMOGENITA FILIA IMPERA-

TORIS ſucceſſioni deſtinetur. Quocirca nec dici quóque poteſt, quod inſignia Imperii Feuda per leges Imperii incoporanda *Sanctione* retineantur, aut mutentur, et fœminæ tanquam Feuda noua conferantur. Nec etiam *Sanctione* in quemvis alienabilia redduntur; cum ſecundum ordinem ſuccedendi in *Sanctione* ſtabilitum terræ ad SERENISSIMAM DOMVM AVSTRIACAM pertinentes in neminem, quam in prolem vtriusque Sexus, ex ſtirpe Aſtriaca prognatam, perveniant, et ex conſequenti in Archiduciſſarum Coniuges, in quos ſecundum ius feudale Feuda fœminina tranſire ſolent. In quantum igitur Feuda fœminina conſolidationis ſpe eximuntur, in tantum ego quoque concedo et largior, in Feudis, quæ Domus Auſtriaca ab Imperio tenet, obtinere. Sunt quidem ea Feuda, quorum gratia Priuilegium CAROLI V. eſt datum, mere hæreditaria, adeoque in quemuis alienabilia, et ex conſequenti ſpe conſolidationis exemta videntur, ſed etiam ſine ſpe conſolidationis Dominium directum ſalvum manet, quod vel vno exemplo Electoratuum ſecularium in Imperio perſpicuum eſt, qui ab Imperatore nunquam conſolidari poſſunt; quippe qui, ſi etiam Imperatori et Imperio aperiantur, mox alii ſtatui Imperii conferendi ſunt, ne numerus Electo-

rum

rum minuatur A. B. tit. 7. §. 5. vt oſtendit RVMELINVS ad A. B. diſſ. 7. Th. II. Ob eamque cauſam quia ipſæ leges Imperii ſpe conſolidationis eximunt inſignia Electorum feuda; dominium directum Imperatoris et Imperii per id lædi nequit. Quapropter nec etiam Imperii Dominium directum in Feuda Auſtriaca læditur, ſi etiam ſpe conſolidationis ob naturam ſuam fundamentalem eximantur; quippe exemtio non tam ex *Sanctione*, quam ex Priuilegiis plurium Imperatorum, originem trahit.

Ac ſi etiam mutatio Feudorum, *Sanctione Pragmatica* eiusque *Guarantia* ab Imperio ſuſcepta Fœminæ eadem conferendo, acciderit: attamen minime ſuffragia vnanimia requirerentur, ob id, quod, qui poſſunt Statum Imperii ordinare, illi poſſunt etiam eundem mutare. Mutatio enim Reipubl. nihil aliud ſignat, quam aliquam a priori ſtatu publico diuerſam Reipubl. ordinationem. Ac quandoquidem plurima ſuffragia ſufficiunt ad Decretum Imperii, quo Imperium ordinatur, conficiendum vi P. W. *Art. 9. §pho gaudeant:* ſequitur, vt quoque ad Feuda Imperii mutanda pluralitas votorum ſatis ſit (arg. §. 56.); atque adeo ſi etiam mutatio Feudorum continetur *Sanctione:*

tamen ea pluralitate votorum adprobari, eiusque *Guarantia* ſuſcipi Decreto Comitiali poſſet. Eius generis mutationes in rebus Imperii fieri poſſe conſenſu maioris partis, *Capitulatio nouiſſima Art. 2.* confirmat quoque. Ibi enim legimus, daß ohne Churfürſten, Fürſten und Ständen auf Reichs-Tägen vorhergehende Bewilligung des heil. Reichs-Ordnungen keineß weges zu ändern. Vnde poſitiue argumentor, quod Conſenſu Ordinum Imperii etiam Ordinationes Imperii ratione Feudorum, vtrum maſculina, an fœminina haberi debeant, mutari poſſint. Ac quoniam Conſenſus Ordinum requiritur non vnanimis ad ordinationem Imperii mutandam: plurimorum ſuffragiis Feuda maſculina in fœminina mutari poſſe manifeſtum eſt. Porro exinde colligo, quod ſi etiam ob certa particularia Feuda Imperii, quæ SERENISSIMA DOMVS AVSTRIACA in poteſtate tenet, non adeo clare probari poſſet, an ſint fœminina: tamen eo ipſo, quod Imperium *Sanctionis Guarantiam* in ſe pluralitate ſuffragiorum ſuſcepit, agnouit fœmininam in Feuda Imperii *Auſtriaca* ſucceſſionem; et ſi olim maſculina fuerint, per tacitam conſecutionem in fœminina mutata ſunt Decreto Comitiali, plurimis ſuffragiis confecto,

§. 125.

§. 125.

Concluſio, quod Sanctio iure ſtabilita et eius Guarantia generalis ab omnibus Europæ ſtatibus et ab Imperio pluribus ſuffragiis ſuſcipi queat et contra quoscunque præſtari legitime.

De *Sanctione* eiusque *Guarantia*, plurimis ſuffragiis adprobata, ad neceſſitudinem rei ſatis dictum. Dicere illi, qui eruditos oculos habent, potuerunt, ſi volunt, de ſummo pectore, quod nihil poſſit eſſe verius, quodque nihil poſſit argumentis confirmari firmioribus, quam quod optimo iure *Sanctio Pragmatica* ſit conſtituta, quod conueniat pactis publicis et Domus Auſtriacæ et Statuum Europæ, quod congruens ſit naturæ fundamentali et conſtitutioni cuiusque Regni et ditionis hæreditario iure ad Auguſtam familiam Auſtriacam pertinentis, quodque ideo eius *Guarantia* tale negotium ſit, quod omni iure vti a quibusuis Statibus Europæ contra quosuis ſuſcipi; ita et ab Imperio, plurimis Statibus ſuffragantibus, decerni potuerit, eoque Decreto omne Imperium, etiam Status diſſentientes, ad tuendam, dum nemini Sanctione inferatur iniuria, contra quoſcunque *Sanctionem* obligati, æque, ac ad reliqua Decreta Imperii, ſint. Ad hæc, vti ad omnia, quæ in hac meditatione protuli, pro-

banda, iis me vſum eſſe argumentis et rationibus ex iure publico Vniuerſali, Germanico generali et ſpeciali Regnorum et ditionum Auſtriacarum omnium deſumtis, reor, quæ non perſuadent, ſed cogunt, vimque afferunt in aſſentiendo.

§. 126.

Conſeruatio Sanctionis imperio ſalutaris.

Quam firmo iuris fundamento hæc *Sanctio* eiusque *Guarantia* nititur; tam eam maxime Imperii rationibus puto conducere. Namque cum SERENISSIMA DOMVS AVSTRIACA tanquam ſalutare ſidus Imperio cum maximo fortunæ fulgore ſplenduerit ſemper: nihil eſt, quod Imperio maiori fructui Gloriæque eſſe poſſit, quam ſi SERENISSIMA DOMVS AVSTRIACA hac ſalubri ratione, quæ *Sanctione* iuſtituta et ſtabilita, conſeruetur Quippe quæ Sanctio non poteſt repugnare Imperii conſeruationi et ſaluti, dum conſeruatio terrarum Domus Auſtriacæ tam arcte cohæret cum conſeruatione nexus Imperii vt altera ab altera ſeparari nequeat, prout rationibus oſtendit MONZAMBANO de Statu Imperii cap. 2.

§. 127.

§. 127.

Ex quo ſole ipſo illuſtrius et clarius elucet, quod AVGVSTISSIMO IMPERATORI finis, vti in omnibus conſiliis et diſpoſitionibus, ita etiam in ſtabilimento *Sanctionis*, ſit ille, vt non ſolum recte iuſteque faciat, ſed etiam vt ea agat, quæ maximum emolumentum Imperio ſunt. Nec quisquam vnquam ſummorum Principum tam mente tota in Imperium Germanicum et Syſtema Gentium Europæarum conſeruandum incubuit, quam excelſa CAROLI VI. Mens, quæ nihil præter publicum commodum videt, et ſalutem hominibus dat. Ac quandoquidem optimi mortalium altiſſima cupiunt, omnemque laudem et felicitatem merentur: quis Auguſtus felicior, quis Traianus melior, habendus, quis meritis laudibus magis decorandus, noſtro AVGVSTISSIMO IMPERATORE? QVI cupit non tam propriam Domus ſalutem, quam Imperii, Europæ, Orbisque Chriſtiani quietem altiſſimam ſecuritatemque. Dumque *Sanctione* eiusque *Guarantia* tam ab Imperio, quam ab aliis potentioribus Principi-

Laudes Imperatoris et votum pro Suæ Cæſareæ Maieſtatis ſalute.

cipibus et Rebuspubl. ſuſcepta, ſatis vndique prouiſum atque præcautum eſt ſaluti publicæ et ſecuritati: hanc rem ominibus optimis optimus quisque perſequitur, et eam Imperio vult bene et feliciter euenire. *Mei voti ſumma eſt Incolumitas* GERMANICI AVGVSTI, QVI PATRIÆ *non ſatis diu viuere poteſt, quamuis naturam ipſam expleat aliquando viuendi ſacietate.*

Digitized by Google

00565197

Digitized by Google